COLLECTIO

SELECTA

SS. ECCLESIÆ PATRUM.

XXIV.

PATRES TERTII ECCLESIÆ SÆCULI.

EUSEBIUS.

V.

PROSTAT INSUPER VENALE.

LUGDUNI,

APUD **RUSAND**, BIBLIOPOLAM;

MONTIS PESSULANI,

APUD **VIRENQUE**, BIBLIOPOLAM;

PARISIIS,

APUD **GAUME** FRATRES, BIBLIOPOLAS;

ROMÆ,

APUD **MERLE**, BIBLIOPOLAM.

PARISIIS, E TYPOGRAPHEO EVERAT,

VIA VULGO DICTA DU CADRAN, N° 16.

COLLECTIO

SELECTA

SS. ECCLESIÆ PATRUM

COMPLECTENS

EXQUISITISSIMA OPERA

TUM DOGMATICA ET MORALIA, TUM APOLOGETICA ET ORATORIA;

ACCURANTIBUS

D. A. B. CAILLAU,

MISSIONUM GALLICARUM PRESBYTERO

NONNULLISQUE CLERI GALLICANI PRESBYTERIS,

UNA CUM

D. M. N. S. GUILLON,

IN FACULTATE THEOLOGIÆ PARISIENSI ELOQUENTIÆ SACRÆ PROFESSORE,
PRÆDICATORE REGIO, AUCTORE LIBRI CUI TITULUS GALLICE:
BIBLIOTHÈQUE CHOISIE DES PÈRES GRECS ET LATINS.

OPUS REGI DICATUM.

TOMUS VIGESIMUS QUARTUS.

PARISIIS,

APUD MÉQUIGNON-HAVARD, EDITOREM

VIA VULGO DICTA DES SAINTS-PÈRES.

BRUXELLIS, APUD EUMDEM,

PARISIIS, APUD A. POILLEUX, BIBLIOPOLAM,

VIA VULGO DICTA DU CIMETIÈRE-SAINT-ANDRÉ-DES-ARCS.

M. DCCC. XXX.

EUSEBII PAMPHILI

CÆSARIENSIS EPISCOPI

MENTARIA IN HESAIAM.

VARIA DE DIVERSIS CIRCA SCRIPTURAM RESPONSIS FRAGMENTA.

CANONES EVANGELICI.

ORATIO IN DEDICATIONE ECCLESIÆ TYRI.

ORATIO DE LAUDIBUS CONSTANTINI.

EUSEBII PAMPHILI

CÆSARIENSIS EPISCOPI

COMMENTARIA IN HESAIAM.

CAPUT I.

—

« Visio quam vidit Hesaïas filius Amos, quam vidit contra » Judæam, et contra Jerusalem, regnantibus Ozia, Joatham, » Achaz et Ezechia, qui regnaverunt in Judæa. Audi cœ- » lum, et auribus percipe terra, quia Dominus locutus » est. Filios genui et exaltavi : illi autem spreverunt me [1]. » Homo ex anima et corpore constitutus est : caro ex terra, anima cœlestis exsistit. Quia vero cum utroque eorum cognationem habet homo, circa ea quæ ipsi maxime propria sunt testimonio suo ipsum coarguit : « Filios genui et exal- » tavi. » Generationis duæ species sunt, quarum alia est, illa secundum Deum forma, quæ ex operibus et ex mandatorum perceptione perficitur : qua ratione Paulus discipulos suos per Evangelium gignit. « Cognovit bos posses- » sorem, et asinus præsepe Domini sui, Israël autem me » non cognovit, et populus me non intellexit[2]. » Bos quidem et asinus ex naturali instinctu eos, qui alimentum sibi sup-

[1] Isa., I, 2. — [2] Id., ibid., 3.

peditant, cognoscunt : qui vero tanta a Deo providentia dignati sunt, ut non modo rationabiles essent, sed etiam populus Dei vocarentur, filiorumque nomine ornarentur, non pari atque bruta jumenta modo eum qui se genuit, enutrivit, honoravit et exaltavit, Dominum agnovere. His porro arbitror propheticè subindicari, fore ut Judæi illum, qui Christus Dei et ipse Dominus, quique apud illos, præ aliis omnibus gentibus, homo peregrinatus est, non susciperent, neque cognoscerent, nec mente intelligerent.

« Væ genti peccatrici, populo pleno iniquitate, semini » malo, filiis iniquis. Dereliquistis Dominum, et irritastis » sanctum Israël : abalienati sunt retrorsum[1]. » Ideo ergo Judæorum gentem coarguit miseramque prædicat Spiritus sanctus, quia omnium plane gentium deterior est, et quia illi neque ex adoptione, neque ex honore divinitus sibi collato, exaltati videlicet, ac præcellentibus muneribus ab eo donati, quidpiam utilitatis perceperunt : imo vero ne ex plagis quidem et castigationibus, queis a Deo frequenter vi amoris permoto, impietatis suæ causa affecti sunt, resipuerunt : nam « Quem diligit Dominus, castigat, flagellat » autem omnem filium, quem accipit[2]. » Quis autem ille fuit, quem dereliquerunt, nisi Christus, quem quia irritaverunt et dereliquerunt, ea quæ subsequuntur perpessi sunt? « Quid adhuc percutiamini adjicientes iniquitatem? » Omne caput in labore, et omne cor in tristitia; a pedibus » usque ad caput non est in eo sanitas. Vulnus, livor, plaga » tumens. Non licet malagma imponere, neque oleum, ne- » que ligamenta[3]. » Qui fieri poterat, ut aliud ad sanitatem et salutem restituendam pharmacum reperirent, qui Dominum abnegarant : quem non noverunt nec intellexerunt advenisse sibi animarum medicum, qui solus omnem morbum et omnem animarum infirmitatem curare poterat?

[1] Isa, I, 4. — [2] Prov. III, 12. — [3] Isa, I, 5 et 6.

« Terra vestra deserta, civitates vestræ succensæ igni : » regionem vestram coram vobis alieni devorant : et deso- » lata est, eversa a populis alienis, sicut tabernaculum in » vinea, et sicut tugurium in cucumerario, sicut civitas » obsessa[1]. » Ad custodiam fructuum in vineis nascentium figuntur tentoria. Cum ergo vinea propriis fructibus probe instructa est, omni cura et sollicitudine tentorium servatur; ita ut custos diligenter prospiciat, ne qui in via prætereunt, fructus ejus decerpant. Cum autem vinea infructuosa est, illud a custode, ut consentaneum est, negligitur. Quamobrem Israeliticum populum derelictum iri interminatur, utpote qui consentaneum fructum non emittat. Timendum itaque nobis est, ne infructuosi simus, ut ne ex ira Dei deseramur. Spiritus sanctus est qui nos custodit. Cum igitur anima fructus æternorum penuariorum dignos profert, tum permanet ille custos, et singularis feri insidias procul abigit; cum autem uvam fellis et botrum amaritudinis profert, infructuosam animam ille deserit : et tunc in quemvis brutum cogitatum, et in quamvis irrationabilem concupiscentiam decidit illa. Plerumque porro Scriptura Israelem vineam tropicè nuncupat; ut, « Vineam » ex Ægypto transtulisti[2]; et, Vinea facta est dilecto : et, » Ego autem plantavi te vineam fructuosam, totam veram[3]. » Quod si Israel vinea fuerit, tabernaculum sane ejus domus Templi erit : nam tabernaculum gloriæ dicitur, et, « Tabernaculum, ubi habitavit in hominibus[4]. » Donec itaque multum fructum protulit, tabernaculum ad fructuum custodiam substitit : quia vero qui plantavit eam, expectavit ut faceret uvam, fecit autem spinas, quibus Dominum coronarunt, tota conversa est in amaritudinem : fecit enim uvam fellis et botrum amaritudinis : ideoque in potum

[1] Isa. 7 et 8. — [2] Psal. LXXIX, 9. — [3] Ier. II, 21. — [4] Psal. LXXVII, 60.

Domino fel dederunt; ea sane de causa tabernaculum vineæ derelictum est : nam « Ecce, *inquit*, relinquetur vobis domus vestra deserta [1]. » Tunc vere impleta est illa comminatio, etenim « Derelicta est sicut tabernaculum in vinea:» exinde vero nubibus mandavit ne pluerent super vineam. Idcirco non ultra Prophetæ penes illos sunt, non cœlestis gratia; sed conversa est in aridam et in conculcationem; sepes templi illius destructæ sunt, necnon sanctarum virtutum propugnaculum : ac etiamsi quidpiam secundum legem agant, id illis in perniciem vertit. « Et sicut tugurium, *ait*, in cucumerario. » His itaque significat omnimodam apud illos fructuum vacuitatem : donec enim bonis fructibus implebatur, custodem ad præsidium obtinebat eum, qui structo tabernaculo, è sublimi observat et respicit vineam. Quod si fructus ejus auferatur, tunc custos, ne in vanum laboret, tabernaculum desertum relinquens, abscedit a custodia.

« Et nisi Dominus Sabaoth reliquisset nobis semen, » quasi Sodoma fuissemus, et Gomorrhæ similes essemus. » Audite verbum Domini, principes Sodomorum, attendite legi Dei, populus Gomorrhæ [2]. » Quia de patrum virtute gloriantes, magnum sapiebant, utpote qui Abrahæ semen et Israelis nepotes essent; illorum arrogantiam jure deprimit, vanamque eorum opinionem de medio tollit, dum præclari illius Israelis principes, Sodomorum principes nuncupat, et populum illum Dei, populum Gomorrhæ vocat; utpote qui ob paria studia illis olim impiis similis evaserit : sive illos principibus Sodomorum, et Gomorrhæ comparat, ob venturum illis excidium; ut accidit populis Sodoma et Gomorrham incolentibus, qui omnium hominum impiissimi olim fuisse memorantur.

« Quid mihi multitudo sacrificiorum vestrorum, dicit

[1] Matth., XXIII, 38. — [2] Isa, I, 9 et 10.

»Dominus? Plenus sum holocaustis arietum : et adipem »agnorum, et sanguinem taurorum et hircorum nolo, nec »veniatis in conspectum meum. Quis enim requisivit hæc »de manibus vestris[1] ?» Eos itaque sermo respicit, qui atrocia contra Dominum aggredi ausi, sacrificiis, libaminibus aliisque secundum legem corporeis ministerii Deum se placare posse putant : aitque, « quid mihi multitudo »sacrificiorum vestrorum? » et cætera. « Calcare atrium »meum non adjicietis. Si tuleritis similam, vanum thymia»ma, abominatio mihi est. Neomenias vestras, et sabbata, »et diem magnam non fero : jejunium et cessationem et »neomenias vestras et solemnitates vestras odit anima mea. »Facti estis mihi in satietatem : non ultra tolerabo peccata »vestra. Et cum extenderitis manus vestras ad me, aver»tam oculos meos a vobis : et si multiplicaveritis supplica»tionem, non exaudiam vos : nam manus vestræ sanguine »plenæ[2]. » Sed quia non cognoverunt Dominum, et quia non intellexerunt eum, quia dereliquerunt eum, et irritaverunt sanctum Israël: et ad hæc omnia, quia manus eorum sanguine plenæ fuerunt, ob cædem Christi, quam post sexcentos interemptos Prophetas, perpetrarunt, et sanguine repleti sunt; his omnibus recensitis, necnon legis solutione, templi excidio, ac omnimodis suppliciis, peccati, cujus causa hæc perpessi sunt, speciem edocet : ipsosque accusat, non de idolorum cultu, non de adulterio, nec de avaritia; sed de cæde. Nam omni impietate et iniquitate deterior est eorum contra Dominum insania : hæc quippe vox illorum est, « Sanguis ejus super nos et super »filios nostros[3]. » Hic sanguis illos pristinis optimisque possessionibus privavit : hic sanguis illos per totum orbem inquilinos effecit.

« Lavamini, mundi estote, auferte malitias de animabus

[1] Is., I, 11 et 12. — [2] Id., ibid., 13, 14 et 15. — [3] Matth. XXVII, 25.

» vestris ab oculis vestris : quiescite a malitiis vestris, dis-» cite bene facere [1]. » Admodum consequenter postquam prima dixerat Deus, his item memoratos Sodomorum principes, ac populum Gomorrhæ in spem bonam transfert et evocat; si malitiam deponentes, et a voluntario illo secundum corpoream legem cultu abscedentes, novo Testamento, novæque legi et verbo obsequentes fuerint. Quamobrem postquam ea, quæ veteris Testamenti erant, carptim tetigit, novi Testamenti mysteria inducit. Quæ ipse in Evangeliis tradidit, dicens, « Nisi quis renatus fuerit ex aqua » et Spiritu, non intrabit in regnum cœlorum [2]. »

« Quærite judicium, liberate oppressum, judicate pu-» pillo, defendite viduam. » Id est, a malitia translati, ne in eo steteritis; sed vitam virtute ornatam suscipite. « Et venite » et disceptemus dicit Dominus : et si fuerint peccata ves-» tra ut purpura, quasi nivem dealbabo; et si fuerint ut » coccinum, quasi lanam dealbabo [3]. » Deinde quasi in tribunali ego et vos disceptemus : ego quidem enumerans quanta sim a vobis perpessus, et quanta vobis munera contulerim : ac quomodo post tanta facinora, omnium malorum vestrorum oblitus, vestras prædicto sanguine purpureas animas emundaverim, ac per lavacrum regenerationis nive splendidiores illas constituerim, vos autem, si aliqua contra tantam gratiam adest ratio, eam publice proferte. « Et si volueritis et audieritis me, bona terræ comedetis; » quod si nolueritis, nec audieritis me, gladius vos devo-» rabit : nam os Domini hæc locutum est [4]. » Hîc quasi Judæos alloquens, ipsos ceu infantes per corpoream promissionem hortatur, ut dictis obtemperent; at secundum veram intelligendi rationem, cum terra pro anima reputanda sit, secundum Salvatoris parabolam : quæ terra cœleste

[1] Isa., I. 16 et 17. — [2] Joan. III, 5. — [3] Isai, I, 18. — [4] Id., ibid., 19 et 20.

semen suscipere dicitur; hinc consequitur animæ bona hic esse intelligenda, scilicet profectum et perfectionem secundum virtutem acceptam, vel bona ipsi in regno cœlorum promissa. Quapropter secundum litteram quidem, verba rerum eventus mox consecutus est; nam confestim, nec multo post elapso tempore, immorigeri illi gladio inimicorum traditi sunt, irrumpentibus Romanis ac belli lege cunctis in captivitatem redactis; quod si diabolicus gladius fuerit, huic quoque dediti sunt, quod vocanti gratiæ Dei non obtemperarent.

« Quomodo facta est meretrix civitas fidelis Sion, plena » judicii? in qua justicia dormivit, nunc autem homicidæ [1]. » Quem prophetarum non interfecerunt patres vestri et » vos [2]? Docet igitur olim quidem civitatem incoluisse fideles viros, quorum causa civitas fidelis vocabatur, ac si quis diceret, civitas fidelium; imo etiam plena judicii erat et justitiæ, utpote quæ probarum olim animarum domicilium fuerit: quare justitia in ea dormivisse, id est, inhabitasse et quievisse dicitur. Olim quippe talibus plena viris erat; ut fortasse tempore Davidis, qui primus urbem eripuit ex manibus Allophylorum, arcam Dei et tabernaculum ibi posuit, in eaque ipse habitavit, regiamque constituit; ita ut civitas David appellaretur.

« Argentum vestrum non probatum: caupones tui vi» num aqua miscent [3]. » Eratque argentum eorum non probatum, quia postquam fornicarii et homicidæ sunt effecti, se veræ religionis verbum annuntiare et divinas Scripturas interpretari simulabant, dum fabulosas deuteroses ad lectionis explicationem adhiberent. Doctores vero ipsorum, qui doctrinam cauponabantur, è re caupones dicti sunt, qui vinum aqua miscebant, dum sermone in aquam reso-

[1] Isa., I, 21. [2] Act. VII, 52. [3] Isa., I, 22.

luto, meram et restrictam divinarum Scripturarum mentem, per commentitias suas deuteroses fœdarent.

« Principes tui non obtemperant, socii furum [1]. » Sic vocati a Servatore non obtemperabant : in summa, Deo repugnant, declinantes ab eo, et in præceptis ejus non manentes, « diligentes munera, retributionem persequen» tes, pupillo non judicantes, et causam viduæ non atten» dentes : » Cum proditore Juda furante concurrentes, juris æquitatem donis venumdabant. « Propterea hæc dicit Do» minus Dominus Sabaoth : Væ potentibus Israel : non » cessabit enim furor meus in adversariis, et judicium de » hostibus meis faciam. Et inferam manum meam contra » te, et inflammabo te ad purum : immorigeros autem per» dam et consiliarios tuos sicut a principio [2]. » Inflammabo te igitur ad purum; id est, ad purgandum et discernendum improbos ab urbanis. Quare secundùm Symmachum dicitur « et inflammabo ad purum scoriam tuam ; » secundùm Aquilam vero, « Et inflammabo ad purum acinum tuum. » Quemadmodum enim qui æs et ferrum igne purgant, scoriam abjiciunt, et qui botros vineæ in torcularibus premunt, acinum et superflua calcatarum uvarum expellunt ; eodem, *inquit*, modo et ego inflammabo ad purum acinum tuum.

« Et post hæc vocaberis civitas justitiæ, metropolis » fidelis Sion, nam cum judicio salvabitur captivitas ejus [3]. » Communem civitatem postea constituendam alloquitur, quam justitiæ civitatem vocat, et metropolim fidelem Sion, piæ religionis institutum et cœtum hoc nomine exornans. Sane vero ille olim apud Judæos sapiens exciderat ; nunc autem in universa terra per Christi Ecclesiam erigitur, fundatus supra petram. Hi vero sunt pulchræ civitatis præsules, judices et consiliarii : qui initium ab Apo-

[1] Isa., 1, 23. — [2] Id., ibid., 24, 25 et 26. — [3] Id., ibid., 27.

stolis et Discipulis Salvatoris nostri acceperunt; ex eorum vero successione etiamnum, quasi ex bono semine orti resplendent, Dei Ecclesiæ præsides constituti. Etenim qui apud Deum salute digni judicati fuerint, ii, inquit, soli promissa consequentur: dum Judæi frustra imaginantur totius gentis suæ conversionem fore. Liberationem autem a captivitate intelligendum est esse mutationem animarum ab errore ad veram Dei cognitionem: quam Salvator declaravit, cum, accepto in synagoga Hesaïæ libro, lectaque clausula ex persona ejus hæc dicente, « Spiritus Domini super me, eo quod unxerit me, evangelizare pauperibus misit me [1], etc. replicato libro intulit, «Hodie hæc Scriptura impleta est in auribus vestris, » docens se redemptorem humanarum animarum esse. «Et conterentur, » iniqui, et peccatores simul, et qui dereliquerunt Domi» num conficientur [2]. » Sed de medio tollendos esse ait nequitiæ doctores. Quinam vero ii essent, in præcedentibus declaratur his verbis: « Væ genti peccatrici, populo pleno » iniquitatis. Quia confundentur super idola sua, quæ ipsi » volebant, et confundentur super hortos suos, quos con» cupierunt [3]. » Cæterum pudoris sensus, quem de fœdis suis gestis percepturi sunt, impudenti et inverecundo eorum proposito mutationem adferet.

« Erunt enim sicut terebinthus defluentibus foliis, et » sicut paradisus sine aqua [4]: » qui olim erant vinea Domini Sabaoth, et oliva umbrosa. Si quis enim respexerit ad promissa, quæ in divinis Scripturis penes illos habentur, ad legalium et propheticarum scripturarum lectiones, ad librorum tam historicorum, quam metricorum concentum, modos et psalmodias; is vere paradisum, et pratum bonis omnibus repletum videat. Quod si quis apud illos animatum, fertile ac vivens Verbum quæsierit, ex quo quisquis biberit, ha-

[1] Luc. IV, 21. — [2] Isa., I, 28. — [3] Id., ibid., 29. — [4] Id., ibid., 30

bebit fontem aquæ vivæ, salientis in vitam æternam; neutiquam inveniat.

« Et erit fortitudo illorum ut calamus stuppæ, et opus » eorum ut scintillæ : et comburentur iniqui et peccatores » simul, et non erit qui extinguat[1]. » Non frumenti, aut alterius cujuspiam necessariæ rei, calamus, quia ablatus est ab illis robustus et robusta, robur panis, etc. Ideo dicere nequeunt perinde atque Christi Discipuli, « Omnia » possumus in eo, qui nos confortat Deo[2] » et, « Quis nos » separabit a caritate Christi? tribulatio, an augustia[3]? » et cætera. Ita porro fortitudo eorum ut calamus stuppæ facta est; ut non modo libertatem, qua prius proprio jure ac regno utentes florebant, amitterent; sed etiam quibusvis Romanis militibus servirent. Eorum quippe opera ignis causa fuerunt : quippe qui non aurum, non argentum, non lapides pretiosos, sed lignum tantum et calamum ædificarent. Videne quomodo flammas et incendium comminetur ipsis? Et hic finis est præsentis contra illos prophetiæ : cujus eventus statim, neque ita multo post perpetratum contra Salvatorem nostrum facinus, ad litteram contigit, cum eorum Metropolis incendio tradita est, et impii homines in ea commorantes ex scintillis suis ignem inexstinguibilem ac æternum, iramque Dei in diæ iræ sibi recondiderunt.

[1] Isa., I, 31. — [2] Philip. IV, 13. — [3] Rom. VIII, 35.

CAPUT II.

« Verbum quod factum est a Domino ad Hesaïam filium » Amos circa Judeam et Jerusalem : quia erit in novissimis » diebus conspicuus mons Domini et domus Dei supra ver- » ticem montium : et elevabitur super colles : et venient » ad eum omnes gentes. Et ibunt populi multi et dicent; » Venite ascendamus ad montem Domini et ad domum » Dei Jacob : et annuntiabit nobis viam suam, et incedemus » in ea. Nam ex Sion exibit lex, et verbum Domini ex Jeru- » salem. Et judicabit inter gentes, et arguet populum multum » ipse [1]. » Ipse autem judicavit inter gentes, eos qui se digni erant sibi segregans, vocatosque a non vocatis seligens. Sic itaque lex Evangelica, in medio gentium dijudicans, multum populum coarguit; sive iis, qui in se crediderunt de pristino errore suo convictis ; sive iis, qui non crediderunt, ut suapte culpa pereuntibus, confutatis.

« Et confringent gladios suos in aratra, et lanceas suas » in falces : et non levabit gens contra gentem gladium, » et non exercebuntur ultra ad prælium [2]. » Non ultra bellicam artem ediscunt, in qua se prius a puero, quasi necessaria, per agros et urbes exercebant, vicinorum hostium formidine commoti. Imo etiam qui Dominum nostrum Jesum Christum susceperunt, omni præliandi studio exempti, in pace demum versantur; ita ut non ulterius ab adversariis potestatibus oppugnentur, neque Dæmonibus

[1] Isa., II, 1, 2, 3 et 4. — [2] Id., ibid., 4.

in se olim imperium obtinentibus subditi sint. Quibus Servator ipse pacem procurans suam ait, « Pacem meam » do vobis[1]. »

« Et nunc domus Jacob, venite, ambulemus in lumine » Domini[2].» Consequenter itaque propheta, postquam gentium vocationem, et effusam in omnes homines pacem recensuit; suum erga familiares suos affectum commonstrat : populum suum commonefaciens, ut Christi gratiam omnibus gentibus datam et lumen evangelicum suscipiat : seseque, ad concitandum instigandumque populum, iisdem annumerat, auctorque est ut lucem Domini adeant. Lucem porro Domini vocat legem novi Testamenti ex Sion prodeuntem, et salutare evangelicumque verbum.

« Dimisit enim populum suum, domum Israël : quia re» pleta est ut a principio terra eorum vaticiniis, ut terra » alienigenarum : et multi filii alienigenæ facti sunt eis[3]. » Hic quasi Deo defensionem parans, causam affert cur eos dimiserit, his verbis, « Quia repleta est ut a principio, terra » eorum vaticiniis, » et cætera : quibus declarat ipsum non sine causa eos dimisisse. « Repleta est enim terra eorum ar» gento et auro, et non erat numerus thesaurorum illorum : » et repleta est terra equis, et innumerabiles currus ejus : » et repleta est terra abominationibus operum manuum » eorum. Et adoraverunt ea quæ fecerunt digiti eorum : et » incurvavit se homo, et humiliatus est vir[4].» Eorum quorumnam, nisi alienigenarum habitatorum qui adoraverunt ea quæ fecerunt digiti eorum? Hæc porro omnia gentes significant alienigenas, quæ in Jerusalem et in Judæa habitaturæ erant. Quæ post Salvatoris nostri adventum, et post emissam lucem evangelicam, quæ illuminavit omnes gentes, completa sunt : quia Prophetam non audierunt,

[1] Joan. XIV, 27. — [2] Isa., II, 5. — [3] Id., ibid., 6. — [4] Id., ibid., 7, 8 et 9.

se ita compellantem, « Venite ambulemus in lumine Do»mini. »

« Et nos dimittam eos : et ingredimini in petras, et abs»condimini in terra a facie timoris Domini et a gloria for»titudinis ejus : cum surrexerit ad conterendam terram. »Nam oculi Domini sublimes, homo autem humilis. Et »humiliabitur altitudo hominum, et exaltabitur Dominus »solus in die illa : dies enim Domini Sabaoth super omnem »contumeliosum et superbum, et super omnem excelsum »et sublimem, et humiliabuntur[1]. » Quæ puto dedie judicii prolata fuisse. Quamobrem non de Judæis tantum hæc vaticinatur; sed universim de omnibus hujusmodi hominibus. Prænuntiat itaque evertendam esse apud homines idololatriam, solumque in hominibus exaltandum Dominum esse, depressa omni contra Dei cognitionem insurgente celsitudine. « Et super omnes cedros Libani excelsas et sublimes, »et super omnem quercum Basan, et super omnem montem »excelsum, et super omnem collem excelsum, et super om»nem turrim sublimem, et super omnem murum excelsum, »et super omnem navem maris, et super omnem aspectum »pulchritudinis navium : et humiliabitur omnis homo, et »cadet altitudo virorum[2]. » Injiciam in eos rete meum, ipsosque instar volucrum cœli detraham. Fortasse vero omnium perniciem in illa exspectata Domini die fore vaticinatur, hisque obscure subindicat principes hujus sæculi, celsitudines, dignitates, principatus et potestates, hujusque mundi rectores, qui Deum non noverunt.

« Et exaltabitur Dominus solus in die illa, et omnia ma»nufacta abscondent, inferentes in speluncas, et in scissu»ras petrarum, et in foramina terræ a facie timoris Domini, »et a gloria virtutis ejus : cum surrexerit ad percutiendum

1 Isa., II, 10, 11 et 12. — 2 Id., ibid., 13, 14, 15, 16 et 17. — 3 Id., ibid., 18 et 19.

» terram[3]. » Quinetiam impii adveniente Domini die, opiniones suas, quas circa pluralitatis Deorum errorem mente prius tenebant, in discissis et diruptis mentibus suis occultabunt atque omnem mendacem de idolis opinionem eliminabunt et abjicient ex cogitatione sua. « Nam in die illa » ejiciet homo abcminationes suas argenteas et aureas quas » fecit, ut adoraret vana et vespertiliones, ut ingrediatur in » foramina duræ petræ, et scissuras petrarum a facie timo» ris Domini, et a gloria fortitudinis ejus, cum surrexerit » ad conterendam terram[1]. » Dum Jerusalem idola coleret, imo potius cum tota Judæa incenderetur, in Judæa diffusum quodammodo est Babyloniorum bellum : qui, illa penitus vastata, captos viros interfecerunt ; mulieres vero et pueros in terram suam transtulerunt. Cæterum cum talis irruptio prænuntiata fuisset et futura esset, tanto Judæi metu perterriti sunt, et in tantas angustias redacti, ut in speluncis, et in montium scissuris sese occultarent, et invia loca peterent, cum manus eorum ad obsistendum invadentibus prorsus debiles essent.

CAPUT III.

« Ecce Dominus Sabaoth auferet a Judæa et a Jerusalem, » robustum et robustam, robur panis et robur aquæ, gi» gantem et fortem virum, bellatorem, et judicem, et pro» phetam, et ariolum, et senem[2]. » Id porro continget illis, non ob idololatriam, nec ob alia quædam facinora : sed ob solum consilium vere impium, nefarium et improbum

[1] Isa., II, 20 et 21. — [2] Id., ibid., 1 et 2.

contra Dominum initum. Animadverte igitur quo pacto post illas omnes adversus illos intentatas minas, his verbis inferat, « Peccatum autem eorum, quasi Sodomorum, » annuntiaverunt et declaraverunt. Væ animæ eorum, quia » inierunt consilium malum contra seipsos, dicentes, alli- » gemus justum, quia difficilis nobis est. » Hæc quippe causa minarum omnium erat. Hinc porro sine controversia probari æstimo hæc post Salvatoris adventum finem accepisse. Confertim ergo et una secundum prophetiam, omnia ab Jerusalem et a Judæa defecerunt et ablata sunt, non alio, quam structarum contra Salvatorem nostrum insidiarum tempore. Ac primo ablati sunt robustus et robusta, sive secundum Aquilam, « Fulcrum et fulcimentum »; vel secundum Symmachum, « Sustentaculum et » sustentatio. » Quod intelligas secundum apostolicum sermonem, qui homines sancta vita exornatos, columnas et firmamentum vocavit. Et quidem etiam apud priscum illum populum, quidam erant, qui pro totius gentis sustentaculo haberi poterant : quos de medio eorum tollendos esse comminatur.

Robur panis et robur aquæ. Hæc vero spirituali more accipiens, advertas velim, non panem, non aquam auferendam esse dici; sed robur panis et robur aquæ, quod ex alterius Prophetæ verbis intelligas : « Ecce, *inquit*, dies ve- » niunt, dicit Dominus : et mittam famem super terram; » non famem panis, nec sitim aquæ; sed famem audiendi » verbum Domini [1]. » Est igitur animæ panis, sermo quispiam alendi vi præditus; similiterque potus rationabilis : quorum etsi Judæi se participes esse putent, dum divinas Scripturas transcurrunt, et circa disciplinam promissionesque earum studiose versantur : at robur nutrientis sermonis, vivificæque terræ alimentum, nemo apud ipsos reperiat.

[1] Amos VIII, 11.

Panem ergo sensilem neutiquam memorat; nec aquam itidem quæ triti ac communis sint usus; sed illum potius panem, de quo ait David, « Panem cœli dedit eis, panem angelorum manducavit homo [1]. » Aquas item ipsum meminisse dicimus spirituales, de quibus idem Hesaïas propheta alibi talia fatur, « Et haurient aquam cum gaudio de fontibus » salutaris [2] : » quin et ipse Salvator, « omnis qui bibit ex hac » aqua, sitiet iterum ; qui vero biberit ex aqua quam ego » dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam [3]. » Hujus porro Prophetæ ea de re voces accurate intelligas : non enim simpliciter dixit, auferendum a Judæis esse panem et aquam ; sed robur panis et robur aquæ : parque est ut nos eum quidpiam simile edocere arbitremur. Nos quippe in sacris sermonibus versantes, ac divinas scripturas persæpe legentes, ac demum ipsas intelligentes, hic spiritualis panis vim intelligimus : « Non enim in pane solo, *ait*, » vivet homo; sed in omni verbo quod egreditur per os » Dei [4]. » Aquas pariter spirituales intelligas oportet. Judæi sane panem et aquam habent hactenus, nam Moysis scripta curiosiùs evolvunt, legemque perlegunt ; quia vero nihil intelligunt, robur panis non habent, neque robur aquæ obtinent. Sola quippe et nuda littera concessa illis est, quæ quidem aliquam panis et aquæ rationem et opinionem habeat, neque tamen illos ullatenus alat ad bonam spiritus valetudinem. Quam rem Paulus testificatur, his verbis, « Sed usque in hodiernum diem, cum legitur Moyses, ve- » lamen positum est super cor eorum [5], » non revelatum, quia in Christo aufertur. Alio item modo dicimus ablatum fuisse a Judæorum synagoga robur panis et robur aquæ : sermo autem mysticus est. Nos quippe qui per fidem vocati sumus ad sanctificationem, panem habemus de cœlo, sci-

[1] Psal. LXXVII, 24. — [2] Isa. XII, 3. — [3] Joan. IV, 14. — [4] Matth. IV, 4. — [5] II Cor. III, 15.

licet Christum, sive corpus ejus. Quod si quis quærat, quodnam sit robur ejus; dicimus, vivificum esse: nam dat vitam mundo. Accedimus similiter ad gratiam sacri baptismi: ac dicimus aquæ nos sanctificantis robur esse, peccatorum depositionem, regenerationem spiritualem ad conformationem in ipsum Christum; ad hæc vero, fiduciam ingrediendi in regnum cœlorum: nam ait, « Nisi quis renatus » fuerit ex aqua et spiritu, non potest intrare in regnum » cœlorum [1]. » Judæi autem his bonis privantur: non enim penes illos est robur panis, id est, vivificatio in Christo: neque item robur aquæ obtinent: nam penes illos peccatum sine ablutione remanet; neque ad regnum cœlorum tendunt, qui Christum eò ducentem dedecore affecerint. Neque enim crediderunt dicenti, « Ego sum via, et ego sum » ostium [2]. »

« Et principem super quinquaginta, et admirabilem consi» liarium et sapientem architectum et prudentem auditorem. » Et constituam pueros principes eorum, et derisores do» minabuntur eis [3]. » Quis ergo, conspectis iis qui apud Judæos Patriarchæ vocantur, non vere pueros, non corporea statura, sed animi imperfectione, ac mentis indigentia, nuncupet? reliquosque eorum doctores, non derisores dicat, et quales hîc Propheta significat? « Et irruet populus, » homo ad hominem, et homo ad proximum suum [4]: » quod nullus ordo esset, neque verbum Dei in illis versaretur. « Quia apprehendet homo fratrem suum, aut domesticum » patris sui, dicens, vestimentum habes, princeps esto » nobis, et cibus meus sub te sit. Et respondens in die illa » dicet, Non ero princeps tuus: non enim in domo mea est » panis, neque vestimentum. Non ero princeps populi hujus: » quia relinquitur Jerusalem, et Judæa corruit [5]. » Quare in

[1] Joan. III, 3. — [2] Joan., XIV, 6, et X, 7. — [3] Isa., III, 3 et 4. — [4] Ib., 5. — [5] Ib., 6, 7 et 8.

tantam mentis penuriam et indigentiam venturos illos esse dicit; ut neque vestimentum, neque panem habeant, ita ut vestimentum spiritualiter accipi possit, pro decoro ornatoque sermone, qui animæ eorum turpitudinem obtegat; panis autem intelligi possitis, qui animam enutriat.

« Et linguæ eorum cum iniquitate, Domino non obtem» perantes : quoniam nunc humiliata est gloria eorum. » Annon linguas suas exacuerunt contra Dominum, quando hasce impias emisere voces, « Tolle, tolle, eum[1]; et, San» guis ejus super nos et super filios nostros?[2] » Tunc revera lingua eorum et studia eorum, secundum Aquilam, contra Dominum fuere, ad exacerbandum illum, secundum Symmachum.

« Et linguæ eorum iniquæ : quæ Domini sunt non cre» dunt. Itaque nunc humiliata gloria eorum, et confusio » vultus eorum, et confusio vultus eorum restitit eis. Pecca» tum autem suum, quasi Sodomorum prædicarunt et pu» blicarunt. Væ animæ eorum quia inierunt consilium malum » contra se, dicentes, Alligemus justum, quia inutilis est » nobis. Itaque fructus operum suorum comedent. Væ iniquo, » mala pro operibus manuum ejus evenient ei. Popule meus, » exactores vestri demetunt vos, et exigentes dominantur » vobis. Popule meus, qui beatos vos prædicant, decipiunt » vos, et semitam pedum vestrorum turbant[3]. » Cum Judaïci populi principes, Judæorum bona sibi colligere vellent per primitias et decimas, aliasque res sibi, utpote principibus et doctoribus, oblatas, non sinebant eos ad Christi cognitionem accedere. Cum ergo supra memorata lucra exigerent; ideo peccantes non coarguebant; sed omnia ad adulationem in colloquiis temperantes, beatos eos prædicabant; et recta via ad salutare verbum ducente, avertentes, gressus animæ eorum deviabant.

[1] Joan. XIX. 15. — [2] Math. XXVII. 25. — [3] Isa., III. 9, 10, 11 et 12.

XIX. 15 25

« Sed nunc constituetur in judicium, sistet in judicium » populum suum : ipse Dominus in judicium veniet cum » senioribus populi et cum principibus ejus[1]. » Admodum consentaneè, postquam primum Salvatoris adventum, ac principum populi eversionem vaticinatus est, secundi adventus ejus notitiam tradit his verbis : « Ipse Dominus » veniet in judicium, etc. Vos autem incendistis vineam » meam, et rapina pauperis in domibus vestris » : Quos ut tribunali Domini adstantes objurgat, et ipsos coram coarguit. Populum autem suum et vineam suam incensam vocat eos, qui ex rapina et perversitate doctorum decepti sunt : quos evocans et ad se reducens, a perversa memoratorum hominum doctrina avertit.

« Quid vos injuria afficitis populum meum, et vultum » pauperum confunditis[2] ? » Mos est iis qui injuriam inferunt, et abripiunt, ut cum a læsis expostulantur, contumeliis et convitiis ipsos confundant, vilipendentes ac plagas comminantes. Hoc igitur ait, congruentem vobis ex illata injuria pudorem, tyrannica vi utentes in pauperes refunditis. « Hæc dicit Dominus : Pro eo quod elevatæ sunt filiæ Sion, » et ambulaverunt erecto collo, et nutibus oculorum, et » gressu pedum simul trahentes tunicas, et pedibus simul » ludentes : et humiliabit Dominus Deus principatum agentes » filias Sion : et Dominus revelabit habitum earum[3]. » Possunt hæc, non de mulieribus tantum, sed de mollibus etiam et effeminatis animabus, dicta fuisse.

[1] Isa., III, 13 et 14. — [2] Ib., 15. — [3] Ib., 16 et 17.

CAPUT IV.

« Et apprehendent septem mulieres hominem unum, » dicentes, Panem nostrum manducabimus, et vestimentis » nostris operiemur : cæterum nomen tuum vocetur super » nos [1]. » Nihil enim aiunt deesse sibi, nisi nomen ejus tantummodo, et ut patronum habere videantur. Quamobrem eum, utpote qui, multis in perniciem datis, perrarus sit relictus, sic alloquuntur, «Cæterum nomen tuum vocetur super nos, » et cætera. « In die illa illucebit Deus in consilio cum gloria » super terram, ad exaltandum et glorificandum quod dere- » lictum est ex Israël. Et erit quod relictum est in Sion, et » quod relictum in Jerusalem, qui vocabuntur omnes, qui » scripti sunt in vita in Jerusalem [2]. » Licet autem ipso opere perspicere, quomodo primi ex Israële, qui in Christum crediderunt, Apostoli, Disciputi et Evangelistæ Servatoris, exaltati et gloria affecti sunt; ita ut ubique terrarum ac per universum orbem conspicui evaderent : et ad hoc usque tempus apud omnes gentes, tam Græcas quam Barbaras, nomen et doctrina eorum celebretur. Hi ergo soli, Sancti vocabuntur, qui digni habiti sunt ut scriberentur in æterna vita cœlestis Jerusalem. His porro adde Salvatoris nostri vocem ad Apostolos emissam, qua dicitur [3], « Quia nomina vestra scripta sunt in cœlis. »

« Quia abluet Dominus sordes filiorum et filiarum Sion, » et sanguinem Jerusalem purgabit ex medio eorum in spi- » ritu judicii, et spiritu combustionis. Et veniet, et erit

[1] Isa., IV, 1. — [2] Luc. X, 20. — [3] Isa., IV, 2 et 3.

»totus locus montis Sion, et omnia quæ in circuitu ejus »sunt, nebula diei obumbrabit, et quasi fumo, et quasi »lumine noctu ardente, omni gloria obtegetur. Et erit in »umbram ab æstu, et in protectionem et absconsionem a »duritie et pluvia [1].» Lavacrum regenerationis, quod prius declarabat his verbis, *Lavamini, mundi estote*, etiam nunc aperte pollicetur. Hæc porro dicit de iis, qui cum cædis Christi participes fuissent, nec multum postea resipuerunt, et Evangelium ipsius agnoverunt. Hinc de filiabus Sion agit, quæ in superiori clausula incusabantur his verbis : «Quia exaltatæ sunt filiæ Sion, et erecta cervice incede»bant,» et cætera. Sanguinem vero Jerusalem miro sane modo vocat, cædem ibi in Servatore perpetratam : quia isthæc causa fuit extremæ loci illius vastationis. Et consideres velim, annon hic sermo apprime conveniat cum Evangelico illo testimonio de Servatore nostro, ubi sic habetur, *ipse vos baptizabit in Spiritu sancto et igne* [2]. Illud enim, *in Spiritu judicii et in spiritu combustionis*, nihil differt ab illo, *in Spiritu sancto et igne*. Ignei vero sermones illis admoti, peccatorum emundationem peragebant. Itemque Salvator noster in Evangelio dicitur baptizare non in aqua, sed in Spiritu et igne. Hoc enim edocet Joannes, de se quidem dicens, *ego vos baptizo in aqua* [3]; de Salvatore autem, *ipse vos baptizabit in Spiritu sancto et igne* [4].

[1] Isa., IV, 4, 5 et 6. — [2] Matth. III, 11. — [3] Joan. I, 26. — [4] Id., ibid., 33.

CAPUT V.

« Cantabo dilecto canticum dilecti mei, vineæ meæ. » Vinea facta est dilecto in cornu, in loco pingui[1]. » Hoc igitur cantico, quæ in vinea sua operatus est enumerat, vineæque improbitatem coarguit : ac ea quæ ipsi eventura sunt vaticinatur. Dicitur ergo in cornu esse, quia in ipsa Jerosolyma regia metropolis consistit : solet autem Scriptura cornua regni memorare. « Et sepem circumposui et » vallavi, et plantavi vineam Sorec : et ædificavi turrim in » medio ejus, et protorcular fodi in ea[2]. » Sepem vero circumposuit ei, videlicet omni populo, quem Angelis circumquaque munivit. Alio item modo vallavit eam, Prophetis et sanctis viris ipsam fulciens et sustentans. Quinetiam plantavit eam vineam Sorec, quam Symmachus interpretatur, electam. Quæ autem isthæc vinea erat, nisi plane Scriptura divinitus inspirata, et piæ religionis sermo, vel etiam ipsum Dei Verbum, quod in Evangeliis hæc de se docet ac loquitur, « Ego sum vitis vera, et Pater meus » agricola est[3]. » Ex ipso quippe prior item populus divinarum disciplinarum plantationem accepit. Protorcular autem fodit in ea, altare scilicet positum ante Templum.

« Et exspectavi ut faceret uvas, et fecit spinas. Et nunc » qui incolitis Jerusalem, et homo Juda, judicate inter » me et inter vineam meam. Quid faciam adhuc vineæ » meæ, quod non feci ei? quia expectavi ut faceret uvas, » sed fecit spinas? Nunc igitur annuntiabo vobis quid fa-

[1] Isa., v, 1. — [2] Ib., 2. — [3] Joan. xv, 1.

» ciam vineæ meæ : Auferam sepem ejus, et erit in direp-
» tionem : diruam maceriam ejus, et erit in conculcationem :
» et relinquam vineam meam, et non putabitur, neque
» fodietur, et crescent in ea, tamquam in inculta terra,
» spinæ. Et nubibus mandabo ne pluant super eam plu-
» viam[1]. » Nubes vocans Prophetas : quos ob puritatem et vitæ splendorem nubes appellat : horum enim opera cœlestis ipsis sermo dabatur : quibus Dominus se discessurum interminatur. « Exspectavi ut faceret judicium, fecit au-
» tem iniquitatem, et non justitiam, sed clamorem[2]. » Nam omne peccatum ad mortem, clamorem emittit, clamante vel ipsa actione : sic enim dictum est, « Vox sanguinis
» Abel fratris tui clamat ad me[3]. Ubi enim arant decem juga
» boum, faciet laguncnlam unam : et qui seminat artabas
» sex, faciet mensuras tres[4]. » Raros quosdam homines, qui apud ipsos salute digni reperientur, subindicat. « Væ iis,
» qui mane surgunt, et siceram persequuntur ; qui manent
» vespere : vinum enim comburet eos[5] » Apostolici dicti explanationem pars hæc prophetiæ continent : nam ideo, inquit, « Ebrii regnum Dei non possidebunt[6]; » id est, qui nondum juventutis insipientiam deposuerunt, et qui, cum turbulentos animi motus strenue oppugnare debeant, ab iis contra subvertuntur, et ceu quamdam ebrietatem, animi morbos sectantur. Verisimile porro est Judæos post editum contra Salvatorem nostrum scelus, cum par fuisset eos, ultionis qua invadendi erant metu, lugere ; crapulis, ebrietatibus, aliisque voluptatibus vacasse. Quapropter miseri a Scriptura prædicantur, utpote qui nullo mox futurorum malorum sensu moverentur. « Nam cum cithara,
» psalterio et tympanis vinum potant : opera autem Domini
» non respiciunt, et opera manuum ejus non considerant[7]. »

[1] Isa., v, 3, 4, 5 et 6. — [2] Ib., 7. — [3] Gen. iv, 18. — [4] Isa. v, 10. — [5] Ib., 11. — [6] I Cor. vi, 10. — [7] Isa., v, 12.

Verum nec fieri poterat, ut ii, qui lascivam vitam amplectebantur, ac ebrietati saltationibusque dediti erant, divinis attenderent oraculis, ab iisque fructum perciperent.

« Igitur captivus populus meus factus est, eo quod non » cognoverint Dominum : et multitudo mortuorum fuit » propter famem et sitim aquæ[1]. » Hæc ipsis ad litteram et secundum historiam evenerunt sub Vespasiano et Hadriano Romanorum imperatoribus; secundum mentem vero etiam nunc rationabili pane vitæ privati, fame cœlestis alimenti premuntur, secundum Scripturam de illis ita loquentem, « Convertentur ad vesperam, et famem patientur ut canis, » et circuibunt civitatem[2]. » Ac cum principem vitæ negaverint, in mortem animæ lapsi sunt : cumque Redemptorem captivitatis animarum, qui prædicatum venerat captivis remissionem, et cæcis visus restitutionem, aversati sint, inimicis spiritualibus traditi, et captivitatem animarum perpessi sunt.

« Væ qui dicitis malum bonum, et bonum malum; qui » ponitis tenebras lucem et lucem tenebras; qui ponitis » amarum dulce, et dulce amarum[3]. » Et hæc quoque præcedentibus subjiciuntur, quasi de tempore Christi dicta. Nam cum multos doctrinæ sermones a Salvatore audivissent, necnon postea ab Apostolis ejus; nihil hinc utilitatis consecuti sunt; sed in incredulitate et gestorum absurditate perseverantes, peccatis suis accessionem attulerunt. Alio item modo hæc iis, qui prius incusabantur, conveniunt; etenim iidem sanam doctrinam aversantes, et in lucem Evangelii salutaris blasphema proferentes, putantesque dulces illos ac alendi vi præditos Salvatoris nostri sermones, amaros esse, improbas e contrario et malignas cogitationes, ut bonas amplectebantur; ac tenebras erroris, quæ mentem suam occupabant, vice luminis ponebant :

[1] Isa., v, 13. — [2] Psal. LVIII, 7. — [3] Isa., v, 20.

malitiæ vero acerbam et exitiosam naturam, quasi dulcem aliquam voluptatem persequebantur. Et sane ad hoc usque tempus videas ejusdem moris Judæos esse : nam Evangelii veritatem aversantur; aniles autem fabulas, et ignorantiæ tenebras sectantur. Hoc affectu instructi, Christum quidem abnegarunt, Barrabam vero expetierunt, cum latronibus et facinorosis portionem suam ponentes. Imo etiam cum atheis et impiis nationibus congregati, idololatras quidem recipiunt, probum autem et temperantem Christi populum aversantur et persequuntur.

«Væ qui sapientes estis in vobismetipsis, et coram vobis »ipsis prudentes. Væ fortes vestri, qui bibunt vinum, et »potentes, qui miscent siceram[1].» Secundum aliud vero propositum, Judæorum magistri Salvatoris sermonibus animum non adhibentes, se ipsis, improbis doctoribus, sunt usi, utpote sapientes in seipsis, et coram semetipsis prudentes. Deinde vero, quasi potentes et multum apud plebem auctoritate valentes, animam suam ebrietate circumdedere, ignorantiæ tenebris sopiti. Jam vero aliis dolosum potum miscuere, qui vocatur Sicera, quemque interpretes alii, ebrietatem appellarunt. Hoc porro fecerunt cauponantes verbum Dei.

«Radix eorum pulvis erit, et flos eorum quasi pulvis as»cendet[2].» Species, *inquit*, corporis, divitiarum gloria et totius gentis decor, pulveris fere instar dissipabitur. «Noluerunt enim legem Domini Sabaoth; sed Verbum sancti »Israël irritaverunt.» Quam legem, nisi eam de qua superius dicebat, «Nam de Sion exibit lex, et verbum Domini »de Jerusalem?» Quia, *inquit*, novi Testamenti legem noluerunt; imo etiam Verbum Dei vivens irritaverunt, «Ideo iratus est Dominus in populum suum[3],» quem ipse quidem proprium sibi populum esse et appellari volebat;

[1] Isa., V, 21 et 22. — [2] Ib., 24. — [3] Ib., 25.

ipsi vero abnuerunt. His porro significat inimicorum irruptionem, ac cæsorum multitudinem; ita ut etiam montes cadaveribus repleantur, et universa regio morticinis eorum plena evadat. Hæc autem omnia ex hostium invasione ipsis evenient : quam ipsi non suopte motu fecerunt; sed Deo agente, et tantum non trahente ac pellente illos ad reorum obsidionem. « Sed insuper manus Dei excelsa : igitur ele-» vabit signum gentibus longinquis, et trahet eas ab extre-» mo terræ [1]. » Excelsa igitur contra illos fuit manus Dei, ob incredulitatis eorum perseverantiam. Quod enim deterius est, ne illis quidem ita gestis æquiores facti sunt; sed eodem in statu perseverant. « Et clamabit propter eos in » die illa quasi vox maris æstuantis [2]. » Hic animadvertendum est, ipsum multitudinem hostium maris sonitui comparare.

CAPUT VI.

—

« Et factum est in anno, quo mortuus est rex Ozias [3]. » Quare non vivente adhuc Ozia hanc visionem habuit, sed eo anno quo ille mortuus est? Quia ille elatus animo, sacrificium offerre, quod officii sui non erat, aggressus est; ita ut lepra in vultu ejus erumperet; arbitror par fuisse, ut gratia Dei recederet toto vitæ illius tempore, quo leprosus habitabat in Jerusalem. Nam leproso rege locum incolente, gloria Dei merito recesserat. Postquam autem obiisset ille, et Joatham filius ejus regnum excepisset, de quo scriptum est, « Et fecit rectum in oculis Domini [4]; » jure

[1] Isa., v, 26. — [2] Ib., 27. — [3] Id., vi, 1 — [4] IV Reg. xv, 34.

eodem ipso anno, quo et leprosus vitam obierat, et vir Deo placitus regnum exceperat, gloria Domini super domum reversa est, scilicet super templum Domini. Quod videlicet enarrat Propheta dicens; « Et factum est in anno, quo » mortuus est rex Ozias, vidi Dominum sedentem super » thronum excelsum et elevatum : et plena erat domus » gloria ejus. » Æstimo his significari, quis sit ille Dominus Sabaoth in hac tota prophetia indicatus. Ecquis autem ille? Unigenitus Filius, qui est in sinu Patris, qui descendens ex propria magnitudine, inde sese visibilem et comprehensibilem hominibus efficit. Visus est et Abrahamo cum dixit ei, « Semini tuo dabo terram hanc [1]. » infert itaque Scriptura, « Et ædificavit ibi altare Domino qui visus » fuerat ei [2] » : ac rursum, « Abraham factus est annorum » nonagenta, et visus est ei Dominus [3] »; iterumque, « Et » visus est Dominus Abrahæ ad quercum Mambre. » De Isaac quoque dictum est, « Et profectus est et ascendit » ad puteum juramenti, et visus est Dominus ipsi in nocte » illa [4]. » Rursumque de Jacob dicitur, « Ego sum Deus, qui » visus sum tibi »; sed etiam cum venit « In Bæthel ipse et » populus, qui cum eo erat, ædificavit ibi altare : et vocavit nomen domus Bætel; ibi enim ipsi apparuit Deus; » iterumque dictum est, « Visus est autem Deus Jacob adhuc » in Luza; » aliasque dixit illi in hominis specie apparens, » Non ultra vocabitur nomen tuum Jacob; sed Israël erit » nomen tuum. » Quando vocavit nomen loci, species Dei, dicens, « Vidi enim Deum facie ad faciem, et salva facta est » anima mea. » Moyses quoque Deum qui oracula sibi edebat, rogavit dicens, « Si inveni gratiam in conspectu tuo, » ostende mihi teipsum, ut cognoscibiliter te videam. » Ille vero respondit ei dicens, « Et hoc verbum quod locutus

[1] Gen., XII, 7. — [2] Ibid., XVII, 1. — [3] Ibid., XVIII, 1. — [4] Ibid., XVI, 23.

» es faciam : invenisti enim gratiam in conspectu meo. » Ezechiel item eum qui sedet super Cherubim vidit, quasi speciem hominis : a lumbis ejus usque ad imum, ignis erat, et a lumbis ejus usque ad summum, species electri. Quibus omnibus ediscimus, visiones a prædictis viris habitas non similes fuisse, sed diversas : nam Moysi quidem dictum est, « Non poteris videre faciem meam : non enim videbit » homo faciem meam, et vivet[1]. » Siquidem vultus Dei Verbi, et deitas unigeniti Filii Dei, mortali naturæ comprehensibilis neutiquam fuerit. Ezechieli autem Verbi gloria per ænigmata visa fuit : Abrahæ vero sub hominis forma figurate visus est, ita ut sub quercu consisteret, pedes ablueret, et mensæ consors esset. Similiterque cum Jacobo homo luctans inducitur, quem Scriptura quidem hominem appellat; ille vero qui oraculum edebat, « Non vocabitur, » *inquit*, nomen tuum Jacob; sed Israël erit nomen tuum, » quia fortis fuisti cum Deo[2], » unde et Jacob dicebat, « Vidi enim Deum facie ad faciem, et salva facta est anima » mea[3]. » Hic vero Propheta se quoque gloriam ejus vidisse testificatur. Igitur Salvatoris nostri Jesu Christi gloriam, ut in præsenti narrat, conspexit, non plane corporis, sed mentis oculis a Spiritu Sancto illustratis : sicut enim corporis oculi a lucis radio exterius subministrato ad sensibilia videnda juvantur; eodem modo purgatæ mentis oculi, ab intelligibili luce irradiati, divina contemplari possunt. Quamobrem Servator hæc docuit : « Beati mundo » corde, quoniam ipsi Deum videbunt[4]. »

« Et Seraphim stabant in circuitu ejus, sex alæ uni, » et sex alæ alteri[5]. » Incorporeæ nempe quædam, divinæ et supra mundum positæ virtutes, quas Daniel declarabat dicens : « Millia millium ministrabant ei, et decies millies

[1] Exod. XXXIII, 20. — [2] Gen. XXXV, 10. — [3] Ibid. XXXII, 28, et 30. — [4] Matth. V, 8. — [5] Isa., VI, 2.

» dena millia adstabant in conspectu ejus[1]. » Hinc alii arbitrati sunt duo esse Seraphim : ego accuratius explorata Scripturæ mente, quæ ait, Seraphim in circuitu ejus stetisse, æstimo hos coronæ instar eum undique ceu regem magnum stipasse. Sex autem alæ uni esse dicuntur, quod singuli innatis et sublimibus virtutibus quasi alis ornentur : quibus volantes per cœlum et aerem feruntur, intelligibili quadam agendi vi utentes qua nobis res quasdam arcanas operantur. Quemadmodum enim inter homines, sancti Dei, charismatum meliorum participes erant, ita ut futura prænuntiarent, morbos curarent, mortuos suscitarent, variisque linguis loquerentur, sapientia et scientia instructi essent; aut quemadmodum secundum corpus, naturalibus sensibus utimur numero quinque; ita et Angelorum naturam divinis quibusdam, ac mirabilium effectricibus virtutibus ignotisque nobis uti verisimile est, quas scilicet alas Scriptura vocat. Quandoquidem de ventis etiam dictum est, « Qui ambulat super pennas ventorum[2] : ubi nos ad corporeas figuras decurrimus, quasi scilicet venti, instar avium, pennis instructi sint.

« Et duabus quidem tegebant faciem, duabus autem velabant pedes, et duabus volabant. » Faciem itaque velabant, non Domini, ut quis putet, sed suam: quod non auderent objectam rem defixis oculis intueri. « Quare nemo novit Fi» lium, nisi qui genuit ipsum Pater. » Pedes quoque velabant; scilicet, extrema progressionis suæ, et ut quispiam dixerit, vitæ gressus, quo actiones suas inumbrarent, ut ne nudis pedibus Regi suo adstarent.

« Et clamabant alter ad alterum, Sanctus, Sanctus, » Sanctus Dominus Sabaoth : plena est omnis terra gloria » ejus[3]. » Non unam quippe emittebant vocem, neque omnes simul hanc proferebant, sed alter ad alterum, admirationem suam exhibentes, nec non stuporem ex tali spec-

[1] Dan. VII, 18. — [2] Psal. CIII, 3. [3] Isa., VI, 3.

taculo conceptum; imo potius obstupescebant ob descensum Dei Verbi ex celsissimis ad humilia. Non semel itaque, neque sæpius tantum sanctificationem ejus clamabant; sed in infinitum tempus ac semper stupore perculsi vociferabantur, ex futuri ergo præscientia Seraphim summopere mirabantur illud, quod scilicet, consequenter ad vaticinia, post adventum Salvatoris nostri ad homines, completum est. Hinc enim revera in omnium gentium notitiam venit, et in omnem terram , non modo cognitio, sed etiam gloria Theologiæ ipsum spectantis pervasit.

« Et sublatum est superliminare à voce, qua clama» bant : et domus repleta est fumo[1]. » His subindicatur fore ut, toto orbe gloria ejus repleto, revelaretur is qui eo in loco stabat; ita ut sublato superliminari, comprehendi posset : locumque fumo replendum esse, igni traditum : nam fumus ignis signum est. His ergo Scriptura incendium loco huic eventurum obscure indicat : quo peracto repleta est universa terra gloria Domini : non una domo ut antea, sed innumeris multo præstantioribus per universam terram excitatis.

« Et dixi, ô miser ego, quia compunctus sum : quia homo » cum sim, et impura labia habeam, in medio populi » impura labia habentis ego habito : et regem Dominum Sa» baoth vidi oculis meis[2]. » Se autem impurum esse confitetur, non anima, neque toto corpore, quoniam nullius impuræ actionis sibi conscius erat; sed sola sibi labia impura esse ait; quasi videlicet reliquum corpus et anima pura fuerit, secundum illud, « Beati mundo corde, quoniam ipsi » Deum videbunt[3]. » Labia vero non aliunde impura habebat, quam à colloquio cum impuris hominibus inito. Nam quia cum impuris viris versabatur, eorum improbitate digna verba proferre coactus, inde labiis impurus erat.

« Et missus est ad me unus de seraphim, et in manu

[1] Isa., VI, 3. — [2] Ib., 4. — [3] Math. V, 8.

» sua habebat carbonem ignis, quem forcipe tulerat de al-
» tari : et tetigit labia mea. Et dixit, Ecce tetigit hoc labia
» tua [1]. » Talis est carbo altaris : ac fortasse clemens ille Dominus altare suum salutaribus hujusmodi ac purgantibus carbonibus replet. Quare dictum est alicubi, « Carbones
» succensi sunt ab eo [2]. » Deusque ipse apud Moysem ignis consumens dictus est : atque in Evangeliis Servator dicitur baptizare in Spiritu sancto et igne. His porro omnibus edocemur, neminem posse, nisi per divinum ignem, remissionem peccatorum consequi. Merito itaque tantus ille Propheta carbone ignis purgatur. Quænam vero iniquitates et peccata auferuntur ab eo, nisi ea quibus repleta labia sua esse confitetur? Post peractam vero eorum purgationem, consequenter voce sedentis in throno dignetur, quia dicitur, « Quem mittam? et quis ibit ad populum hunc? Et
» dixi, Ecce ego, mitte me [3]. » Hac voce, quæ intermedia posita est, Prophetæ alacritatem expertus est, ut is vel boni saltem propositi mercedem reciperet. Quamobrem, non imperantis more ipsum jussit abire; sed in medio sermonis interrogat, quis sit ad id agendum paratus.

« Et dixit, Vade, et dic populo huic, auditu audietis,
» et non intelligetis; et respicientes respicietis, et non vi-
» debitis [4]. » Quænam videntes videbunt, et quænam auditu audient, non declaravit, id considerandum nobis relinquens ex sermonis serie, quæ sic habet, quem tu intueris Dominum, et quem ipsis oculis vides, ô Propheta, hunc et hic populus aliquando videbit; sed etiam vocem, quam tu in præsenti audivisti, et ipse quodam tempore audiet, neque tamen intelliget vel cognoscet, neque gratiam ejus suscipere volet. His autem aperte suum ad homines adventum indicabat. « Aggravatum est enim cor populi hujus, et

[1] Isa., VI, 6 et 7. — [2] Psal. XVII, 9. — [3] Isa., VI, 8. — [4] Id., ibid., 9.

»auribus graviter audierunt, et oculos suos clauserunt, »ne forte videant oculis [1].» Nam Salvator quidem noster, lumen cum sit, omnium animas illuminavit; ita ut et cæcis visum largiretur: illi vero oculos claudebant, ut non viderent; atque sic videntes non videbant. Cum enim quis intuitus, et re conspecta diligenter, rem visam despicit et contemnit, ac claudit oculos se non videre simulans; tunc respiciens non vidit. Quod igitur viderent, id ex gratia ejus qui videbatur, ipsis inerat; quod autem non viderent, id ex eo veniebat quod oculos clauderent, et se non videre simularent. Ita pariter quis auditu audit, et tamen non audit; quando ea quæ dicuntur non intelligit, aut cum dictis non obtemperat, eaque despicit. Hoc porro contingit, cum quis aures suas aggravat, eas quasi obturans et surdas efficiens. Hæc igitur Judaïco populo futura esse, vox Domini vaticinatur. Impletum autem illud fuit in adventu Salvatoris nostri, quo dum præsentem illum oculis cernerent, non videbant; et docentem mysteria regni, non intelligebant.

«Et dixi, usquequo, Domine? Et dixit, donec desolen»tur civitates, etc. [2]» Et usquequo durabit infirmitas? Interrogat dicens, usquequo, Domine? quis enim finis erit hujusmodi illorum cæcitatis? His enim significat primam sub Romanis futuram loci obsidionem, post edita ab ipsis contra Salvatorem facinora: qua multæ Judæorum civitates sub Vespasiano imperatore vastatæ, solo penitus æquatæ sunt; ita ut earum nec memoria, nec nomen relinqueretur. Cum autem omnimodam desolationem sermo significet, contigit et illa Hadriani tempore, cum Judæi secundam passi obsidionem, in tantum calamitatis devenerunt, ut legibus et jussis imperatoriis, ne quidem procul metropolis suæ vastitatem conspicere permitterentur.

[1] Isa., VI, 10. — [2] Id., ibid., 11.

« Et postea elongabit Deus homines, et qui relicti fue- » rint, multiplicabuntur super terram. Et adhuc super eam » est decimatio[1]. » Symmachus edidit, « Longe faciet Dominus » homines. » Hac interpretatione, *elongabit*, sive *longe faciet*, indicat Scriptura captivitatem illam, quam eo ipso tempore multitudo Judaïcæ gentis perpessa est, necnon dispersionem illam qua, dum instantibus calamitatibns se proriperent, disgregati sunt. « Residui vero multiplica- » buntur super terram : » alii scilicet a primis. Tot autem numero ipsi erunt, ut cum primis comparati, multis partibus illorum multitudinem superent.

CAPUT VII.

« Et factum est in diebus Achaz filii Joatham, filii Oziæ » regis Juda, ascendit Raasin rex Aram, et Phacee filius » Romeliæ rex Israël in Jerusalem, ad præliandum contra » eam : et non potuerunt obsidere eam. Et nuntiaverunt » domui David dicentes, Consensit Aram cum Ephraïm, » et stupefacta est anima ejus, et anima populi ejus, sicut » lignum in sylva à vento movetur. Et dixit Dominus ad » Hesaïam, Egredere in occursum Achaz, tu et qui dere- » lictus est Jasub filius tuus[2]. » Par quippe erat ut Prophetæ filius, qui non unà cum populo corruptus, sed paternæ doctrinæ tenax fuerat, hinc præsens institueretur à patre, cum fiducia accedente, ac jussa exequente.

« Et dices ei, cave ut quiescas, et ne timeas, ne que

[1] Isa., VI, 12. — [2] Id., VII, 1, 2 et 3.

» infirmetur anima tua a duobus lignis titionibus fumigan-
» tibus his [1] : » quibus nihil luminis insit, sed qui exstincto titioni tantùm similes sint. Hujusmodi quippe sunt duo illi reges, quorum metu et formidine teneris. Etiam si enim vis illa mea castigationem immittens, quam iram appellare solent divina oracula, vos antehac sæpius invaserit, ad confutationem eorum, qui penes vos Dii vocabantur : quibus vos quidem fidebatis, at illos nihil esse comprobatum est, cum vos inimici vestri subditos ac dedititios caperent; attamen quoniam ira mea iniqua non est, utpote bonus Deus, qui vos antea ad utilitatem vestram corripui ; nunc iterum infirmitatem vestram totam curabo, si a pristino errore vestro resipiscentes, pie agere vere ediscatis.

« Sed adhuc sexaginta quinque annis, deficiet regnum
» Ephraim a populo[2]. » Hoc item a Propheta Achaz ediscit, non diu postea Samariæ regnum solvendum esse ; subdito populo unà cum regibus in captivitatem abducto, atque ob nefaria gesta in Assyrios translato. Quod si, ait, tempus nosse peroptes, scito annis abhinc sexaginta quinque venturum Assyriorum regem, ipsosque omnes captivos abducturum, in suamque regionem transportaturum esse. Hæc jussit Deus Prophetam enuntiare, tum ipsi Achaz, tum subdito populo : quo illis auctor esset, ut ad se converterentur, ac crederent, neque dictis fidem negarent. Illos porro sexaginta quinque annos, aiunt Hebræorum filii ad unum expletos deprehendi, si quis a XXV. Oziæ regni anno computum ordiatur.

« Et adjecit Dominus loqui ad Achaz dicens, Pete tibi
» signum a Domino Deo tuo, in profundum, aut in altum[3].
» Pro illo, in profundum, aut in altum, Symmachus qui-
» dem ait, pete tibi signum a Domino Deo tuo, deprime

[1] Isa., VII, 4. — [2] Ib., 8. — [3] Ib., 9 et 11.

» in infernum, aut in excelsum supra. Aquila vero, Roga » tibi signum a Domino Deo tuo, deprime in infernum, » eleva in altum. Theodotio, Pete tibi signum a Domino » Deo tuo, deprime in infernum, eleva in altum. » Jubetur ergo Achaz signum petere, quo tum ipse, tum populus ejus salutem consecuturus erat. Facultatem autem ipsi præbet Deus eligendi signi, ac si ex profundo petat; ex profundo, non alio scilicet quam inferno, se concessurum; si vero ex alto, aut ex sublimioribus locis, se daturum pollicetur.

« Et dixit Achaz, non petam, et non tentabo Dominum[1]. » Recusat videlicet ut impius ac Dei præcepto non obsequens, nec volens stupendæ virtutis Dei experimentum capere. « Et dixit, Audite ergo domus David; numquid parum vobis est molestiam præbere hominibus, cur Domino molestiam præbetis[2]? » Hominis stultitiam miseratus Propheta, ex propria persona quæ sequuntur pronuntiat. Hæc porro Aquila hoc modo interpretatur : « Audite ergo do» mus David, numquid parum affligere viros, quia affli» gitis etiam Deum meum? « Theodotio autem » Audite ergo » domus David, numquid parum molestiam præbere viris, » quia molestiam præbetis etiam Deo meo? « Symmachus » vero, Audite ergo domus David, an non sufficiet vobis » defatigare homines, quia defatigatis etiam Deum meum? » Præsentis porro dicti mens hæc est : Numquamne cessabitis Dei hominibus, videlicet Prophetis pro vestra salute laborantibus, defatigationes, labores, et molestias præbere? Sed etiamne ipsi Deo meo, quem vos ignoratis et negatis, multorum numinum errori dediti, molestias, defatigationes et labores præbebitis, nolentes ejus promissis fidem habere, nec ejus præcepta exequi?

« Propter hoc dabit Dominus ipse vobis signum : Ecce

[1] Isa., VII, 12. — [2] Ib., 13.

» virgo in utero concipiet, et pariet filium, et vocabis nomen » ejus Emmanuel[1]. » Quod est, inquit, signum salutare, quod vobis vel nolentibus præbebit? stupendum quoddam miraculum aliquando in hominibus erit, ac signum numquam ac omni sæculo auditum. Virgo uterum gestabit sine ulla cum viro consuetudine, et Deum gignet, humani generis Salvatorem. Hunc ipsum, qui talem ortum ducturus est, Deum in signum vobis salutare jam exhinc Deus exhibet: quod et in profundum et in altum extendetur; in profundum quidem, per descensum suum usque ad infernum; in altum vero, per suum ad cœlos reditum. Tu ergo, domus David, jam in tempore hujus cum inimicis tuis congressus, evoca illum, Emmanuel nuncupans, quod ex significatu verbi virtutem declarat: hoc quippe nomen, « Vobiscum Deus, » significat. Signo itaque fidem habens confide: neque ultra Damasci Deos invoces, neque eos, qui non sunt, auxiliares tibi adscribe; sed Emmanuelem, utpote Deum cum hominibus aliquando versaturum, invoca, cum perfecta fiducia sperans, ac nominis virtuti fidem habens.

Sed nos postquam huc devenimus, animadvertere par est, quo pacto prophetia domui David disertè præcipiat, ut eum qui ex Virgine nasciturus est, Emmanuelem nuncupet. Nam tu ipsa, domus David, quæ jam Prophetæ ades, ejusque sermones audis, eum qui in vaticinio fertur, vocabis Emmanuel; ac si clarius diceret, eum tibi adjutorem frequentius evoca, plerumque Emmanuelem appellans, ac ut præsentem tibi Deum vociferans, Licet enim longissimis ab hinc temporibus futurum sit, ut eum Virgo in utero gestet et pariat; quando prophetiæ complementum adveniet, quando ille totius generis humani Salvator declarabitur, alio utetur nomine à salute derivato; sed jam hoc tempore tu, domus David, quæ bonum à Deo pignus

[1] Isa., VII, 14.

accepisti, eum invoca, Emmanuelem appellans : salutem quippe tibi credenti et dictis obtemperanti nomen illud conciliabit. Si enim dictum fuisset, « Et vocabunt nomen ejus Emmanuel, » visum fuisset in futurum tempus totam prophetiam remittere; hoc enim pacto dubitandi causa amphibologia in sermone fuisset; quando quidem is qui sancta Virgine natus est Salvator noster, non Emmanuel, sed Jesus vocatus est, secundum Angeli oraculum Josepho editum his verbis, « Ne timeas accipere Mariam conjugem tuam : » quod enim in ea natum est, ex Spiritu sancto est. Pariet » autem filium, et vocabis nomen ejus Jesum : ipse enim » salvum faciet populum suum à peccatis ejus [1]. » Si itaque Jesus, non autem Emmanuel, nomen accepit Dominus noster et Salvator ex Virgine natus secundum prophetiam; quomodo verum fuerit oraculum dicens, « Et vocabunt no» men ejus Emmanuel ?» Quamobrem non illo modo dictum est, non enim ab omnibus hoc nomine appellandus erat; sed accuratè propheticus sermo sic habet, « Et vocabis. » Tu enim ipsa, domus David, cujus causa hoc vaticinium enunciatur, accepto salutis pignore, quo tempore cum inimicis congrederis, ipsum Emmanualem voca, et victoriæ de inimicis partæ auctorem adscribe: qui aliquando quidem ex Virgine nasciturus; sed jam Deus et nobiscum est, et jam tibi magna ad salutem tribuit. Divino itaque præcepto fidem habens, frequenter ipsum invoca adjutorem, Emmanuelem appelans. Quadam enim hujusmodi ceu incantatione opus est, ut ne Dæmonibus auxiliaribus attendas, sed solum Emmanuelem invoces, ac per ipsum salutem nanciscaris. Nonnulli vero hæc minime cogitantes, in Evangelio secundum Matthæum, pro illo et «Vocabis, et Vocabunt, » scripsere : at prophetica lectio non sic habet; sed

[1] Luc, 1, 30.

Hebraïca lectio cum hac nostra congruit : et omnes Interpretes, «Vocabis,» ediderunt.

« Butyrum et mel comedet, antequam sciat ipse, aut » præeligat mala, eligere bonum [1]. » Si ergo miraris, cum audias natum Deum, at crede, quoniam infantium cibo usurus est. Non enim secundum quamdam phantasiam homo apparebit; neque species solum erit id quod gignetur; sed eumdem revera ortum subibit, ita ut infantium alimento utatur; butyro videlicet et melle, perinde atque alii infantes. Et hoc quidem humanum est : quod autem Deitatem ejus declarat illud est, quod priusquam ille mala vel noverit vel prætulerit, eliget bonum, etc. His porro significatur vel in ipso ortu discernendi vi præditum, ac bonorum patratorem; Emmanuelem fuisse, jam tunc judicii facultate instructum : ac malum quidem excutientem, bonum vero duntaxat amplectentem. Talis quippe naturæ, inquit, vel ab ipso ortu futurus est.

«Et erit in die illa, sibilabit Dominus muscis, quæ do» minabuntur parti fluminis Ægypti, et api, quæ est in re» gione Assyriorum [2]. » His vero significat Ægyptiorum virorum irruptionem : quos ait non sine Deo venturos esse in Judæorum regionem, Domino per solum nutum commovente, et quasi sibilo excitante illos ex Ægypto : nec ex tota illa; sed ex parte quadam ejusdem. Vel quia Ægyptii, cruore et sanguine ab impura idololatria effuso delectabantur, ipsos muscis comparat : Assyriorum autem bellicam virtutem, quod illi hostili spiculo uterentur, ac cæteris tunc gentibus imperarent, api similem dicit. Hæc porro completa sunt tempore primæ Jerosolymorum obsidionis, quo Ægyptii quidem, muscæ dicti, cum rege suo Pharaone irrumpentes, Josiam Jerosolymorum regem, inter conspicuos religiososque viros nemini secundum interfecerunt.

[1] Isa., VII, 15. — Id., ibid., 18.

Non diu vero postea Babyloniorum rex Nabuchodonosor, cum exercitu magno superveniens, urbem ipsam funditus delevit, Templumque incendit, totaque gente in captivitatem abducta, vastatisque cæteris urbibus, Judæorum regionis Assyrios habitatores constituit.

« In die illa radet Dominus novacula magna et inebriata, » quod est ultra fluvium regis Assyriorum[1]. » Non caput solum radet olim comatum, cum Assyrii orbi imperarent; sed etiam pilos pedum, scilicet virilem formam, et barbam; id est, ornatum viris secundum naturam consentaneum. Novaculam vero à Deo inebriatam aliud genus inimicorum nuncupat propheticus sermo : cujus opera regem Assyriorum, seu totum eorum regnum et potentiam abrasurum Deum esse prænuntiat; ita ut humilis, imbellis, incompta, et deformis appareat. Pro illo autem, *inebriata novacula ;* alius interpres, *mercede conducta*, habet.

« Et erit in die illa, nutriet homo vaccam bovum, et » duas oves. Et erit a copia lactis quam facient, ut butyrum » et mel comedat omnis, qui derelictus fuerit in terra[2]. » Extremam paupertatem et inopiam his subindicat; imo etiam et raritatem frumenti ad cibum præstandum. Nam quod non bovum greges, sed unam tantum vaccam homo possideat; et quod non ovile, sed duas tantum oves alat, extremæ fuerit inopiæ argumentum; quinetiam quod residuus in terra populus butyro tantum et melle alatur; id famem panis declarat. Hic porro erat populus sub Godolia, quem ob frumenti penuriam, exiguo pecorum lacte et butyro in alimentum usurum prænuntiat : universa regione, ob virorum paucitatem in desertum et in spinas conversâ.

« Et erit in die illa, omnis locus ubi fuerint mille vineæ, » mille siclorum, in desertum erit et in spinam[3]. » Quod igitur terra inculta et spinis referta sit, frumento carebit;

[1] Isa., VII, 20. — [2] Id., ibid., 21 et 22. — [3] Ib., 23.

neque homo qui residuus erit, naturæ congruenti cibo, aut vino nutrietur; imo potius lacte, butyro, et melle; iisque non a numeroso bovum grege, neque ab ovilibus congregatis; sed ex ovibus quibusdam et animalibus miseris. Nam alius ex una bucula, alius ex duabus ovibus id mutuabitur. « Et omnis mons aratus arabitur, et non ve- » niet illuc timor : erit enim a deserto et spinis in pascua » ovis [1]. »

CAPUT VIII.

—

« Et dixit Dominus ad me, Sume tibi librum novum » grandem : et scribe in illo stylo hominis [2]. » Postquam finem narrandi fecit ea, quæ in memoratis diebus futura sunt, narrationem de ortu Emmanuelis resumit. Super quo domui David præceptum erat, ut incantationis loco Emmanuelis nomen invocaret; idque cum spe ac fiducia, quod ejus ope ab imminentibus duobus regibus liberanda sit. Quia vero docuit Emmanuelem illum, stupendam et ab humana natura alienam generationem habiturum esse : nam ex incorrupta puella, et Virgine nuptiis experte nasciturus erat; admodum necessario Dominus, hic, non Achaz, neque domui Judæ, sed ipsi soli Prophetæ, mysterium arcani ortus Emmanuelis revelat : quomodo scilicet futurum sit ut Virgo in utero concipiat et pariat filium. Ut itaque ea, quæ ad Emmanuelem spectabant, non ad omnium aures spargerentur, sed potius in arcana quadam

[1] Isa., VII, 25. — [2] Id., VIII, 1.

scriptura servarentur, jubet Prophetam sibi sumere tomum novum et magnum, sive, *librum*, seu *membranam*, seu *volumen*, secundum reliquos, *stylo hominis*, id est, consueta et nota hominibus scriptura : est quippe alia Dei Scriptura non stylo hominis exarata, sed virtute Dei Verbi, qua dignos in libro vitæ describit.

« Et accessi ad Prophetissam, et peperit filium. Et dixit » mihi Dominus, Voca nomen ejus, cito spolia detrahe, » prædare, velociter prædare [1]. » Quia dictum est superius, *Ecce virgo in utero concipiet et pariet filium*, necessario in præsenti, quomodo id factum sit declarat ipse Dominus his verbis, *Et accessi ad Prophetissam;* ac si diceret, ergo ipse in Prophetissam superveniam. Prophetissam quippe vocat eam, quæ Emmanuelem paritura est, quia Spiritus sancti particeps erit, secundum dictum illud, « Spiritus » sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit » tibi [2]. » Hæc igitur virtus Altissimi, quæ per prophetiam ait, *Et accessi ad Prophetissam*, futura quasi jam præterita recenset secundum quamdam propheticam consuetudinem. *Cito spolia detrahe.* Ipse igitur erat, qui illum olim potentem diabolum alligavit, ac spolia ejus diripuit.

« Et adjecit Dominus loqui ad me adhuc, dicens : Quia » non vult populus hic aquam Siloam, quæ quietè fluit; sed » vult habere Raassin et filium Romeliæ in regem super vos [3]. » Quænam illa erat aqua Siloam? Emmanuel ille promissus ipsis, qui est « Fons aquæ salientis in vitam æternam, » et fons aquæ fluentis ad vitam quiete. Tunc enim etiam latenter et quiete incedebat cum populo, ut illum irrigaret, et animabus eorum prospiceret, cum nondum prædicatus fuisset in omnes gentes. Quamobrem apposite vocatur aqua quiete manans, et fons Siloam, quod significat, *missus*. Populus autem hic a Domino accusatus, cum jussui parere

[1] Isa., VIII, 3. — [2] Luc. I, 35. — [3] Isa., VIII, 5 et 6.

et Emmanuelem vocare nollet, qui erat aqua illa quiete manans, ab eo desertus est. Quia igitur, infideles cum essent, regi Damasci et regi Samariæ inimicis suis sese subjicere malebant, quam jussa exequi; ideo comminatur Scriptura, ipsos non iis subditos fore, sed regi Assyriorum. « Ideo ecce reducet Dominus super vos aquam fluminis, » fortem et multam, regem Assyriorum et gloriam ejus : et » ascendet super omnem vallem vestram, et ambulabit » super omnem murum vestrum : et auferet a Judæa ho-» minem[1]. » Ad discrimen aquæ Siloam, quiete manantis, aquam fluminis fortem et multam opposuit : quæ erat rex Assyriorum. Tantam enim hostium multitudinem venturam vaticinatur, ut omnem Judaïcæ regionis latitudinem impleat, at ab ea auferatur homo, qui possit caput extollere, aut quidpiam perficere : ita ut deinceps illi caput non habeant; id est, principes et reges. Quæ reipsa evenerunt Jeremiæ prophetæ tempore, quo irrumpens Nabuchodonosor rex Assyriorum, prænuntiatis finem imposuit.

« Et erit exercitus ejus, ut impleat latitudinem regionis » tuæ, nobiscum Deus. » Hæc quoque in eodem Emmanuelis argumento insistunt : incipiunt enim ab Emmanuele, quod significat, « Nobiscum Deus, cognoscite gentes; » ac rursum in fine sententiæ; « Et sermo quem loquemini non maneat » in vobis, quia nobiscum Deus : » iterum Emmanuel dictus est. Postquam ergo Propheta memoratos homines coarguerat, quod noluissent, invocato Emmanuele, inimicis superiores evadere; ipse ex sua et sui similium persona Emmanuelem invocat dicens, « Nobiscum Deus. Cognos-» cite gentes et vincemini, et audite usque ad extremum » terræ : qui fortes fuistis, vincemini : nam si iterum fortes » sitis, iterum vincemini : et si consilium ineatis, id dissi-» pabit Dominus : et verbum quod loquemini non manebit

[1] Isa., VIII, 7 et 8.

»in vobis, quia nobiscum Deus[1].» Quem vero cognoscetis? Ipsum Emmanuelem : nam populus ex circumcisione neque cognovit ipsum, neque intellexit, neque prophetiæ credere voluit : sed nec victus est, nec præcepto se subdidit. Vos autem gentes, notitiam ejus, qui in prophetia fertur, accipite, atque hæc intelligentes, nolite reluctari; sed vincimini superati. Audite præceptum vos omnes, qui usque ad extremum terræ habitatis : ac si qui in vobis fortes ac potentes, verbo cedite victi et superati; idque alacriter agite, gnari, etsi nolueritis, vel invitos superandos esse. Quod si Dei consilio repugnantes, machinas quasdam et insidias struxeritis contra verbum a quo vocamini; ut inania aggressi arguemini. Hæc porro dicimus, quia nobiscum Emmanuel.

« Sic dicit Dominus manui forti : Non obsequuntur in- »cessui in via populi hujus[2].» Transit ergo ad Judaïcum populum, ipsumque ut forti manui immorigerum coarguit. Nam ab illa vocati, cum obsequi oportuisset, illi contra non obtemperabant ac contradicebant. Ne dicatis, *inquit*, durum esse sermonem, quod oporteat abscedere a via populi hujus : nam hic quidem populus durum illum æstimat; vos vero qui abscessistis a via populi hujus, ne dicatis hunc esse durum : quod si ii ex isto populo qui increduli sunt, insidias vobis struxerint, utpote qui defeceritis, at vos timorem eorum ne timeatis, nec ab illis pulsi conturbemini : solumque Dominum virtutum sancte colentes, eum timendum vobis adscribite : nam « Initium sapientiæ »timor Domini[3]; per quem hominum metus omnis eliminatur.

« Dominum ipsum sanctificate, et ipse erit timor tuus : »et si in ipso confidas, erit tibi sanctificatio[4].» Si ergo,

[1] Isa., VIII, 9 et 10. — [2] Ib., 11. — [3] Psal. CX, 10. — [4] Isa., VIII, 13.

ait, in ipso confidas, erit tibi in sanctificationem, ita ut corporeo sanctificio non ultra egeas. Sanctificium autem apud Hebræos vocabatur templum olim apud illos consistens, ejusque interiora. Tibi itaque ab illis pulso, sed in Domino confidenti, sanctificium erit, non corporeum templum; verum ipse Dominus, qui te sanctum efficit : si tamen illi confidas. Ideo hoc templum nihil pertimescens, abscede ab illo : crede, et in timore tuo confide : ipsum quippe in sanctificium habebis. « Neque ad eum quasi ad » petram scandali accedetis, neque quasi ad petram ruinæ. » Videne quomodo ipsum Dominum lapidem scandali et petram scandali nuncupet? Atqui illum talem futurum prænuntiat iis, qui in Jerusalem et in duabus Israëlis domibus considunt; at contra in se credentibus sanctificium fore docet. Quomodo igitur Emmanuel ille memoratis hominibus factus est lapis scandali et petra scandali? per Virginis partum. Quare divinus Apostolus hæc docens aiebat, « Judæis quidem scandalum, gentibus autem stul» titia[1]. » Qui ergo forti manui Domini immorigeri fuerunt, illum in lapidem scandali et petram ruinæ habuerunt, cum natura talis minime esset : nam in se credentibus sanctificium est. Quinam vero illi? Domus, *inquit*, illæ Jacob, non domus illa. Duæ quippe domus Israëlis erant; alia principum, subditorum alia. Duabus porro hisce domibus, id est, universæ simul genti, tam principibus, quam subditis, Dominum in laqueum et in scandalum fore significat.

« Tunc manifesti erunt qui obsignant legem, ne discant[2]. » Nam qui Evangelium susceperunt, et qui secundum novum Testamentum vivere didicerunt, quasi sigillum imponentes legi, ipsam deponunt, quia ob meliorem invectam, non amplius utilis est : iidem ipsi, videlicet ii, qui Evan-

[1] I Cor. I, 23. — [2] Isa, VIII, 16.

gelium susceperunt, gratiam per Christum ferendam expectantes dicent, « Expectabo Dominum, qui avertit faciem suam a domo Jacob, et confidam in eo [1].

« Ecce ego et pueri mei, quos dedit mihi Deus [2]. » Judaïci quidem pueri corporei sunt, ex viro et muliere; pueri vero Domini qui hæc oracula fundit, « Non ex san- » guinibus neque ex voluntate carnis; sed ex Deo nati sunt [3]: » Patre ipsi tales dante filios, qui non ultra Moysis legi attendant; sed sciant expectare Dominum et in ipso confidere. « Et erunt in signa et prodigia multa in domo Israël a Do- » mino Sabaoth, qui habitat in monte Sion. » Sive alio modo, non hi tantum pueri a Deo mihi mirabiliter dati sunt; sed etiam alia plurima signa et prodigia fient in domo Israël quo tempore in prophetia enuntiatur. « Et cum dixerint » ad vos, Vocate eos, qui ex terra vociferantur, et engastri- » mythos qui ex ventre loquuntur : non populus ad Deum » suum exquirent de vivis a mortuis : legem quippe in » auxilium dedit; ut dicunt, Non sicut hoc verbum; de » quo non licet dona dare [4]. » Postquam igitur de pueris Christi locutus fuerat, nempe de Apostolis et Discipulis ejus, necnon de signis et prodigiis, quæ per eos edita sunt, queis gentium vocatio facta est; hæc consequenter docet populum novum et recentem ex gentibus a Christo constitutum, quem ita fere alloquitur; hæc audite discipuli mei, qui a gentilium multiplici superstitione translati estis : si qui ex iis, qui vobis olim notis et familiares erant, sive patres, sive cognati, vos ad pristinum repetendum errorem invitent, ut ab illis adhibitas divinationes, oracula ac similia in admiratione habeatis; ne eorum consilio obtemperetis : ne miremini Dæmonas ex ventre hominum loquentes, quos vocant Pythonas, neque eos qui ex præsti-

[1] Isa., VIII, 17. — [2] Ib., 18. — [3] Joan. I, 13. — [4] Isa., VIII, 19 et 20.

giis quibusdam de terra ascendere putantur ; sed solum Dominum vestrum colite. Nam si gentes singulæ, etsi errore ductæ, suo tamen Deo adhærent ; quid aliud iis agendum, qui veram notitiam acceperunt, quam ut Deum suum quærant, neque a mortuis, vita penitus orbis, curosius inquirant, et sciscitentur de rebus ad vivos spectantibus ? Dei itaque verbum et legem Evangelicam datam vobis in auxilium nacti, ex ipsa discite quæcumque vultis, et hanc sectemini : quia fieri nequit, ut ille donis a vero dimoveatur.

« Et veniet super vos dira fames : et erit ut esurietis, do» lebitis, et maledicetis principi et patriis legibus : et respi» cient in cœlum supra[1]. » Cum ergo quis divinæ legis transgressor ac desertor effectus erit, in offendiculum deductus ab iis qui oracula et dæmoniacas divinationes prætendunt, hunc fames rationabilium ciborum occupabit, necnon excessus mentis, et iracundia : atque in blasphemas cogitationes incidet, maledicens illi olim regi suo, quem Deum suum vocabat. « Et non perplexus erit qui in angustia est » usque ad tempus. »

CAPUT IX.

—

« Hoc primum bibe : cito fac, regio Zabulon et terra » Nephtalim, et cæteri qui maritima et trans Jordanem, » Galilæa gentium[2]. Vult enim ut ii, qui magna salutaris Dei adventus luce dignati sunt, fructum rationabilis potus ope-

[1] Isa., VIII, 21. — [2] Ibid., IX, 1.

ribus reddant. Primo itaque Galilæis bonum nuntium declarat. Par quippe erat regionem illam non silentio præterire, in qua Emmanuel in suo ad homines adventu moras facturus erat. Regio autem erat Galilæa : imo etiam trans Jordanem erat hæc Galilæa, in qua frequentius versatus Christus est : quare salutarem potum et lucem ejus incolis primo annuntiat. Hujus porro vivifici potus imaginem sensibiliter exhibuit Servator, quando, nuptiis in Cana Galilææ celebratis, primum miraculum edidit, aquæ scilicet in vinum mutationem.

« Populus, qui ambulabat in tenebris, vidit lucem ma- » gnam : habitantes in regione et umbra mortis, lux splen- » debit super vos[1]. » Et aliàs quidem in tenebris agebant, qui antequam Christus illucesceret, in veræ lucis ignorantia erant : in umbra autem mortis erant, quotquot mortaliter peccaverant, secundum illud, « Anima quæ peccaverit, » ipsa morietur[2]. » Sed quamdiu is qui peccat ad mortem, in præsenti vita degit; non ita prorsus absorbetur a morte, ut non possit resipiscendo salutem nancisci; sed nec ex illa penitus liberatur, quare dicitur esse in umbra mortis. Cæterum his prioribus illucescens, magni luminis gratiam elargitus est is, qui in hoc vaticinio fertur. In hæc porro regione primò magnam populi multitudinem acquisivit; ita ut etiam Apostolicum chorum ex ea deligeret. Quinam ergo erant illi in tenebris et umbra mortis versantes, nisi qui prius ignorantiâ Dei detinebantur, et mortis animæ servituti addicti erant?

« Multitudo populi, quam deduxisti in lætitia tua, et læ- » tabuntur coram te, sicut qui lætantur in messe, et que- » madmodum lætabuntur qui dividunt spolia : quia auferetur » jugum ipsis impositum[3]. » Sive, quia multi quidem crediderunt; sed multo plures in incredulitate manserunt; jure di-

[1] Isa., IX, 2. — [2] Ezech. XVIII, 4. — [3] Isa., IX, 3 et 4.

citur multos ex populo salutaris lætitiæ consortes fuisse. His porro significat, quoad obvium litteræ sensum, regionem illam, ubi aliquando ex quinque panibus turbam virorum quinque millium enutrivit; aliquando autem ex septem panibus, quatuor millia virorum, præter mulieres et parvulos. Quamobrem dictum est secundum Symmachum, «Lætitia »lætati sunt in conspectu tuo, sicut lætitia in messe.» Sic itaque qui in messe nutriuntur, confertim et simul epulari solent. Secundum intelligendi rationem vero, Apostoli Salvatoris nostri, necnon eorum successores, ac ii, qui ad hoc usque tempus Ecclesiarum ejus præsules fuerunt, divinæ lætitiæ in conspectu Salvatoris nostri participes erant, metentium instar operantes, quia messis gentilium operarii erant, perfusi gaudio ob fructuum in singulis Ecclesiis abundantiam. «Quia ablatum est jugum ipsis impositum, et virga »supra collum eorum.» Grave jugum illud excusserunt, ejus qui peccati servituti se colligabat, quique virgâ caput ipsorum deprimebat; ut Apostolicam prædicationem in anima fundantes, se peccati servituti non inflecterent. Sive fortasse, jugum, ait, spoliis olim impositum, ablatum est; necnon virga eorumdem spoliorum collo imposita. Grave quippe jugum erat animabus Diaboli servituti subjectis impositum; ac mortalis virga, quæ collum deprimeret, ac deorsum inclinari cogeret; quibus ablatis merito gaudebant ii, qui hæc spolia dividebant.

«Virgam enim exactorum dissipavit Dominus sicut in die »Madian [1].» Theodotio sane, *exactoris:* interpretatus est, expetentem et exactorem singulariter exprimens; videlicet Diabolum, qui exactoris humanarum animarum vicem agebat, et quasi vectigalia exposcebat, nimirum peccata quæ illi admittebant. Historia vero Madian spectans exstat in Libro Judicum: narratque tempore Gedeonis, inimicos non

[1] Isa., IX, 5.

instructa armorum acie superatos fuisse; sed occulta, invisibili et divina virtute. Sic itaque, perinde atque Madianitis accidit, hostes occulta manu superati sunt; atque nunc ait dissipatam fuisse virgam exactoris Diaboli, necnon aliorum qui cum eo animas hominum exigebant. Alius vero non *exigentium*, sed, *inobsequentium*, dixit.

« Quia omnem amictum dolo collectum, et vestimentum » cum commutatione restituent et cupient, si fiant igne com» busti. » Quia cum Diabolus ornatum animæ et amictum ejus, atque tunicam principatus, qua induebatur, illam captivam ducens, diripuisset, nudam illam ac fœdam reliquit: ejus item comites, adversariæ potestates ab ea tributum exigebant, dolo et fallacia contra illam utentes; jure exactores illos omnia persoluturos esse dicit Spiritus propheticus, his verbis, « Omnem amictum dolo collectum, et » vestimentum cum commutatione restituent.» Iidem vero ipsi qui olim ab animabus hominum vectigalia exposcerent, omnia in memorato tempore soluturi esse dicuntur.

« Quia parvulus natus est nobis, et filius datus est nobis: » cujus principatus factus est super humerum ejus. Et vo» cabitur nomen ejus, magni consilii Angelus. Adducam enim » pacem super principes, pacem et sanitatem ipsi.» Quosnam principes memorat, nisi eos qui ab ipso ad principatum in Ecclesia gerendum constituti sunt? Discipulos dico et Apostolos ipsius, necnon eorum per totum orbem successores, quibus datum est ut sana mente essent, et pacem mutuo colerent, cum ipsis diceret, « Pacem meam do vobis, pa» cem meam relinquo vobis. Magnus principatus ejus, et » pacis ejus non erit finis [1]. Secundum Theodotionem vero, » Pacis ejus non erit terminus. » Quantus porro fuerit ejus, qui in prophetia fertur, principatus intelligas, si Ecclesiam ejus in toto orbe constitutam consideres; sed multo magis

[1] Joan. XIV, 27.

si his de illo Apostoli testimoniis animum adhibeas, quibus ait, « Secundum operationem potentiæ virtutis ejus, quam » operatus est in Christo, suscitans illum a mortuis, et » constituens illum in dextera sua in cœlestibus, supra om- » nem principatum et potestatem, et virtutem, et domina- » tionem, et supra omne nomen quod nominatur[1].» Ita magnus est Salvatoris nostri principatus, et pacis ejus non est finis; nam interminabilis, senectutis expers et incircumscriptus ille est : quare dictum est. « Orietur in diebus ip- » sius justitia et abundantia pacis[2].

« Super thronum David et regnum ejus, ad dirigendum » et patrocinandum ei in judicio et in justitia. Amodo et » in sæculum zelus Domini Sabaoth faciet hæc. » Observes accurate, non simpliciter dictum fuisse ipsum in throno David sessurum esse, sed etiam super regnum ejus ad regendum illud; nobis subaudientibus venturum illum esse ad restaurandum thronum Davidis, et tabernaculum ejus, quod lapsum fuerat. Quia enim a temporibus Babylonicæ captivitatis eversum et sublatum fuerat regnum Davidis : ac prophetiæ aderant, quæ vaticinabantur thronum Davidis solaris luminis instar illustraturum esse totum orbem; hanc ille promissionem impletum venit, ex semine quidem David secundum carnem natus, animas autem hominum illuminans, ac regnum ejus apud omnes totius orbis gentes confirmans. In his quippe regnum Davidis erexit, a Judæis sublatum. Et hoc præstitit ab hoc tempore usque in sæculum; ita ut illud, *amodo*, initium temporis definitum significet, quo tempus ejus ad homines adventus declaratur; illud autem, *in sempiternum*, infinitum ac perpetuum regnum ejus declarat. Observandum autem est, primam de eo, qui in prophetia fertur, prædictionem, illum ex Virgine nasciturum esse declarare; secundam vero, ac si

[1] Ephes. I, 19. — [2] Psal. LXXI, 7.

quæratur, quo pacto id futurum sit, ipsum Dominum sic loquentem inducere, « Et accessi ad Prophetissam : et in » utero accepit, et peperit filium; » tertiam autem, virgineum partum non ultra memorare, neque modum stupendæ illius secundum Deum conceptionis, utpote nobis hanc rem jam edoctis; sed de Filio ipsius verba facere, nosque in theologiæ ejus arcanis instituere. Cæterum nescio quo pacto ii, qui ex circumcisione sunt, hæc de vulgari puero dici statuant, nolentes admittere Salvatorem nostrum, cui ipsa opera testimonium adferunt, cum eventus rerum, sermones obsignet. « Zelus Domini Sabaoth faciet » hæc. » Quis zelus nisi ille bonus et condecens, quo ille incensus est, ad salutem iis omnibus parandam, qui sub dominio Diaboli erant, et in impietatem pertracti fuerant?

« Mortem misit Dominus super Jacob, et venit super » Israël : et cognoscet omnis populus Ephraïm, et qui se» dent in Samaria in contumelia et alto corde, dicentes : » Lateres ceciderunt; sed venite dolemus lapides, et cæda» mus sycaminos et cedros, et ædificemus nobis turrim[1]. » Id est, ii qui Samariam incolunt, Israël nuncapati, et populus Ephraïm vocati, quia regibus tribus Ephraïm subditi erant, irridentes et vilipendentes Jerusalem, ipsam ex lateribus structam dicebant, ac tegulas habere *ex sycaminis*, sive secundum reliquos interpretes, *ex sycomoris*, factas. Deinde vero, ac si illi præstantiorem urbem structuri essent, eam ex incisis lapidibus et ex cedris se ædificaturos esse pollicebantur; et templi in Jerusalem stantis loco, turrim sibi excitaturos in Samaria; ideo quia illi in tantam arrogantiam venire ausi fuerant, deinceps comminatur eis his verbis : « Et franget Deus eos, qui insurgunt super » montem Sion, et inimicos dissipabit[2]. » Secundum historiam enim, quia, inquit, ii qui Samariam incolebant talia

[1] Isa., IX, 8, 9 et 10. — [2] Ibid., XI.

ausi sunt, et petulanter agebant contra montem Sion, et contra Deum ibidem cultum; eos se, quasi ex magna superbiæ celsitudine depressurum et fracturum comminatur. Ii quippe qui contra montem Sion insurrexerunt, etiam in ipsum Deum impie agebant, quos se humiliaturum et confracturum esse dicit; nec ipsos solos, sed etiam inimicos ejus dissipaturum esse: significans eos ex Damasco, qui Israëlis commilitones erant, ut prius traditum est. Ac reliquos omnes qui contra montem Sion et contra Deum ibidem cultum insurrexerunt, se dissipaturum esse pollicetur: ex quorum numero alii ex oriente erant, alii ex occasu solis, medii autem eorum Græci erant. Hi etenim omnes memoratum Israëlem pleno ore devorantes, atque in suum idololatriæ errorem dejicientes, se iis, qui contra montem Sion insurgebant, auxiliaturos ac commilitones eorum futuros esse promittebant.

« Et abstulit Dominus ab Israël caput et caudam, magnum et parvum in una die, senes et eos qui vultum admirantur, hoc est principium; et Prophetam docentem iniqua, hic est cauda. *Pro illo*, abstulit Dominus ab Israël, *Aquila*, et disperdet Dominus; *Symmachus vero*, et disperdet Dominus; *Theodotio*, et auferet, » in futuro dixerunt; quasi Deus hæc facturus sit: quæ ante eventum prædicit, ut auditores ad pœnitentiam provocet, ne quæ comminatur ipsis eveniant. Una porro die se prædicta omnia, quæ quidem perspicua sunt, facturum esse dicit; id est, uno eodemque tempore. Cum autem dicit caput et caudam, brutum animal significat; id quippe non hominum proprium est, quod caudam habeant, sed brutorum animalium, quibus populum similem esse dicit: vel caput et caudam, rationabilem et irrationabilem; principem, subditum et ultimum vocat: quod etiam sic declaravit dicens, « magnum et parvum. *Pro illo*, qui vultus admiran-

» tur; *Symmachus*, et venerabilem, » interpretatus est. Hic ergo venerabilis et senex, caput esse potest; cauda vero, Propheta qui iniqua docet, qui quasi bruti animalis ultimum membrum est. Hos igitur de medio tollendos, atque uno tempore exterminandos esse interminatur.

« Et succendetur quasi ignis iniquitas : et quasi gra- » men siccum devorabitur ab igne. Et succendetur in » densitatibus saltus, et devorabit omnia quæ circum colles » sunt[1]. » Se ut bonum animarum agricolam, hæc facturum esse comminatur Dominus; ut iniquitas eorum deleatur instar herbæ sylvestris ab igne absumptæ. « Propter furorem » iræ Domini combusta est universa terra, et erit populus » quasi succensus ab igne. Homo fratris sui non miserebitur : » sed declinabit ad dexteram, quia esuriet, et comedet a » sinistris, et non saturabitur homo comedens carnes bra- » chii sui. Devorabit enim Manasses Ephraïm, et Ephraïm » Manassen, quia simul obsidebunt Judam. In his omnibus » non aversa est ira, sed adhuc manus excelsa.[2] » Ita ut insurgat frater in fratrem, ac nemo proximo suo parcat, omnesque mutuo agant ut inimici; ita ut coorta et ardens inter utrosque seditio, et civile bellum eò usque veniat, ut duæ illæ tribus Ephraïm et Manasses, ex uno patre Joseph ortæ, ac sub eodem regno degentes, atque unam eamdemque urbem incolentes Samariam, contra se mutuo insurgant, ac brachia invicem devorent, bello contra Judam inferendo, ac obsidioni Jerosolymæ non ultra vacantes, sed contra se mutuo gladios acuentes, ut se vulneribus conficiant ac deleant.

[1] Isa., IX, 18. — [2] Isa., IX, 19, 20 et 21.

CAPUT X.

« Væ scribentibus malitiam : nam scribentes malitiam » scribunt : declinantes judicium pauperum, rapientes ju- » dicium inopum populi mei; ita ut sit illis vidua in rapi- » nam, et orphanus in direptionem [1]. » Illum Israelem dictum, videlicet Judaïcum populum regno Samariæ subditum, de his item, præter ea quæ superius memorata sunt, accusat Scriptura, dicens, eos ob contentionem et disceptationem eorum, qui veras Dei prophetias adulterabant, falsa vaticinia comminisci. Erant itaque, erant pseudoprophetæ multi in Israele contraria loquentes et contraria scribentes iis, quæ veri Dei Prophetæ tradebant. Iidem vero ipsi scripta nefaria edebant, et omni improbitate referta : in miseros pauperes dominatum exercebant, ac violenter superbeque agebant in orphanos et viduas patrocinio carentes. Tales item dixeris eos, qui hodie perversis scriptis simpliciorum animas evertunt.

« Et quid facient in die visitationis ? nam tribulatio vobis » e longinquo veniet. Et ad cujus auxilium confugietis? Et » ubi relinquetis gloriam vestram, ne cadatis in abductio- » nem [2] ? » Comminatur ergo iis propheticus sermo dicens : « Et quid facient in die visitationis, » qua tribulatio et ira procul ipsis veniet? Nam cum ea procul existat; quia ipsa a me Deo eliminata est; vos sane, quibus hæc dicuntur, quasi vi utentes contra vos ipsos, eam attraxistis : qua sua perveniente, ad cujus auxilium confugieris? « Super his

[1] Isa., x, 1 et 2. — [2] Ibid., 3 et 4

» omnibus non aversa est ira; sed adhuc manus excelsa. » Nam iis qui in præsenti accusantur, eadem in absurditate permanentibus, consequens erat, ut ira quoque permaneret.

« Væ Assyriis, virgæ furoris mei : et ira est in manibus » eorum. Iram meam in gentem iniquam mittam, et po-» pulo meo præcipiam ut faciat spolia et depopulationem, » et conculcet civitates, et ponat eas in pulverem [1]. » Ad hæc usque perseveravit accusatio populi; post quam, consequenter ad minas à prophetia enuntiatas, non diu Assyrii irrumpentes Samariam obsident, et totam ipsorum regionem depopulantur, novemque Judaïcæ gentis tribus in Assyriorum terram captivas abducunt. Post enarratam ergo populi Israël dicti captivitatem, ad eos qui captivitatem abduxerunt sermo transfertur. Hi porro erant Assyrii, quibus hæc præsentia comminatur. Quod autem, cum hæc dicerentur, jam populus ab Assyriis translatus et Samariam obsessa fuisset, hinc palam est, quod ibidem ex Assyriorum regis persona dicatur, « Cepi Arabiam, et Damascum et » Samariam : quemadmodum illas, sic et omnes principatus » capiam; *ac rursum*, Quemadmodun feci Samariæ, et om-» nibus manufactis ejus, sic faciam Jerosolymæ. » Docet autem historia in diebus Achaz ascendisse regem Assyriorum Samariam, et obsedisse illam, ac tunc quidem partem populi captivam duxisse : sub Ezechia autem Achazi successore universum populum transtulisse in Assyrios.

« Ipse autem non sic cogitavit, et in anima non sic ar-» bitratus est; sed avertet mens ejus ad gentes extermi-» nandas non paucas. Et si dixerint ei, tu solus es princeps : » respondebit, An non cepi regionem supra Babylonem et » Chalanem, cujus turris ædificata est : et cepi Arabiam, » et Damascum, et Samariam [2]? » Cum meam, inquit, po-

[1] Isa., x, 5 et 6. — [2] Ibid., 7, 8 et 9.

testatem acceperit, non sic ille arbitratus est; sed elatus mente fuit ac si populum meum propria virtute debellasset. Nec illo contentus excidio, infinitas alias gentes se invasurum minatur : quia illam præstantiorem ac sub Dei tutela positam debellaverat. Quamobrem iis, qui subjecti fuerant, mirantibus eum, ac dicentibus, « Tu solus es princeps; » respondet ille his verbis : Me principem nondum vocetis neque dominum, quandoquidem omnes undique regiones nundum cepi : cæterum « Quemadmodum » has cepi, sic et omnes principatus capiam. Ululate sculp» tilia in Jerusalem et Samaria[1]. » Ad ipsos Assyrios eorumque principem, qui hæc tam arroganter proferebat, sermonem dirigit. Væ Assyriis, ait, quia non intellexerunt iram meam, contra facinorosos illos excitatam, talem ipsis inferendæ ultionis potestatem indidisse : sed opinabantur se suapte virtute gentes debellasse : « Quemadmodum enim » feci Samariæ et manufactis ejus; sic faciam Jerosolymæ » et idolis ejus[2] » Jerosolymam itaque Samariæ paria perpessuram interminatur. Hæc porro prædicit, auditores ad conversionem et pœnitentiam provocans, atque exempli formidine ad resipiscentiam invitans. Non enim Assyrius, inquit, hæc contra Samariam patravit; sed ego Deus, idque ob incolarum ejus impietates. Igitur secundum æquitatis leges, par est eos qui in Jerosolymis degunt pari obsidioni et excidio tradi, quia ipsi paria iis, qui jam memorata passi sunt, perpetrarunt.

« Et erit, cum impleverit Dominus omnia facere in » monte Sion et in Jerusalem, visitabo mentem magnam, » principem Assyriorum, et celsitudinem gloriæ oculorum » ejus[3]. » His consequenter docet, Assyrios tandem et eorum principem, etsi cum tali, quali jam declaratum est, arrogantia egerint, Samariam et Damascum subegerint;

[1] Isa., x, 10. — [2] Ibid., 11. — [3] Ibid., 12.

tamen ad certum usque terminum usuram temporis habituros; quo elapso, imperium eorum non ultra consistet: diuturno illo ac florenti imperio funditus everso. « Dixit » enim, in fortitudine faciam, et in sapientia prudentiæ » meæ auferam terminos gentium, et fortitudinem earum » devastabo[1]. » Deo quippe gloriam non tribuens, neque secum reputans universorum Deum esse, qui ipsi et Israelem et Judam, et omnes alios supplicio dignos tradiderat; altum sapiebat, cogitans, et ad seipsum dicens, secundum Symmachum, « In virtute manus feci, etc. »

« Et commovebo urbes habitatas, et universum orbem » comprehendam manu quasi nidum, et quasi ova dere» licta auferam: et non est qui effugiat me, aut contradi» cat mihi. Numquid gloriabitur securis sine cædente? aut » exaltabitur serra, sine trahente illam, ut quis efferat vir» gam aut lignum? At non sic, sed mittet Dominus Sabaoth » in honorem tuam ignominiam, et in gloriam tuam ignis » comburens accendetur[2]. » Ad hanc superbam cogitationem; sive ea cujusdam adversariæ potestatis fuerit, qualis erat princeps regni Persarum, et princeps regni Medorum, et princeps regni Græcorum; sic enim quispiam dixerit esse principem regni Assyriorum, arroganter agentem, atque has voces emittentem; sive ad hunc, inquam, sive ad regem Babyloniorum, qui Jerosolymam obsessit, et Templum incendit, et omnia sacra vasa ejus et donaria abstulit, ac in ipsa Babylone idolis suis consecravit; utpote qui gravia et insana proferre ausus esset, respondet propheticus sermo: Deinde, ô omnium stultissime, non vides non posse securim, nullo operante, ad lignum cædendum se movere; neque serram ligna posita secare, nemine trahente, neque virgam quempiam percutere, neque lignum suopte motu quemvis cædere? Cogitandum sane erat, ne-

[1] Isa., x, 13. — [2] Ibid., 14, 15 et 16.

que tibi, iræ Dei ministro, talem adfuisse potestatem, ut infinitas gentes domares, neque ut alios quidem cæderes, alios percuteres, civitates integras captivas duceres, ac innumeram multitudinem protereres, quavis serra, securi et virga acerbior; nisi Deus his suppliciis dignos tibi tradidisset. Nunc porro nihil eorum cogitans, altos spiritus cepisti; ita ut te magnam illam mentem esse putares. Non enim pacem illam Dei, quæ mentem omnem exuperat ob oculos ponebas : sed te omnium maximum esse ratus, ac superbis oculis contra Deum elatus, gentium terminos confundere cogitasti, quos definivit Deus et pulchre ordinavit, « Quando separabat altissimus gentes, ut disseminabat filios Adam; constituit terminos gentium secundum numerum Angelorum Dei[1]. » Tu vero sapientia et erranti prudentia tua arbitratus es posse te a Deo probe constitutos terminos alio transferre, atque totum orbem ditioni tuæ subigere. Nam æstimasti, neminem iis prospicere vel patrocinari, Deumque homines qui sunt super terram nihil curare : quamobrem gentes orbis universi, quasi pullos desertos, aut ova derelicta te capturum opinatus es. Oportet igitur recta cogitatione putare, te ne eos quidem quos subegisti, sine nutu Dei domuisse. Unde namque tibi talis potestas adfuisset, nisi Deus id permisisset, neque te ut instrumento ad castigationem et supplicium eorum, qui correctione et conversione opus habebant, usus fuisset?

« Et erit lumen Israël in ignem, et sanctificabit illum in igne urente : et devorabit quasi fœnum sylvam. In illa die extinguentur montes, et colles et sylvæ[2]. » Ipse qui olim populum suum illuminabat Deus, et sanctificabat illum, tibi superbo ignis effectus est. Pro illo autem, « Et sanctificabit illum in igne urente, » Symmachus, « Et sanctus ejus in flammam. Nam tibi, inquit, Assyrio, qui

[1] Deut., XXXII, 8. — [2] Isa., X, 17 et 18.

impie et tumide cogitare ausus es, sanctus Israel, et qui olim ejus lux fuit, in flammam et ignem evadet. Collibus vero, montibus et sylvis, e re comparat illam Assyriorum multitudinem, duces autem eorum, et qui alii præerant, quasi colles et montes dicit. Sed illi quidem extinguentur; id est, illi olim graves et ardentes, vel inviti, frigidi evadent. Mors quippe illos devorabit, tantum non et animas cum corporibus absumens. Quod autem animæ non una cum corporibns tollantur, cuique manifestum est: quod animæ firmitatem subindicat. Cum sylvam dicit, multitudinem quæ cum rege Assyriorum erat denotat: Carmelum vero, ut ait Symmachus, ejus divitias nuncupat, necnon voluptates, quæ absumenda dicit ab ultrice prædicti ignis violentia.

« Et devorabit ab anima usque ad carnes: et erit qui » fugiet quasi fugiens a flamma urente. Et qui relinquentur » ex ipsis numerus erunt, et puer scribet eos[1]. » Cum hæc, inquit, Assyrio contigerint, ille fuga se proripiet, atque omnes qui cum illo erunt, idipsum agent. Quod si quidam pauci relinquantur, tot erunt, ut possit quivis puerulus illorum numerum assequi, ac scripto consignare, reliqua multitudine de medio sublata. Hæc et secundum litteram et secundum mentem dicta sunt; secundum litteram quidem, si ad Nabuchodonosorem referantur, qui Templum incendit et urbem; secundum mentem vero, si ad potestatem adversariam, quæ cum ea, quæ in prophetia feruntur, perpessa esset, adversariorum Assyriorum potentia confestim sublata est.

« Et erit in die illa, non ultra adjicietur residuum Israël, » et qui salvi fuerint ex Jacob, non ultra fiduciam habebunt » in illos qui se injuria affecerunt; sed fiduciam habebunt » in Deo sancto Israël in veritate. Et erit residuum Jacob

[1] Isa., x, 19.

» in Deum fortem[1]. » Quo tempore, inquit, prædicta omnia contra memoratum principem Assyriorum, opere complebuntur, qui ex Judæorum populo in captivitatem adducto residui erunt, ab inimica regione liberi evadentes, et in propriam reversi, non ultra attendent iis, quibus antea animum adhibebant, Dæmonibus malignis, qui animas suas læserant, et omnium sibi malorum causa fuerant; sed Deo tandem soli applicabuntur, utpote qui redemptor sibi et Servator effectus sit. Hæc vero reipsa completa sunt Cyri Persarum regis tempore, qui Judæos omnes in captivitate agentes remisit, cum Zorobabel, Jesus filius Josedec sacerdos magnus, et qui cum Esdra et Nehemia erant, ex Babylone reversi, Templum excitarunt, urbemque ipsam restauraverunt.

« Et si fuerit populos Israël sicut arena maris, residuum » ejus salvabitur[2]. » Promiscuam et inutilem gentis multitudinem, quæ post reditum ex Babylone usque ad Romana tempora regionem incoluit, indicat propheticus sermo : hi quippe erant sicut arena maris, quorum residuum tantum salutem consecutum est. Hi porro ex illis erant qui in Christum crediderunt, Discipuli ejus, Apostoli et Evangelistæ. Nam arena maris multitudine quidem innumerabilis; verum inutilis est ad agriculturam. Cum ergo populus Israël, inquit, in multitudinem innumeram diffusus fuerit, ita tamen ut inutilis sit ad fructum secundum Deum ferendum; tunc multitudo quidem eorum peribit, ac solæ ejus reliquiæ salutem consequentur. « Quia verbum abbreviatum » faciet Dominus in universa terra[3]. » Evangelium novi Testamenti clare subindicat, quod in universa terra prædicatum est. Abbreviatum quippe erat verbum evangelicum, quod omnia Moysis præcepta non complecteretur. Hæc dicta commemorat Apostolus his verbis, « Hesaïas autem

[1] Isa., x, 20 et 21. — [2] Ibid., 22. — [3] Ibid., 23.

» dicit de Israël : si fuerit numerus filiorum Israël tanquam » arena maris, reliquiæ salvæ fient. Verbum enim con- » sumans, et abbrevians faciet Dominus super terram[1]. »

« Propterea hæc dicit Dominus Sabaoth, Noli timere, » popule meus, qui habitatis in Sion, ab Assyriis, quia in » virga percuti et te : plagam enim inducam super te, ut » videas viam Ægypti[2]. » Hortatur itaque ne timeat Assyrios : nam venturum quidem ait eorum regem et Jerusalem oppugnaturum esse, ut ejus incolæ brevem plagam experiantur, ceu virga percussi ; at illum re infecta fugientem reversurum esse. Quæ sane completa sunt, Ezechia filio Achaz in Jerusalem regnante : qui vir fuit non patri similis, sed justus et omnimode religiosus. Etsi igitur, me id permittente, rex eorum interrumpat; attamen ad correptionem tantum virga percutiet te, non cum gladiis et hastis bellico more victor irruet in te. Hæc porro virgis inflicta tibi plaga non præter rationem erit : causam quippe cur Assyrio concessum sit ut moderata te plaga afficiat, non ignores opportet : quia enim viæ in Ægyptum denuo te commisisti, idololatriæ Achazi tempore deditus; ideo vos Assyrii virgæ tradidi, ut ad sanam mentem et conversionem reducerem.

« Adhuc enim paululum, et cessabit ira : furor autem » meus super consilium eorum. Et suscitabit Deus super » eos secundum plagam Madiam in loco tribulationis : et fu- » ror ejus in viam ad mare, in viam Ægypti[3]. » Siquidem vobis cum rege vestro Ezechia ad meliorem frugem revertentibus, ac Deum agnoscentibus, indignatio mea contra vos accensa cessabit : me autem vestræ saluti patrocinante, Assyrius turpiter per vestram regionem, perque vestras urbes fugiet, a loco in locum sese fugâ subducens.

« Et erit in die illa auferetur jugum ejus ab humero tuo,

[1] Rom., IX, 27. — [2] Isa., X, 24. — [3] Ibid., 25 et 26.

» et timor ejus super te, et corrumpetur jugum ab humeris » vestris. Veniet enim in civitatem Angæ : et transibit in » Maggedo, et in Machmas ponet vasa sua. Et transibit » vallem, et veniet in Angæ. Timor apprehendet Rama ci- » vitatem Saül. Fugiet filia Gallim, audietur in Laïsa : audie- » tur in Anathoth. Et obstupuit Madebena, et habitatores » Gibbir. Consolamini hodie in via ut maneat. Consolamini » manu montem, filiam Sion, et colles in Jerusalem. Ecce » dominator Dominus Sabaoth conturbabit gloriosos cum » fortitudine, et excelsi injuria conterentur, et humiliabun- » tur[1]. » Tu quippe, ait ille populum suum alloquens, liber et omni metu vacuus eris : qui vero fugiebat, prius veniet in civitatem Angæ; inde vero alium in locum commigrabit, ibique defatigatus, sarcinas ponet suas : deinde istinc alió transibit, unde veniet in urbem quam vocant Saülis, postea vero in alium locum : atque sic turpiter de medio tolletur; vos autem consolabimini, et solatium accipietis, non amplius Assyriorum jugo subditi. Ut enim ab ingruente illaque brevi correptione non fugiant, sed permaneant, *Consolamini*, ait, *filiam Sion;* videlicet habitatores Jerusalem.

« Et cadent excelsi gladio : Libanus autem cum excelsis » cadet[2]. » Vide mihi quam sæpe et quoties excelsos nominet, quorum cœtum Libano et ejus altissimis cedris similem dicit. Quare dictum est alibi, « Vidi impium superexaltatum, » et elevatum sicut cedros Libani; « et alias iterum[3], » Vox » Domini confringentis cedros et confringet Dominus cedros » Libani : et comminuet eas tanquam vitulum Libanum[4]. »

[1] Isa. x. 27, 28, 29, 30, 31, 32 et 33. — [2] Ibid., 34. — [3] Psal. xxxvi, 3. — [4] Ibid. xxviii. 5.

CAPUT XI.

—

« Et egredietur virga de radice Jessæ, et flos de radice » ascendet[1]. » Quo pacto prædictorum omnium contritio et ruina futura sit deinde declarat, ex radice Jessæ prodituram virgam esse vaticinans : quæ virga omnes sublimes conteret et humiliabit. Quare subdit, « Et egredietur virga » de radice Jessæ. » Pro illo autem, *de radice*, reliqui omnes Interpretes, *à trunco* verterunt. Etenim tribus et familia, ex qua Salvator prodiit, ceu quidam truncus erat, qui nondum ramos emiserat, quia post captivitatem in Babylone, ex successione Davidis reges defecerant; ideo videtur mihi truncus vocari genus Davidis secundum carnem, cujus pater erat Jessæ. Tempus itaque quo illa prius memorata futura sunt declarans, admodum opportune Christi ad homines adventum subjungit. Quia enim in præcedentibus ea quæ ad ortum ex Virgine spectabant edocuerat, atque vocabula intelligibiles ejus virtutes indicantia protulerat; consequenter in præsenti quo ex genere et ex qua tribu, quæ opera ejus ad homines adventus editurus sit, prænuntiat.

« Et requiescet super eum Spiritus Dei, Spiritus sapientiæ » et intelligentiæ, Spiritus consilii et fortitudinis, Spiritus » scientiæ et pietatis. Replebit eum Spiritus timoris Dei. Non » secundum opinionem judicabit, neque secundum loque» lam arguet[2]. » Cuivis volenti facile est deprehendere quo

[1] Isa., XI, 1. — [2] Id., ibid., 2 et 3.

pacto Salvator et Dominus noster, non secundum opinionem judicabat. Nullius enim personam accipiens, modo Scribas et Pharisæos, mox summos Pontifices in Templo fidenter arguebat, quibus etiam hæc dicebat. « Auferetur » a vobis regnum, et dabitur genti facienti fructus ejus[1]. » Sed nec secundum loquelam arguebat : nam alii ipsum adibant dicentes, « Magister, scimus quia verax es, etc. [2] » Ille vero non secundum loquelam eorum arguebat : quare gnarus malitiæ eorum dicebat, *quid me tentatis, hypocritæ?*

« Sed judicabit humili judicium, et arguet humiles » terræ, et percutiet terram verbo oris sui[3]. » Intelligas, si audias eum alibi dicentem, « Nolite putare quod venerim » pacem mittere super terram: non veni pacem mittere, » sed gladium [4]. » Gladius autem erat verbum oris ejus, quo terram et terrenos eorum, qui in ipsum crediderant, sensus de medio tollebat. « Et in spiritu per labia interfeciet impium. « Interficiet impium, atheos ac impios dæmones in spiritu increpans et procul abigens verbo per labia ipsius prolato; ita ut illi clament et dicant, « Quid nobis et » tibi, fili Dei? venisti ante tempus torquere nos. Novimus » te quis sis, sanctus Dei[5]. »

« Et erit justitia cinctus lumbos suos, et veritate circumvolutus latera sua [6]. Quemadmodum enim rex zona aurea, et lapidibus pretiosis præcingitur ; sic et ei qui in prophetia fertur, zonam assignat justitiam et veritatem. His item Verbi Deitas intelligi potest. Ipse quippe erat justitia, ut docet Apostolus his verbis, « Qui factus est » nobis sapientia a Deo, justitia quoque et sanctificatio, » et redemptio[7]. » Ipse quoque Servator in Evangeliis dixisse scribitur, « Ego sum lux, et veritas et vita [8]. » Hæc

[1] Matth., XXI, 43. — [2] Ibid., XXII, 16. — [3] Isa., XI, 4. — [4] Math., X, 34. — [5] Id., VIII, 29. — [6] Isa., XI, 5. — [7] I Cor. I, 30. — [8] Joan., XIV, 6.

igitur, veritas scilicet et justitia ejus, qui ex radice Jessæ prodierat, constringebant latera et lumbos in regio et militari habitu: sermone, ejus contra occultos et invisibiles hostes apparatum declarante.

« Et simul pascet lupus cum agno, et pardus cum » hædo accubabit: et vitulus, et taurus, et leo simul pas» cent, et puer parvulos aget eos, et bos et ursus una » pascentur, et catuli eorum simul erant, et leo quasi bos » comedet paleas[1]. » Lupi quidem inter homines sunt viri rapaces: a nequitia vero sua recipiscent, ita ut cum agnis mitibus et mansuetis eorum animæ sub uno Ecclesiæ ovili degant. Alii vero longe immaniores, atque vehementer efferati viri, nihil a pardis discrepantes, belluæ ferocitatem deponentes, una cum hœdis simplicioribus ac mitioribus accubabunt. Alii vero leoni moribus perquam similes, crudelitatem et voracitatem suam mutantes, una cum infantibus Ecclesiæ recens ortis, quasi taurus et vitulus pascent, eodem cibo ex divinis Scripturis petito utentes. Quod si videas regios viros dignitate et præstantia in hac vita ornatos, in Ecclesia Dei cum pauperibus ex infima plebe congregatos, ne cuncteris dicere etiam hac ratione impletam esse Scripturam. Omnes itaque jam memoratos lupos, agnos, pardos, hœdos, leones, vitulos et tauros, ut dicitur, puer infans aget. Illud autem aget, quasi congregabit, dictum est. Quod ipsa re gestum perspicere licet iis, qui præsulum multos vident in Ecclesia Christi, ob animi simplicitatem et innocentiam, nihil ab infantibus discrepare; etsi tamen præfecti sint eorum, qui ab omni genere in unum congregantur. Cum porro ait, « Et bos » et ursus pascentur simul et una erunt catuli eorum, » hic quoque mansuetorum, et ad animæ agriculturam idoneorum hominum, aliorumque moribus efferatorum,

[1] Isa., XI, 6 et 7.

communionem describit. Tu ergo qui divitum et pauperum, improborum et bonorum filios in Ecclesia collectos vides, prophetiæ testimonium reddes, quæ ait, « et simul » catuli eorum erunt. » Leo itaque natura carnivorus, instar animalis herbivori palea nutritus, jure habeatur pro homine feroci ac inhumano, qui nudæ divinæ Scripturæ lectioni gaudeat. Ac enim mens in occulto latens, ipsum triticum ac verbum animabus alendis aptum; littera vero mentem et sensum complectens, palea fuerit.

« Et puer infans in foramina aspidum, et in cubilia fi» liorum aspidum manum injiciet[1]. » Foramina et cubilia aspidum ac progenies eorum, fortasse corpora fuerint eorum qui a Dæmonibus agitantur, ubi ceu in latibulis et foveis reptiles illi et venenati spiritus cubabant, corporeis sensibus ceu foraminibus utentes. Hos porro puer Christi, vir quivis simplex et malitia infans, Salvatoris virtute depellens, manum suam iis injicit, nihil mali inferre valentibus, propter eum qui ex radice Jessæ prodiit, qui potestatem filiis suis dedit calcandi supra serpentes et scorpiones, et supra omnem virtutem inimici.

« Et non nocebunt, nec poterunt perdere quemquam in » monte sancto tuo[2]. » Hic est mons ille superius memoratus, nec alius, quam cœleste et Evangelicum verbum, in quo domus Dei et Ecclesia ejus ædificata est. Ne quis igitur hic memoratum montem, illum æstimet esse, quem Judæi opinantur, in angulo Palestinæ situm, dicti mentem explicat ac subjungit, « Quia repleta est universa terra cogni» tione Domini, ita ut aqua multa operiat maria » : sic indicans Ecclesiam Dei per totum orbem stabilitam, piamque cognitionem in illa prædicatam, quæ totam nequitiæ hujusce vitæ salsuginem, ceu magno aquarum fluctu inundet, et totam animæ nequitiam expurget.

[1] Isa., XI, 8. — [2] Id., 9.

« Et erit in die illa radix Jessæ, et qui exsurgit imperare » gentibus : in ipso gentes sperabunt : et erit requies ejus » honora[1]. » In illa ergo die, ut palam est, intempore à prophetia notato, hic ipse qui ex radice Jessæ surrecturus est, postquam surrexerit, id est, post resurrectionem ex mortuis, non Judæorum rex erit, neque perinde atque David ejusque successores, in parvo quodam angulo imperabit, sed in universam terram imperium obtinebit. Quare nusquam ejus mortem scripto tradit, sed requiem vocat, gloriam et honorem. Hic quippe Servatoris nostri erga homines œconomiæ finis erat : quod ipse Servator indicat in sua ad Patrem oratione his verbis : « Pater glorifica me gloria » quam habui, antequam mundus esset, apud te. »

« Et erit in die illa, adjiciet Dominus ostendere manum » suam, ad zelandum residuum populi, quod relictum fue» rit ab Assyriis, et ab Ægypto et a Babylonia, et ab Æthio» pia, et ab Elamitis, et ab ortu solis, et ex Arabia[2]. » Quia igitur Propheta eum, qui ex radice Jessæ surget ad imperandum gentibus, vaticinatus est, adjecitque, « in eum gentes spe» rabant, » Judaïcum item genus necessario memorat in præsenti, ne quis suspicaretur eum, qui in prophetia fertur, populo ex circumcisione nihil utilitatis allaturum esse. Docet itaque, quo pacto « in die illa; » id est, tempore adventus ejus qui in vaticinio enunciatur, « adjiciet Dominus » ostendere manum suam, ad zelandum residuum populi. » Pro quo Aquila, « adjiciet, » inquit, « Dominus secundo ma» num suam, ad zelandum residuum populi sui; » Symmachus, « adjiciet Dominus secundo manum suam, ad » possidendum residuum populi sui. » Quemadmodum enim in Ægypto afflictum Judaïcum populum semel ab oppressione liberavit, manu sua mirabilium effectrice per Moysem extensa : qua manu stupenda illa prodigia in

[1] Isa., XI, 10. — [2] Ib., 11.

Ægypti regione edidit, eodem modo iterum adjiciet manum suam, quasi secunda vice mirabilibus edendis operibus illam movens, ut residuum populi possideat, ac studiose conservet. Nam sive in Assyriorum regione, sive in Ægypto, in Babylone, in Æthiopia, in Elamitarum terra ac in reliquis orbis partibus ex Judaïca gente quidam dispersi essent, ex eorum numero eos qui in Christum crediderunt, ac secundum electionem gratiæ residuum effecti sunt, gloria afficiendos et studiose servandos esse dictum est. Quod sane ipsis operibus declaratum est : nam per Discipulos et Apostolos ipsius, ac per alios ex Judæis, qui Christi verbum susceperunt, Ecclesia Dei constituta est : per eos item Ecclesia gentium omnium coaluit, ac universis nationibus Evangelium traditum est, Deo signis, prodigiis, variisque virtutibus ac Spiritu sancto per gratiarum divisiones testimonium suum addente. Eos autem qui verbum ab illis prædicatum accepere, sub tutela sua Deus studiose fovet, et gloriosos apud omnes efficit.

« Et levabit signum in gentes, et congregabit perditos » Israël, et dispersos Juda congregabit ex quatuor alis » terræ. Et auferetur zelus Ephraïm, et inimici Juda peri» bunt. Ephraïm non æmulabitur Judam, et Judas non tri» bulabit Ephraïm [1]. » Nam Christi Discipuli iis, qui ex circumcisione erant, primo prædicantes, ex ipsis eos, qui crediderunt, congregarunt in Ecclesia Christi : qui sane olim perierant, ut Servator declarat his verbis, « Ite ad » oves, quæ perierunt domus Israël [2]. » Hæc porro fecerunt in quatuor alis sive plagis terræ : Orientem et Occidentem, Septentrionem et Meridiem percurrentes. Illis itaque primo Evangelicum verbum tradiderunt, deinde reliquis gentibus prædicarunt. Quamobrem dictum est, « et con» gregabit perditos Israël, et dispersos Judæ. » Quis con-

[1] Isa., XI, 12 et 13. — [2] Matth., X, 6.

gregabit, nisi Apostolicus chorus, sive is qui ab illis prædicatur, ex radice Jessæ ortus? In una porro Ecclesia tunc congregabantur, non ultra dissiti, neque separati ut antea,

« Et volabunt in navibus Allophylorum, mare simul » prædabuntur[1]. » Oportuit igitur eos, postquam gentes circumquaque adierant, etiam maris itinera emetiri. Quasi volantes igitur quam celeriter cursum maris conficiebant, ita ut brevi quam plurimis gentibus Evangelium prædicarent. Et sane modo pedibus, modo mari iter agebant, non Judæis gubernatoribus usi, sed viris, qui nondum Christum susceperant. Hac vero ratione etiam maria prædabantur; his significantur insulæ quarum incolas dum in transcursu peragrarent, salutari doctrinæ subjiciebant.

« Et eos qui sunt ab ortu solis, et Idumeam : et in » Moab primo manus injicient. Filii Ammon primi obe- » dient. » Prædabuntur, inquit, Christi Discipuli etiam eos qui ab ortu solis sunt : narratur quippe eorum quosdam usque ad Persarum et Indorum regionem penetrasse. Quia vero Prophetæ hujus tempore, Idumæi, Moabitæ et Ammonitæ, gentes illæ Arabicæ, circa Judæam positæ, inimici et hostes videbantur esse Deo penes Judæos culto, ob absurdam quam fovebant idololatriam, jure ac merito ii nominatim commemorantur, utpote qui piam religionem ab Apostolis annuntiandam suscepturi sint.

« Et desertum reddet Dominus mare Ægypti : et injiciet » manum suam super flumen in spiritu vehementi[2]. » Ægyptum quidem, sensilem illam Ægyptiorum regionem esse necessario confitendum est; sed mare et flumen ejus allegorice accipienda : quæ in tempore a prophetia indicando vastanda fore ait, quando Dominus abjecturus dicitur, ut ostendat manum suam. Etenim adjectio, jam peractis rebus alia similia addenda esse significat. Olim quidem Moysis

[1] Isa., XI, 14. — [2] Ib., 15.

tempore manus Domini filios Israël eduxit ex Ægypto, per Mare Rubrum transire fecit, et induxit in terram promissionis, quæ prius Allophylorum erat. Nunc autem per eum, qui ex radice Jessæ prodiit, ipsa Domini manus, bonorum accessionem afferens, Apostolos Salvatoris, et salutaris Evangelii præcones, ipsosque Judæos et ex Judæis profectos, gloriosos et æmulatione dignos per totum orbem effecit; imo etiam in ipsa Ægypto, quo libere illi, nemine obstante, peragrabant, et ad Ægyptiacam idololatriam evertendam ultro citroque permeabant. Ac illi quidem Moysis tempore, fugientes Pharaonem et Ægyptios, exierunt; Discipuli autem Christi ingressi sunt in Ægyptum, spontanei salutaris verbi præcones. Illis tempore Moysis mare sensili more divisum, aqua vero Ægyptii fluminis in sanguinem mutata est; at bonorum accessio memoratis temporibus facta, mari quidem Ægyptio vastationem, flumini vero eorum extremam siccitatem minatur, ut Evangelii præcones nullo obice Ægyptiorum regiones circumeant, ac multorum quidem deorum superstitionem evertant; Dei autem qui supra omnia est, et Christi ejus ex radice Jessæ prodeuntis, notitiam tradant. Observandum autem est quo pacto non regionem Ægypti, sed mare vastaturus esse Dominus dicatur, Scriptura copiosam idololatriæ varietatem his indicante. Pro illo autem, « Desertum faciet Deus mare Ægypti; » tres alii similiter interpretati sunt, « Et anathe» matizabit Dominus linguam maris Ægypti. » Si itaque malitiæ hujus vitæ colluvies mari comparatur, vide annon merito atheorum impiorumque hominum linguam qui olim Deum ignorabant, ut sic Pharao declarabat, « Non » novi Dominum, et Israël non dimittam, » anathematizaturus Dominus esse dicatur secundum tres interpretes, ut ne ultra Ægyptiaca lingua superstitionis errorem confirmarent, sed eloquia Dei proferre, ac jurare in nomine Domini Sa-

baoth ediscerent, quod futurum esse in sequentibus sermo declarat. Sic porro anathematizata est Ægyptiaci maris lingua, ut malignorum, quos illi colebant, Dæmonum oracula penitus silerent, divinationesque, ac malæ artes, quas præstigiatorum opera exercebant, prorsus cessarent: quæ omnia impleta sunt post prædicationem Evangelicam Ægyptiis factam. Inde vero etiam penes nos tota eorum, qui apud Ægyptios dii existimabantur, exstincta virtus est: atque omnium improborum et atheorum, qui per totum orbem Ægyptiaco similem idololatriæ morem sectabantur, illud olim exundans et fluctibus agitatum mare, extremam passum est vastitatem.

« Et injiciet manum suam in flumen spiritu vehementi, » et percutiet septem canales, ita ut transeant per illud » calceati [1]. » Spiritum vehementem dicit eum, qui primus Ægyptiorum regum evertit, Romanorum ducem. Septem vero canales, si animo perpenderis, sic intelliges, olim quidem unius fluvii maximum alveum fuisse, quo Ægypti regia indicabantur; ea vero omnibus circum gentibus imperabat : illa autem soluta et eversa, quosdam regulos in partes distributam eam obtinuisse, quorum alii quidem Libycas partes administrabant; alii separatim Thebæorum tractus, alii Ægyptum et Alexandriam. Et ex his alii quidem præfecturis exornati sunt, quibus publicarum et politicarum rerum cura concredita fuit; alii vero bellicorum ordinum duces effecti; et hi omnes a majori potestate ad memoratas dignitates evecti; postea vero ad privatam conditionem redacti, canalibus jure collati sunt, ad comparationem fluminis apud illos exundantis; regii dico, quod omnem una Ægyptum, ac simul gentes circumpositas, uno alveo inundabat, una regia potestate in universos dominatum obtinente. « Et erit transitus derelicto populo meo in

[1] Isa., XI, 15.

» Ægypto : et erit Israeli, quasi dies qua exivit ex Ægypto[1];» ita ut deinceps Ægyptus Evangelii Christi præconibus pervia sit, nullo obstante vel ingressum prohibente. Quapropter, utpote jam sublato Ægyptiorum regno, ac demonica operatione apud ipsos exstincta, Evangelica prædicatio quiete annuntiabatur.

CAPUT XII.

—

« Et dices in die illa, benedicam te, Domine[2]. » Quemadmodum enim Moysis populus mare rubrum, quasi per aridam, olim trajecit; ac post transitum, canticum canebant dicentes, « Cantemus Domino, gloriose enim glo» rificatus est[3]; » sic et Evangelistæ Salvatoris nostri qui in prophetia feruntur, iidem ipsi videlicet qui ex tota Judaïca gente relicti fuerant, cum nullo obstante cursum suum perficerent, ac totam Ægyptiorum regionem pervaderent, Judæis quidem Evangelium prædicantes in synagogis, ex gentium vero conversione Ecclesias Christi constituentes; canticum novum, perinde atque illi tempore Moysis, canere docebant eos, qui opera sua fructum perceperant; hoc scilicet canticum olim a Domino per propheticum sermonem prænuntiatum : « Et dices in die » illa; benedicam te, Domine, quoniam iratus es mihi, et » avertisti furorem tuum, et misertus es mihi. Ecce Deus » meus, Salvator meus, fiduciam habebo in illo, et non ti-

[1] Isa., XI, 16. — [2] Exod. XV, 12. — [3] Isa., XII, 2.

» mebo : quia gloria mea et laus mea Dominus, et factus » est mihi in salutem, » et quæ sub hæc prosequitur. Illud ergo, « iratus es mihi, » pristinorum peccatorum confessionem exhibet : quorum causa Ægyptii ante salutarem vocationem ira Dei digni erant; illud autem, « avertisti furorem tuum a me, et misertus es mihi, » peccatorum remissionem, illis post vocationem concessam, significat. Nam gratia et veritas per Jesum Christum facta, cum ipsis Ægyptiis, tum omnibus iis, qui Filium Dei susceperant, vinculorum solutionem, et peccatorum veniam dedit.

« Et haurite aquam cum gaudio ex fontibus Salutaris[1]. » Hæc item, tam aqua, quam fontes Salutaris, allegorice sunt accipienda. Hæc porro intelligas ipso Servatore dicente, « Si quis sitit veniat ad me, et bibat : qui credit in » me, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre ejus fluent » aquæ vivæ[2]. » Fontes igitur Salutaris, sermones Evangelici sunt, ex Spiritu sancto ceu imbres emissi.

« Et dices in die illa, Hymnis celebrate Dominum, cla» mate nomen ejus : annuntiate gentibus gloriosa ejus. Me» mentote quoniam exaltatum est nomen ejus. Hymnis cele» brate nomen Domini, quia excelsa fecit : annuntiate hæc » in universa terra[3]. » Illud, « dices, » chorum Evangelistarum Salvatoris nostri compellat. In illa, inquit, die, scilicet tempore in prophetia significato, tu præco salutaris Evangelii, Ægyptiis qui prædicationem susceperint, dices, « Hymnis celebrate Dominum, clamate nomini Domini, » annuntiate in gentibus gloriosa ejus : mementote quoniam » exaltatum est nomen ejus. » Hæc quippe tu, chorus Apostolicus, cum Discipulos docebis tuos, proferes, præcipiens illis, ut ne sileant, sed salutaris beneficii gratiam omnibus annuntient, clamentque ut audiantur. « Exultate » et lætamini, qui habitatis Sion, quia exaltatus est sanc-

[1] Isa., XII, 3. — [2] Joan., VII, 37. — [3] Isa., XII, 4 et 5.

» tus Israël in medio ejus[1]. » Jam pluribus traditum est Sionem esse Evangelicum verbum, in quo Ecclesia Dei ædificata est. Quoniam igitur sanctus Israël in medio Ecclesiæ exaltatus est; jure, inquit, exultate et lætamini qui in illa estis, ut pote qui sanctum Israël in medio vestrum habeatis, secundum promissionem ab ipso factam his verbis, « Ubi » duo, vel tres, congregati fuerint in nomine meo, illic sum » in medio eorum[2]. »

CAPUT XIII.

—

« Visio, quam vidit Hesaïas filius Amos, contra Babylo» nem. Super montem campestrem levate signum, exaltate » vocem ipsis : ne timeatis, advocate manu, aperite prin» cipes[3]. » Vaticinatus ea quæ in adventu Christi futura sunt, aliud init argumentum contra Babylonem : deinde secundum addit de Phylistæis; postea tertium contra Moabitidem, hinc contra Damascum, et post hæc sequitur visio Ægypti; sextum deinde, visio Idumeæ, sub hæc, assumptio Arabiæ; quam excipit visio vallis Sion, demum, visio Tyri. Hæ porro decem prophetiæ mutuo cohærent, de alienigenis gentibus prolatæ, quibuscum vallem Sionis complectitur, cum alienigenis Judaïcum item populum evocans. Cur autem horum tantum quasi ex sorte quadam meminit, aliarum vero gentium minime? Respondemus nullas alias tunc temporis Judæorum populo infestas fuisse, nisi supra recensitas, quæ frequenter contra illos insurge-

[1] Isa., XII, 6. — [2] Matth. XVIII, 20. — [3] Isa., XII, 1 et 2.

bant, modo quidem Jerosolymam expilantes, modo eorum regionem vastantes. Quamobrem eos, qui obsidebantur, necessario Scriptura docet ea quæ obsidentibus eventura erant. Ipsis vero cum scientiam per Christum conciliandam, tum bonorum promissiones annuntiat : omnibusque universim de judicio Dei verba facit, omnes homines cohortans ad pie vivendum, Dei tribunalis memores. Primam igitur visionem effert contra Babylonem, postquam in ipso libri exordio visionem contra Jerusalem præmiserat. Quia enim nulla est personarum acceptio apud Deum, a contribulibus suis orsus, in eosdem rursum sermonem convertit : alienigenis vero gentibus Babylonem præmittit. Regia autem illa Assyriorum urbs erat, maxima atque potentissima. Dicuntur porro Assyrii primi omnium orbi imperasse totos mille et trecentos annos, usque ad eos qui Jerosolymam obsederunt, ac Judæorum populum captivum abduxerunt in regionem suam. Propter hoc enim Assyriorum facinus, nec diu postea eorum imperium solutum est.

«Aperite principes.» Hæc porro Spiritus divinus in Propheta existens ex persona Dei Verbi profert. Idem igitur ipse est qui Angelis circumstantibus præcipit, ut clausas portas aperiant, ac jubeant eos qui intra sunt prodire, accedere et festinare ad impiorum supplicium. Æstimo autem his significari ultionem quæ adversariis potestatibus destinatur, in qua ceu in carcere concluduntur. Num forte illa fuerit abyssus, ut vocatur, quam draconibus plenam ait Scriptura his verbis, «Dracones et omnes abyssi [1]? Unde et Salvatorem rogabant Dæmones, ne se illo mitteret, cum dicebant, «Venisti ante tempus torquere nos [2].» Non ignorabant enim futurum tempus esse quo in abysso concludendi erant.

«Ego ordino et ego duco eos [3].» Quinam ii sint sub hæc

[1] Psal., CXLVIII. 7. — [2] Matth. VIII, 29. — [3] Isa., XIII, 3.

declarat his verbis, « Gigantes veniunt ad implendum furorem meum, gaudentes simul et contumelias inferentes.» Theodotio autem perinde ac LXX, sic interpretatus est, «Et vero vocavi gigantes meos;» Aquila autem et Symmachus, pro illo, *gigantes* interpretati sunt, *fortes.* Sic porro vocat ultrices virtutes, queis ira et ultio contra impios exercetur. Gaudent igitur maligni quidam, gigantes vocati, quasi rem pro voto agant, in contumelia et supplicio impiis inferendo læti, utpote qui viscera misericordiæ non habeant.

« Vox gentium multarum in montibus, similis gentibus multis. Vox regum et gentium congregatarum[1]. » Qui tunc supplicio tradendi sunt, voces emittent, mala sua confitentes : simulque eodem tempore gentes omnes et earum reges, unam et eamdem dabunt vocem, calamitates suas lugentes. Illi vero prædicti gigantes hic armati dicuntur, qui olim procul erant, et quasi in cœli fundamentis inclusi, quos ubi tempus evocat, jubet universorum judex accedere, ut totum improborum orbem, post justorum segregationem, destruant. Quandoquidem et in Evangeliis Filius hominis sedens in throno gloriæ suæ, eos qui a dextris sunt primos ad paratum ipsis regnum ante constitutionem mundi, vocat : quibus assumptis et ad promissa deductis, in reliquas gentes a sinistris repertas, ignis comminatio infertur.

« Ululate, prope enim dies Domini, et contritio a Domino veniet. Propter hoc omnis manus dissolvetur, et omnis anima hominis formidabit : turbabuntur legati, et dolores ipsos occupabunt, quasi mulieris parturientis[2].» Nondum ergo, ait, instant ea quæ in comminatione feruntur, sed quam primum ventura sunt. Quare prævertentes illa, fletu, lamentis et ululatu Deum placantes, mala aver-

[1] Isa., XIII, 4. — [2] Id., 6 et 7.

tite a vobis : jamjam enim prædicta dies iræ Dei affutura est. Legatos autem hic fortasse vocat eos, qui dictis atheorum patrocinantur : atque eos qui idololatriæ errorem tuentur, necnon doctores atheorum et impiorum dogmatum, quos recensita omnia invadent.

« Nam stellæ cœli, Orion et omnis ornatus cœli, lucem » non dabunt, et obtenebrabitur sole oriente, et luna non » dabit splendorem suum. Et mandabo orbi universo mala, » et impiis peccata eorum. Et perdam injuriam iniquorum » et contumeliam superborum deprimam[1]. » Etenim consummationis tempore neque sol, neque luna, neque stellæ, iis, qui castigationi et supplicio tradendi sunt, impiis lucem suam dabunt. Luminaria autem a ministerio suo amota ad aliam melioremque sortem transibunt, quasi regenerationem quamdam consecutura, neque ultra corporum vanitati servientia, sed liberata a servitute corruptionis, secundum Apostolicum verbum. Cœlum itaque vocat aut cœlestes potestates, aut ipsam creaturam, una cum Deo indignantem super insania, arrogantia et impietate.

« Et erunt residui quasi damula fugiens, et quasi ovis » errans, et non erit qui congreget; ita ut homo ad popu- » lum suum convertatur : homo ad regionem suam fugiet[2]. » Fugient quippe ii, ut dexterum quidpiam assequantur, vel ut perfugium apud quempiam ex notis inveniant : sed non invenient : « non erit enim qui congreget eos. Nam » qui captus fuerit, opprimetur, et qui congregati sunt, » gladio cadent[3]. » Quamvis, ait, eorum quidam fuga salutem consequi conentur, hi quoque captu faciles erunt, non damis perfectis salientibus, quæ levem velocemque cursum habent, similes; sed damulis. « Et filios eorum discerpent » in conspectu eorum, et domus eorum vastabunt, et mu- » lieres eorum habebunt[4]. » Perinde atque viros supplicio

[1] Isa., XIII, 10, 11 et 12. — [2] Id., 13 et 14. — [3] Id., 16. — [4] Id., 17.

affectos, mulieres quoque irreligiosas et impias, quæ prolem ediderant, paribus cruciatibus afficient: quemadmodum et filios eorum impios, quorum animæ, quantum ad mores, parentibus malitia similes sunt.

« Ecce suscitabo vobis Medos, qui argentum non curant, nec auro opus habent, arcus juvenum conterent[1]. » Magnus quidem illis tumor inest ob sagittandi peritiam, quam artem pluris faciunt; sed inimicis inferiores erunt. Victores porro tanta duritie et immanitate erunt, ut ne quidem teneræ et ad misericordiam moventi ætati parcant. Huic autem dicto, « Ecce suscitabo vobis Medos, » ipse historiæ eventus testimonium addit: quæ historia apud Græcos, qui Chaldaïca, Assyriaca et Medica scripserunt reperitur, quorum nos multa testimonia collegimus in Chronicis quæ edidimus. Medi itaque Assyriorum imperium everterunt; illos vero sibi subjecit Cyrus primus Persarum rex, qui Judæorum captivitatem dimisit, deditque Judæis pro lubito in regionem suam remigrandi ac templi Dei restaurandi facultatem.

« Et erit Babylon, quæ vocatur gloriosa à rege Chaldæorum, quemadmodum evertit Deus Sodomam et Gomorram, non habitabitur in sæculum [2]. » Inhabitata et hactenus deserta est Babylon, quam rem testificantur qui ex locis illis ad nos veniunt. « Non ingredientur in eam per multas generationes, neque transibunt per eam Arabes, neque pastores requiescent in ea, » queis significantur, ut æstimo, ii, qui apud nos Saraceni vocantur, qui negotiationem exercent, et in ipsa Babylone olim tentoria ponebant. Usque adeo autem perosa erat tum vicinis, tum longinquis et peregrinantibus gentibus, ut ne pastores quidem Arabum pecora sua illic pascendi causa ducerent, quia penitus deserta et inculta erat. Sciendum autem est

[1] Isa. XIII, 17. — [2] Ib., 19.

Saracenorum gentes, quæ usque ad ipsam Assyriorum terram pertingunt, atque interiorem solitudinem incolunt, Arabas hic nominari : nam Arabum regionem finitimam habent.

« Et accubabunt ibi bestiæ; et replebuntur domus so-» nitu. Et requiescent ibi Sirenes, et dæmonia ibi saltabunt, » onocentauri illic habitabunt : et nidificabunt herinacii in » domibus eorum; cito veniet, et non tardabit[1]. » Postquam mansuetorum et rationabilium animalium vacuam Babylonem constituerat, à nullo habitandam esse vaticinatur; sed quasdam ignotas nobis feras, et dæmones quosdam spiritusque crudeles et immanes ibi futuros esse ait. Quare pro illo bestiæ, reliqui interpretes, *siin*, ediderunt; et loco illius, Sirenes, Struthocamelos, dixerunt; ac pro illo, onocentauri, * *siin*, item interpretati sunt, ipsa usi Hebraïca voce, ob significatus obscuritatem, imo etiam pro erinaciis, tres interpretes pariter, sirenes, reddiderunt : fortassis ob talium dæmonum fraudulentiam. Nam apud Græcos Sirenes dulcisonæ et fallaces fuisse narrantur. « Cito veniet, » et non tardabit. » Quodvis tempus, etiamsi longissimum apud homines esse putetur, brevissimum tamen apud Deum Judicem habetur. Etenim mille anni in conspectu ejus, tanquam dies hesterna reputantur, et tanquam custodia in nocte. Attamen non post multas annorum periodos vaticinium impletum est : siquidem Babylon sub Medorum imperio supra memorata perpessa est.

[1] Isa., XIII, 21 et 22.

CAPUT XIV.

—

« Et miserebitur Dominus Jacob, et eliget Israëlem : » et requiescent in terra sua, et advena adjungetur eis, » et adjungetur domui Jacob. Et accipient eos gentes, et » inducent in locum suum : et possidebunt et multiplicabun- » tur super terram in servos et ancillas, et erunt captivi qui » captivos ceperant eos, et dominatui eorum subjicientur » qui dominatum obtinuerant in eos[1]. » Consequenter igitur post ea, quæ contra Babylonem dicta sunt, his Judaïci populi ex inimica terra in Jerusalem reversionem, quæ sub Cyro contigit, significat : declarans fore ut illi post reditum in regione sua quiescant, et advena ipsis adjungatur. Pro illo autem, *advena*, reliqui interpretes, *proselytus* interpretati sunt. Sic enim ait eos in terra sua rem prospere gesturos, ut etiam alienigenæ ipsorum religionem amplectantur, ac proselyti fiant, domuique Jacob adjiciantur. « Et erit in die illa, requiescere te faciet Deus a dolore tuo » et ab ira tua, et a servitute tua dura, qua servivisti eis : » et sumes planctum hunc super regem Babylonis[2] : » nam Persæ et Medi, Assyriorum imperio et ipsis Babyloniis in servitutem redactis, eos suæ ditioni subegerunt.

« Et dices in die illa, Quomodo cessavit exactor, et ces- » savit sollicitor? Contrivit Dominus jugum peccatorum, » jugum principum, percutiens gentem ira, plaga insana- » bili. Feriens gentem plaga iræ, non pepercit, requievit

[1] Isa., XIV, 1 et 2. — [2] Ib., 3 et 4.

»qui confidit. Omnis terra clamat cum lætitia. Et ligna »Libani lætata sunt super te, et cedrus Libani; ex quo tu »dormivisti, non ascendit qui succideret nos [1].» Cedri igitur et pinus secundum Symmachum rursum allegorice, tyrannos quosdam superbos significant, à Babylonia obsessos, et à propria regione succisos, quos de prædicti Babyloniorum regis ruina gaudere consentaneum erat. « In»fernus subter exacerbatus est occurens tibi : simul exci»tati sunt tibi omnes gigantes qui terræ imperarunt, qui »excitarunt ex thronis suis omnes reges gentium [2]. » Nos quoque jure Satanæ dicemus, qui olim quidem ab illo devastati sumus; sed firmam demum in Christo sententiam retinuimus, mentemque ad pietatem solide radicatam, corque floridissimum; « Ex quo tu dormivisti non ascendit qui »succideret nos. »

« Omnes respondebunt et dicent tibi : Et tu captus es »sicut et nos : in nobis autem reputatus es. Descendit in »infernum gloria tua, multa lætitia tua. Subter te sternent »tineam, et operimentum vermis. Quomodo cecidit de »cælo Lucifer, qui mane oriebatur? contritus est ad terram »qui mittebat ad omnes gentes [3] ?» Qui in terra sunt, inquit, ea, quæ superius dicta sunt, proferent; qui autem humana vita functi, et in locis inferni quasi in vinculis detinentur, ipsi quoque super ejus exitio ea quæ superaddita sunt pronuntiabunt. Omnes porro illic versantes prævertens infernus, necnon virtus illa quæ mortuorum animabus præest, ceu quædam carceris custos ex imis tenebrosisque penetralibus cum furore et ira insurget contra te. Hoc autem principe istic imperante, ex throno suo excitato, reliqui omnes gigantes, sive secundum reliquos interpretes *Raphaïm*, una surrexerunt. Quinam vero hi essent explicat dicens, principes terræ, qui ex thronis suis excitarunt om-

[1] Isa., XIV, 5 6, 7 et 8. — [2] Ib., 9. — [3] Id., 10, 11 et 12.

nes reges gentium, qui paria ac ille reus Babylonis rex perpetrarunt. Hi vero nudam et corpore orbam illius olim Babylonici regis animam cernentes, sic eam compellabunt: Etiamne te fortior mors fuit, ita ut te similem nobis esse evinceret? Nihil ergo erat terrena illa vita, divitiæ, gloria et tanta potentia : sed omnibus his finis erit terra et pulvis, vermis et carnis putredo. Nos vero te mortalem minime esse putabamus : ac gloria te circumdante decepti, te splendidissimo cœlesti luminari, solemque advocanti lucifero comparabamus. Tu vero te etiam his majorem arbitrabaris, lasciviens ac mentis insania ita superbiens, ut te altissimo Deo conferres, ac te thronum tuum supra cœlestes fornices positurum esse jactitares. Hæc igitur nos mortalibus ratiociniis decepti, de te cogitavimus : talia et tu mente captus de te ipso sentiebas. At vel solum tempus quo captus et victus es, manifestum erat finis tui argumentum : neque similem aliis hominibus mortem es consecutus. Illi quippe sensim, quiete et domi debitum solverunt; tu vero inimicorum gladio vita privatus, insepultus projicieris, et eris in escam bestiis et volucribus. Quamdiu igitur Babylon superstes fuit, ac principes ejus regnum magnamque ditionem et potentiam obtinebant, virtus, quæ ipsis præfecta erat, magna fortasse perficiebat : ubi autem gentis illius regnum deletum est, princeps quoque ipsis præfectus, utpote jam suo elapso tempore, in sibi similium locum receptus est, ubi occurrerunt ipsi omnes qui vocantur *Raphaïm*, sive gigantes : hi etiam virtutes quædam sunt, quæ, ut credere est, aliis gentibus certo temporis spatio non recte præfuerant. Num igitur hic ipse, olim Babylonis princeps terram suam corrupit, deus penes illos populos existimatus, atque ita populum suum occidit, ac filios suos neci tradidit, atque in perniciem subdito sibi populo fuit, quia ab ipsis ut deus habitus fuerat? Quod si hæc ita se

habeant, restat ut totam prophetiæ sententiam, quæ de Babylonis rege prolata est, in illam virtutem referamus: quæ quia Dei gloriam apud sibi subditum populum nacta, altum sapiebat, jure arguitur his Scripturæ verbis; « Tu » autem dixisti in mente tua, in cœlum ascendam, et » supra stellas cœli ponam thronum meum : et similis ero Altissimo[1]; » et cetera quoque huic interpretandi rationi aptaveris, postquam in obvio sensu, quæ in prophetia indicantur sensibili regi applicaveris.

« Hæc dicit Dominus Sabaoth; Quemadmodum dixi, ita » erit : et quemadmodum deliberavi, ita manebit : ut perdam » Assyrios in terra mea, et in montibus meis. Et erunt in » conculcationem, et auferetur ab eis jugum ipsorum, et » gloria eorum ab humeris ipsorum auferetur[2]. » Cum dicit, » ut perdam Assyrios in terra mea, et in montibus meis, » docet Babyloniorum regionem, et ejus montes non alienos sibi esse : nam, « Domini est terra, et plenitudo ejus. » Erunt ergo, ait, Assyrii in conculcationem, subditi iis, qui eos superaturi sunt. Auferetur autem jugum, quod stante imperio suo, subditis imponebant; jugum certe grave ac durum illis : et gloria sive decus olim humeris ipsorum impositum, auferetur. Quemadmodum enim de Servatore dictum est, « cujus principatus super humerum ejus; » sic et hoc loco gloria Assyriorum super humeros ipsorum, dicitur, esse; quam auferendam esse sermo interminatur.

« Hoc est consilium quod cepit Dominus super omnem » terram; et hæc est manus excelsa super omnes gentes. » Quæ enim Deus sanctus decrevit, quis dissipabit? Et » manum ejus excelsam quis avertet[3]? » Id est, quale judicium de Babylone, et de ejus habitatoribus latum est, tale etiam de viris omnibus atheis et impiis, qui orbem obtinuerunt, feretur. Nam secundum æquitatis rationem pa-

[1] Isa., XIV, 13 et 14. — [2] Ibid., 24 et 25. — [3] Ibid., 26 et 27.

ria patientur, qui in similes impietates lapsi fuerint. Ubi subintelligamus oportet, gentes atheis et impiis hominibus refertas : non enim hæc sine ullo discrimine, de piis et Deo addictis viris, accipienda sunt. Quo igitur modo orsus est, eodem et desiit, universale Dei de omnibus ferendum judicium commemorans, ut omnes qui Scripturam legerint, ad conversionem invitet.

« In anno quo mortuus est rex Achaz, factum est verbum istud : Ne lætemini alienigenæ omnes, contritum est » enim jugum percutientis vos : nam ex semine serpentum » egredietur proles aspidis, et filii eorum egredientur serpentes volantes[1]. Lætari vobis nondum permittitur, etsi mortuo rege impio, de quo olim gaudebatis, pio autem viro imperium suscipiente, ut in Paralipomenon 2. libro de Ezechia declaratur, et in quarto regnorum. Quemadmodum enim sub impio Achaz, Allophylis gaudendi et lætandi causa aderat, ita sub justo viro Ezechia, opportune Scriptura ipsos alloquens ait, Ne lætemini, alienigenæ : olim quippe Achazo superstite, ac perosa Deo facinora edente, causa vobis gaudendi erat, quia contritum erat Achazi jugum; ita ut non posset vos subjicere, neque imperii sui jugum vobis imponere : quapropter multiplicabantur mala, ac, utpote nemine percutiente, reptilium et venenatorum spirituum malignorum vis augebatur. Jam vero postquam vir religiosus regnum excepit, ne amplius lætemini ut antea : instat enim vobis qui percutiat et verberet, vosque ad sanam mentem reducat. Hæc porro ad literam completa sunt sub Ezechia, de quo dictum est in libro quarto regnorum, « Ipse percussit Allophylos usque » ad Gazam, et usque ad terminos ejus, a turri custodum » usque ad civitatem munitam[2]. » Et hæc quoque dicti sententia fuerit, « ne lætemini alienigenæ, » magnum sentien-

[1] Isa. XIV, 28 et 29. — [2] IV Reg. XVIII, 1.

tes super iis, quos deos esse putatis, quasi nullus sit ob præsentis temporis nequitiam, qui vos conterat et opprimat. Etiamsi enim attritum sit jugum ejus qui vos percutiebat, id certe non e re vestra fuerit; imo potius in damnum vestrum est. At enim nemine vos percutiente, nemine deprimente, vel corripiente, magna in vobis malorum vis invaluit. Nam qui olim serpentium instar in animarum vestrarum latibulis agebant, atque in vestris delubris ac templis, veluti dii, sedes habebant maligni dæmones, diram prolem ac semen improbum emiserunt; ita ut ex illis aspides gignerentur, quod est omnium venenatorum teterrimum, ex iisque alii editi sint serpentes per aera volantes. Hæc porro in præsenti non apud vos tantum alienigenas; sed etiam apud eum, qui populus Dei vocatur, magno numero habentur, ita ut prorsus aer repleatur serpentibus volitantibus, ac filiis aspidum, malignis scilicet quibusdam ac exitiosis spiritibus. Cum autem is, qui hæc omnia sublaturus est, suo tempore advenerit, et apparuerit, tunc serpentes, aspides, earumque improba proles abscedent; ita ut hæc in homines vim ultra non exerceant. Nam « Pascentur, *inquit*, per eum pauperes : » inopes autem homines in pace quiescent : fame vero in- » terficiet semen tuum, et reliquias tuas interimet[1]. » Hoc igitur reptile et venenatum genus fame necabit is, qui in prophetia fertur, nec ultra permittet ut consuetus cibus, videlicet per sacrificia, dæmoniacæ superstitioni offeratur. Pauperes autem suos enutriet, et in pace quiescere faciet, non ultra vexatos a memoratis reptilibus. Possunt etiam isthæc alio modo in Ezechia impleta fuisse : ipse enim eos, qui in universo Judaïco populo secundum Deum pauperes olim fuerant, cibis rationalibus et doctrina recreavit; quos item in optimis ejus, quæ piam religionem docet, legis

[1] Isa., XIV, 30.

pascuis constituit, ut divinis cogitationibus, et sacra doctrina pascerentur et alerentur.

« Ululate portæ civitatum, clament civitates turbatæ, » Allophyli omnes, quia ab Aquilone fumus venit, et non » est ut sit [1]. » Significat, uti diximus, Assyriorum regem, qui ab aquilonaribus partibus tempore Ezechiæ irrumpens, Allophylos Palæstinam incolentes ditionis suæ fecit; ita ut urbes quidem obsideret, earum populos captivos abduceret, urbiumque portas incenderet. » Et quid res» pondebunt reges gentium? Quia Dominus fundavit Sion: » et per eum salvabuntur humiles e populo[2]. » Maximum illis argumentum erit, Deum suæ esse custodem civitatis, quod illa nihil tale patiatur, quale cæteræ civitates.

CAPUT XV.

« Verbum contra Moabitidem : Noctu peribit Moab, » noctu enim peribit murus Moabitidis, dolete in vobismet» ipsis [3]. » In exordio ignorantiam Dei, quæ apud ipsos obtinuerat, noctem et tenebras vocavit, in ipsaque nocte eorum perniciem fore comminatur his verbis, *Noctu peribit Moabitis.* Postea de loco ubi eorum idololatria considebat, hæc subjungit, « Peribit enim et Dibon, ubi est ara vestra: » illo ascendetis ad plorandum [4]. » In fine autem Prophetiæ, illas rursum aras commemorat verbis his, *Quia fatigata est Moab*, et cætera.

[1] Isa., XIV, 31. — [2] Ib., 32. — [3] Id., XV, 1. — [4] Ibid., 2.

« In Naban Moabitidis ululate : super omne caput calvities, » omnia brachia decisa : in plateis ejus induimini saccis [1]. » His porro significat insidentem populo dæmonem malignum, sive principem gentis, ut sub hæc dicitur, qualis erat princeps rex Græcorum, et princeps Babyloniorum. Hujusmodi ergo dæmonem in civitate Moabitarum insidentem, a quo se opem consecuturos sperabant, in congressibus contra inimicos capiendum esse ait, quia animas eorum conculcabat, easque in terram respicere cogebat; ita ut nemo posset caput efferre et sursum intueri, quare ait : « Quia commilitium tuum, et Princeps periit, qui in terra » ambulabat. »

CAPUT XVI.

—

« Mittam quasi reptilia super terram. Num petra deserta » est mons filiæ Sion? Eris enim quasi ave avolante, pullus » ablatus eris filia Moab. Deinde Arnon plura delibera : fac » tentorium luctûs tu ipsa semper. In meridianis tenebris fu- » giunt, obstupuerunt, ne graviter feras. Habitabunt apud » te profugi Moab. Erunt vobis tegumentum a facie perse- » quentis, quia sublatum est commilitium tuum, et prin- » ceps periit qui ambulabat super terram. Et restaurabitur » cum misericordia thronus : et sedebit in eo cum veritate » in tabernaculo David, judicans et quærens judicium, et » velociter reddens justitiam [2]. » Viden'sermonis mirabilem in fine Prophetiæ æconomiam. Nam postquam excidium

[1] Isa., xv, 3. — [2] Id., xvi, 1. 2, 3, 4 et 5.

vaticinatus est, eodem tempore spem bonam annuntiat, dicens, tabernaculum David et thronum Dei apud illos constituendum esse; hæcque non humana quadam opera et sollicitudine, sed ex misericordia et clementia Dei. Quare secundum Aquilam dicitur, « Et præparabitur in miseri» cordia thronus; » secundum Theodotionem vero, « Et præ» parabitur cum misericordia thronus. » Cui autem præparabitur, nisi plane Christo, qui ex semine David natus est? Ait igitur apud Moabitas Christi thronum futurum esse, in quo cum veritate sedebit is qui in tabernaculo David nasciturus est. Sic porro nuncupare solet Spiritus propheticus Ecclesiam Dei : nam ipsum quoque Christum Davidem vocare consuevit, quia ex semine David secundum carnem natus est. Quamobrem Ecclesiam quidem tabernaculum David appellat, thronum autem, ejusdem Ecclesiæ Præsidem, qui corporeum thronum occupat, atque ceu Christi locum tenet. Quæ, ceu mysteriis, in medio Prophetiæ inserta sunt; Spiritu sancto horum notitiam iis tantum qui intellecturi, et harumce rerum spectaculo digni habendi erant, reservante.

« Audivimus contumeliam Moab, contumeliosus valde » superbiâ, et contumelia ejus, et ira ejus : non sic divinatio » tua, non sic. Ululabit Moab : nam in Moabitide omnes » ululabunt : habitantibus Seth meditaberis et non confun» deris[1]. » Gesta superbis dictis similia non sunt, sive quia Deo suo, ejusque vaticiniis multum fidebant; non ita, inquit, erit ut vaticinatur dæmon illorum, neque ut iis, qui decepti illum pro deo habebant, oraculo pollicebatur; futurum quippe tempus illos mendacii arguet.

« Planities Esebon lugebit, vinea Sabama, qui deglutitis » gentes, conculcate vineas ejus, usque Jazer ne attingatis, » errate per desertum : missi derelicti sunt, pertransierunt

[1] Isa., XVI, 6 et 7.

»enim ad mare. Ideo plorabo tanquam ploratu Jazer, vi»neam Sabama. Arbores tuas dejecit Esebon et Eleale, »quia messem et vindemiam tuam conculcabo, et omnia »cadent. Et tolletur lætitia et exultatio de vineis : et in vi»neis tuis lætabantur, nec calcabunt vinum in torcularibus : »cessavit enim. [1] » Per autumnum et messem, ac per vineam sæpius memoratam, florentem, voluptariam et jucundam eorum vitam indicat, qua ceu ebrii degebant lætantes et lascivientes in nefariis suis impietatibus.

« Ideo venter meus super Moab quasi cithara sonabit, »et interiora mea quasi murus, quem innovasti, et erit ut »te revereantur [2]. » Secundum profundiorem intelligendi rationem, eum jam alloquitur cui dicit, « quasi murus quem »innovasti, » videlicet Deum. Quid ergo sibi vult illud, quod sane temere dictum videatur, *Erit, ut te revereantur* : Ideo, inquit, firmas mihi intus cogitationes elargitus es; ita ut qui sese ad te minime convertunt, tui reverentiam habeant, ob argumenta ex inditis mihi prævalidis cogitationibus ipsis oblata. Deest itaque illud, *ipsi*, ut sana verborum sententia reddatur, « Et erit ut ipsi reverentiam tui habeant. » Quemadmodum enim qui in bellis adversa facie consistunt, quandiu æquo marte pugnatur, non terga dant, neque pedem referunt; cum autem altera pars prævalet, tunc fugam faciunt, ita et anima imprudenter in acie stabat nec reverebatur; verbo autem efficaci convicta, in pudorem et reverentiam vertitur. Et quia in occulta hominis parte hæc conversio efficitur, ἐντροπή, sive confusio nuncupatur. Ideo ergo venter sonabit, et interiora quasi murus, quem innovavit Deus Prophetæ; ut mutentur, et confundantur, Deumque revereantur; antehac utilis pudoris ignari. Per illud sane, « Quia defatigatus est Moab in altaribus, et ingredietur »in manufacta ad orandum, et non poterunt eruere illum [3], »

[1] Isa., XVI, 8, 9 et 10. — [2] Ib., 11. — [3] Ib., 12.

fortasse omnis idololatriæ destructionem, in fine ex adventu Verbi futuram, vaticinatur Hesaïas : quia omnes in construendis templis insumpti labores vani sunt, infructuosaque spes in manufactis posita. « Nam, *inquit*, orabunt » et non potuerunt eruere illum. Cæterum hoc jam in adventu Christi completum est : illa quippe olim famosa templa pro scopulis habentur, nec ultra illæ dæmonum fallaciæ consistunt, adversaria illa potestate per mysterium crucis in toto orbe prædicatum in fugam versa.

« Hoc verbum quod locutus est Dominus super Moab, » quando locutus est. Et nunc dico in tribus annis an- » norum mercenarii, inhonorabitur gloria Moab, in om- » nibus divitiis multis : et relinquetur minimus, et non ho- » noratus [1]. » Pro illo apud LXX. Interpretes dicto, « in » tribus annis mercenarii inhonorabitur gloria Moab, » interposita apud reliquos interpretes distinctio, clariorem sententiam efficit : nam secundum Aquilam dicitur, « in » tribus ânnis mercenarii ; » secundum Symmachum vero, » ex eo tempore et nunc locutus est Dominus dicens, in » tribus annis quasi super mercenarium ; » secundum Theodotionem autem, « ab eo tempore et nunc locutus est » Dominus dicens, in tribus annis, quasi annis mercenarii. » Deinde, alio resumpto principio, dicitur apud reliquos interpretes, « et inhonorabitur gloria Moab cum omnibus » divitiis multis. » Nam conjunctio, et, quæ media interponitur, aliam effert sententiam, ab his verbis, « et in- » honorabitur gloria Moab ; » quæ vero superius ponuntur significant Dominum prædicta omnia de Moab in tribus annis locutum esse per Prophetam, ac si mercede conduxisset eum, atque ut hujus prophetiæ ministerio vacaret præcepisse. Non enim quemamodum nos totam lectionem una conjunctam percurrimus, ita et Propheta cum conjunc-

[1] Isa., XVI, 13 et 14.

tione totum prophetiæ sermonem uno cursu extulit; sed divisim et secundum tempus, inque diversis temporum intervallis, ita ut toti tres anni completi sint, in quibus isthæc dicta ipsi fuere. Hæc igitur in tribus annis Dominus per Prophetam locutus est. Finis autem verborum Domini illud erat, « et inhonorabitur gloria Moab cum om» nibus divitiis, iisque multis. Et relinquetur minimus, et » non honoratus. » Quod ipsum ad litteram impletum est, ut facile ipsis oculis perspicere valeant quotquot in ipsa loca concedunt.

CAPUT XVII.

« Verbum contra Damascum. Ecce Damascus tolletur a » civitatibus [1]. » Eversionem regiæ potestatis subindicat, cujus antea consors erat urbs isthæc. Sola quippe tunc universæ Syriæ imperabat, cum urbes in Syria, nostra ætate conspicuæ, nondum structæ fuissent; Antiochiam dico et alias. « Et erit in ruinam et derelicta in sæculum in cubile » ovilium : et non erit qui persequatur. Et non erit ultra » munita, ut illuc confugiat Ephraïm [2]. » Quemadmodum Babyloniæ quæ consentanea erant, Allophylis Palæstinæ incolis quæ ipsis competebant; ac regioni Moab similiter alia quædam ipsi propria minabatur; sic et propheticus sermo contra Damascum agens, illam proprio sibi fine excipiendam esse interminatur : nam ipsam a civitatibus tollendam esse ait. Secundum Theodotionem vero, transfe-

[1] Isa., XVII, 1. — [2] Ib., 2 et 3.

rendam ex civitatibus. Id autem perpessa est Assyriorum tempore, ut prius significabat præsens Scriptura, cum Assyriorum regem induceret dicentem, « et cepi Arabiam et » Damascum et Samariam : quemadmodum has cepi et om- » nes principatus capiam. [1] » Huic porro sermoni testimonium affert historia; siquidem in libro quarto Regnorum scriptum est, « et ascendit rex Assyriorum Damascum, et ce- » pit eam, et transtulit eam. » Quæ item extremo completa sunt sub Romanorum imperio, cujus tempore Damascus superstes quidem, verum quod ad antiquam et regiam dignitatem, funditus deleta erat. Quo pacto etiam consistit ea, quam hodie videmus, quemadmodum prophetia vaticinatur : quæ tantum abest ut ultra regiam dignitatem obtineat, ac Syriorum genti imperet, ut pristina potestate penitus exciderit, ac tantum non in cubile ovilium, et in caulam armentorum relicta sit : sic porro vulgi multitudinem et infimam plebem vocare solet divina Scriptura. Illud autem, « in sæculum, » secundum solam Septuaginta Interpretum versionem dicitur : nam neque in Hebraïco, neque apud reliquos interpretes fertur. Quamobrem necessarium minime est ut putemus ruinam Damasci æternam prædici : quandoquidem ad tempus solum ejus excidium fuit, cum ab Assyriis obsessa est, quando etiam Jerosolima capta est. Verum quemadmodum reversi Judæi Jerosolymam denuo excitarunt atque regionem incolis repleverunt; ad eumdem modum et Damascus, illa perpessa, quæ in prophetia feruntur, rursus in sequenti tempore structa fuit, ita ut regia sedes in ea iterum poneretur.

« Et non ultra regnum in Damasco : et residuum Syrio- » rum. » Hæc dicuntur quasi Damascus superstes quidem futura sit, sed non munita et regni caput ut olim. Possunt item alio modo hæc loca explicari, quasi scilicet prophetia

[1] Isa, x, 9.

Damasci incolis depressionem et privatam vitam prænuntiet. Ita enim dicere solemus excidisse divitem, cum in extremam paupertatem devenerit, similiterque virum honoratum, cum dignitate sua spoliatus fuerit. Non enim præstantior tu es filiis Israël, et gloria eorum. Nam si ille olim populus Dei nuncupatus, memorato tempore dignitate sua lapsurus est, pristina libertate et regno spoliandus, non est quod tu Damascus de pari casu indigneris.

« Hæc dicit Dominus Sabaoth : erit in die illa ut deficiat » gloria Jacob, et pinguia gloriæ ejus commoveantur[1]. » Et animadvertas velim, eum non funditus destruendam gentem, sed tantum gloriæ pristinæ jacturam fore significare. Pinguia vero gloriæ prisci illius populi, erant sacerdotium et regnum, sacrum item canticum et cultus secundum legem præstitus, prophetandi gratia et gentis libertas, ac si qua alia penes Judaïcam gentem habebantur : quæ confertim concutienda et amovenda fore sermo prædicit.

« Et erit quemadmodum si quis collegerit messem stan- » tem, et semen spicarum messuerit. Et erit quemadmodum » si quis collegerit spicas in valle aspera, et relictus fuerit in » ea culmus. » Sicut enim in messe colliguntur quidem spicæ, relinquitur tamen in agro culmus tenuis, ita futurum ait Judaïcum populum, penes quem spicæ olim stantes succidentur, solusque relinquetur culmus. Quod si quis apud eos reperiatur existimatione dignus, is comparabitur spicæ, non in planitie, sed in valle sicca et aspera nascenti. Cæterum spica indicari puto chorum Discipulorum et Evangelistarum Salvatoris nostri, de quo superius dicebatur, « Et nisi » Dominus Sabaoth reliquisset nobis semen, quasi Sodoma » fuissemus, et quasi Gomorrha similes facti essemus. »

« Aut tanquam grana olivæ duo vel tria ad summitatem » sublimem, vel quatuor vel quinque in ramis eorum relictæ

[1] Isa., XVII, 4. — [2] Id., 5 et 6.

fuerint. » Tantam quippe fore ait eorum, qui ex Israele superstites erunt, raritatem in tempore, quod in prophetia notatur, ut omnes spicæ uni comparari possint; eos autem qui præstantiores apud illos erunt, fore quasi duo vel tria grana olivæ in summitate sublimi. Queis subindicantur Apostolorum præcipui, quos aliquando binos Servator advocabat, aliquando ternos, quos Evangelii Scriptura electis electiores inducit, Petrum scilicet et Jacobum et Joannem, solos in montem adductos, ut transfigurationis spectatores essent; quos item cum archisynagogi filiam suscitavit secum assumpsit. Et qui post tres illos residui sunt, quatuor sunt et quinque, ac hos quatuor et quinque ad numerum quatuordecim deducet : ex quorum numero duodecim quidem primos Apostolos esse dicas, et illis non virtute minorem Paulum, qui et ipse vocatus Apostolus est, et Jacobum fratrem Domini, qui primus Jerosolymitanæ Ecclesiæ episcopus ab ipso Salvatore constitutus memoratur (2). Hi omnes in summitate oleæ, videlicet Judæorum successionis, reperti in præsenti memorantur. Divinus quoque Apostolus Judæ successionem oleæ comparavit, ipsamque radicem sanctam, primitias et bonam olivam vocat.

« Hæc dicit Dominus Deus Israël : In die illa confidens » erit homo in eo, qui fecit eum : oculi autem ejus in sanc» tum Israël respicient : et non confidentes erunt in altari» bus neque in operibus manuum suarum, quæ fecerunt » digiti eorum : sed erunt confidentes in sancto Israël. Et » non videbunt arbores eorum nec abominationes eorum. » In die illa erunt derelictæ urbes tuæ, quemadmodum de» reliquerunt Amorrhæi et Evæi a facie filiorum Israël. Et » erunt desertæ, quoniam deseruisti Deum Salvatorem » tuum, et Domini adjutoris tui non recordatus es. Propter » hoc plantabis plantationem infidelem, et semen infidele.

[1] Isa., XVII, 7, 8, 9, 10 et 11.

» Die autem illa, qua plantabis, errabis. Mane vero si seminaveris, florebit in messem, qua die hæreditatem adibis : et tamquam pater hominis hæreditatem sortieris filiis tuis [1]. » Quemadmodum enim, inquit, illis pereuntibus, accedentes alii eorum urbes et regiones obtinuerunt, sic et urbes tuæ, vobis ejectis ac depulsis, incolis aliis replebuntur. « Et erunt desertæ, quia dereliquisti Deum Servatorem tuum, et Domini Dei tui recordatus non es. » Hic vero ipsum Jesum Salvatorem nostrum Hebraïca vox commemorat : nam Jesu nomen in Græcam linguam translatum Salvatorem significat. Hæc vero in causa fore ait, ut ipsis prædicta omnia contingant, quia dereliquerunt Deum Salvatorem suum, et Domini adjutoris semper sui non meminerunt. Cum itaque, ait, hoc semen incredulum, et hanc infidelem plantationem in anima tua seminaveris, tum errabis ; sin autem exoriente in mundo Evangelici luminis diluculo, mutata sententia aliud semen in mente tua jeceris, de quo dictum est in Evangeliis, « Exiit qui seminat seminare [2] ; » et, Simile factum est regnum cœlorum homini seminanti bonum semen in agro suo [3] : » et cum in propria luce orientis matutini solis justitiæ fueris, in te ad messem florebit ; ita ut iis omnibus, qui tibi per salutarem doctrinam secundum Deum nati fuerint, sortem bonam tribuas.

« Væ multitudini gentium multarum. Sicut mare fluctuans, sic turbabimini [4]. » Postquam de conversione gentium ad Deum, et de Judæorum incredulitate erga Christum vaticinatus est, ad multitudinem gentium pertransit, quæ cum in ipsa Damasco, tum in aliis regionibus in incredulitate mansuræ, et Ecclesiam Dei vexaturæ et impugnaturæ sunt. « Et dorsum gentium multarum sicut aqua » sonabit. Sicut aqua multa, gentes multæ : sicut aqua

[1] Isa. Ib. 11. — [2] Match., XIII, 3. — [3] Id. 24. — [4] Isa., XVII, 12.

» multa vi impulsa [1]. » Quemadmodum enim maris dorsa tumescentia et in sublime elata, dum a ventis agitantur atque turbantur, sonitum maximum edunt, et metum navigantibus incutiunt ; eodem modo turbæ populorum sive Damasci sive in reliquis regionibus, in infidelitate et idolatria manentes, ab invisibilibus gentibus agitatæ, instar fluctuum maris sonitum edent, contra Ecclesiam Dei insurgentes. Verum illas « eliminabit et procul insequetur : » etsi illæ maris ferme instar contra adversarios suos fluctus attollant. Dorsa autem multarum gentium hic illas nuncupat, quia gentes multas insequentes instant. Qui vero insequuntur, a tergo et a dorso fugientium omnino currunt. « Et eliminabit illum, et longe ipsum persequetur. » Id est, retro mittet et ipsum persequetur. Secundum Aquilam autem, « Comminabitur illi, et fugiet longe; » secundum Symmachum vero, « Et infremet ipsi, et fugiet procul. » Cui autem eorum infremet aut comminabitur, nisi prædictæ infidelium populorum genti, et ipsam agitanti diabolo ? Quis autem ipsis comminabitur, nisi is de quo dictum est, « Comminabitur Dominus in te, qui elegit » Jerusalem. Ad vesperam erit luctus, antequam sit dilucu» lum, et non erit. Hæc portio eorum qui populati sunt vos : » hæreditas eorum qui vos in hæreditatem possederunt [2]. » Iis quippe qui instar maris fluctuantis contra Ecclesiam sese extulerunt, in occasu vitæ, et in ipso fine luctus aderit, quia non ultra erunt. Nam in futuro sæculo nova lux orientis et matutini tunc ad ultionem ferendam illucebit.

[1] Isa., XVII, 13. — [2] Id., ibid., 14.

CAPUT XVIII.

« Væ terræ navium, alæ ultra flumina Æthiopiæ; qui » mittit in mare obsides, et Epistolas biblinas supra aquam[1]. » Unde factum ut omnes ubique Judæi pariter et uno consensu, Christianæ doctrinæ contradicerent? In veterum scriptis reperimus, Jerosolymitanos Judaïcæ gentis Sacerdotes et Seniores litteras in omnes gentes misisse ad omnes ubique Judæos, quo Christi doctrinam traducerent, ut novam ac Deo inimicam sectam : ac epistolis monuisse, ut ne illam reciperent. Hoc ipsum ergo significare videtur præsens Prophetia ubi dicitur : « Væ terræ navium, » alæ ultra flumina Æthiopiæ; qui mittit in mare obsi» des; » pro quo Symmachus Apostolos dixit his verbis, « Qui mittit et Apostolos in mare; » Aquila vero Legatos edidit, dicens, « Qui mittit in mare legatos. » Viden'quomodo sermo prædictos Judæorum principes miseros prædicet, necnon terram eorum, cujus malitia usque ad Æthiopes pervaserat. Quamobrem secundum Symmachum, « Væ terræ sonitus alæ, quæ ultra flumina Æthiopiæ : » queis significat, etiam ultra Æthiopum regionem, sive ultra extrema terræ, malitiæ incolarum Judeæ sonitum, ceu quibusdam volantibus navibus delatum, pervenisse; Apostolosque eorum epistolas biblinas deferentes, ac supra dorsum aquarum in marique navigantes, ubique terrarum discurrisse, sermonem de Servatore nostro calumniis vellicantes. Apostolos vero etiam nunc Judæi nuncupare so

[1] Isa., XVIII, 1 et 2.

lent eos, qui circulares principum suorum litteras circumquaque deportant.

« Ibunt enim nuntii celeres ad gentem excelsam, et » peregrinum populum, et gravem. Quis ultra illum? gens » desperata et conculcata. » Ita ut sit illud rei initium : videturque mihi hoc præceptum Salvatoris nostri Discipulis dari, qui quod omnibus hominibus bonorum nuntii sint, nuntii et celeres ab eo vocantur, ad differentiam judaïco rum apostolorum. Illos igitur bonorum nuntios sic alloquitur : Vos Christi Discipuli ite, quemadmodum ipse vobis Servator præcepit, « Ite potius ad oves, quæ perierunt, » domus Israël [1]; » et, « Euntes docete omnes gentes in » nomine meo [2]. » Euntes autem, ait, leves estote et expediti, ut facilius viam emetiamini : quod etiam illis mandabat his verbis, « Nihil tuleritis in via; ne possideatis au» rum, nec argentum, nec æs in zonis vestris, etc. [3]. » Jubet autem proficisci eos ad gentem sublimem et peregrinam, et ad populum gravem. Non enim ad notos vel domesticos sive fratres mittebantur, sed ad quosdam peregrinos ignotos viros et alienigenas, apud omnes gentes dispersos : in quibus vere sublimes quidam erant, in nulla firma re consistentes, ac errantes, qui omni superstitionis vento circumferebantur. Iidem porro gens gravis erant, piæ religionis verbo infesti et inimici. Hos tamen ut adeant nuntii veloces præcipit, ac illis prædicent, et usque ad extrema terræ pervadant. Quamobrem subjungit, « Quis ul» tra illum? » sive secundum Symmachum, « Post quem » non est ultra. » Hæc autem gens peregrina et sublimis, sine spe degebat; ita ut dicat Apostolus, « Eramus ali» quando spem non habentes et athei in mundo [4].

« Nunc flumina terræ omnia tamquam regio habitata :

[1] Matth. x, 6. — [2] Ibid., xxviii, 19. — [3] Ibid., x, 9. — [4] Ephes., i, 2.

» habitatur regio eorum [1]. » Videtur mihi subindicare, fluminibus quidem, multitudinem gentium quæ Deum cognituræ sunt; regionibus vero earum, ecclesias : quemadmodum enim superius, fluctibus maris, fluctibusque turbatis, infidelium gentium turbas comparavit, sic et nunc fluviis dulcibus placideque manantibus, Christi populos similes ait; per regionem autem eorum, indicat Ecclesiam. Olim ergo isthæc flumina inhabitata erant, et a Deo aliena; ac regio eorum pia religione vacua et deserta; jam vero per nostram, inquit, prædicationem, memorata flumina et regio eorum in habitatam terram versa sunt. Id porro procurabit illis Christi signum : « Veluti signum a monte elevabitur. »

« Tamquam buccinæ vox audietur : quia sic dixit Domi- » nus mihi, securitas erit in mea civitate [2]. » Prædicta regio mea, Domini civitas est : quare securitas in ea erit, utpote custodiente me, et undique illam tutante; ita ut jure de illa dicatur, « Gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei [3]; » et, « Fluminis impetus lætificant civitatem Dei [2]. Veluti » lux æstus meridiani, et ut nubes roris diei messis [4]. » Ab hujusmodi luce, quæ quasi æstus meridianus in civitate mea effunditur, nihil, inquit, civitati meæ damni infertur, neque dolor iis qui hujusmodi luce perfunduntur. Lux igitur illa, est ipsum Dei Verbum, quod Ecclesiam ejus semper illuminat; nubes autem roris, Spiritus sanctus, qui supremam Unigeniti Filii Dei theologiam, iis, qui eam capere non valent, adumbrate tradit, ut ad temperatum quidpiam efficiatur, altam et summam de Christo theologiam complectens; idque ex accessu cujusdam nubis sancti Spiritus. Hæc porro ante messem futura prædicit : hac ratione fructus in Ecclesia Dei pullulantes significans, qui instar spicarum efflorescunt : qua de re superius hæc declarabat, « Et

Isa., XVIII, 3. — [1] Ib. 4. — [2] Psal. LXXXVI, 3. — [3] Ibid., XLV, 5.

» lætabuntur coram te, sicut qui lætantur in messe.[1] » Et Salvator similiter cum diceret, « Levate oculos vestros, et » videte agros, quoniam albi sunt ad messem [2]. » Erit itaque lux divinitatis Verbi in ejus civitate non temperata quasi vigens et meridiana; quia vero ab hominibus capi nequit, intercedens media quædam nubes Spiritus sancti, plena roris, eamdem civitatem inumbrabit; ut quemadmodum in diebus messis, quæ ipsam messem prævertunt, et lumen splendeat, et nubes inumbret illam.

« Erit ante messem, cum fuerit consummatus flos, et » uva non matura eduxerit florem germinans : et auferet » racemulos parvos falcibus, et sarmenta tollet et abscin» det.[3] » Quemadmodum enim, inquit, in vineis, dum uvæ immaturæ sunt, adventans agricola inutiles palmites excidit; neque id tantum, sed etiam infructuosa quæque et arescentia resecat, etenim illa quoque, utpote quæ nihil vigoris habeant, neque ullam ad fructus perfectionem spem relinquant, ex agriculturæ peritia de medio tollit, ne superflua et inutilia vigentibus uvis noceant; quamobrem illa quidem aufert, et in escam « volatilibus cœli et bestiis » terræ [4] » abjicit; quæ vero perfectum fructum servant retinentque, summa sollicitudine colit et tuetur; sic in tempore messis futurum esse ait, ablatis quippe supervacaneis vineæ palmitibus, succisisque inutilibus uvis, atque in escam ultricium potestatum traditis; bonæ uvæ, sive animæ fructiferæ, bonam spem a Deo consequentur. In his porro ipse Servator se vineam esse dixit, Discipulos vero suos, palmites; uvas autem palmitum consequens est ut intelligamus esse eos, qui ab Apostolis instituti fuerunt : quorum illos ceu racemulos inutiles, ac vitali virtute privatos, in tempore judicii abjiciendos esse docet; similiterque palmites nullam uvam ferentes, qualis erat proditor Judas, pe-

[1] Isa., IX, 3. — [2] Joan. IV, 36. — [3] Isa., XVIII, 5. — [4] Ibid., 6.

rinde atque inutiles uvas, a volatilibus cœli et bestiis terræ, videlicet adversariis et ultricibus virtutibus, excisum iri.

« In tempore illo afferentur dona Domino Sabaoth a » populo contrito et divulso, et a populo magno, ab hoc » tempore usque in perpetuum [1]. » Fuerit autem hic populus is qui in angusta et arcta via quæ ducit ad vitam, graditur, ipseque divulsus est, utpote qui a communi hominum vita alienus sit, magnus item et multus est apud Deum; quare dictum est, a populo magno. Etenim in præsentivita et in futuro sæculo rationabilia dona, et incruentas hostias Deo emittere nunquam cessat memoratus populus.

« Gens sperans et conculcata, quæ est in parte fluvii » regionis ejus in loco, ubi nomen Domini Sabaoth, in » monte sancto. » Hæc enim gens in parte fluvii regionis Dei erat, quando in Ecclesia Dei versabatur, ita ut dicat, « In parte cognoscimus et in parte prophetamus [2]. » Neque enim totum fluvium, scilicet verbum Dei, capiebat illa regio; quare in parte fluvii regionis Dei fuisse dicitur memoratus populus.

CAPUT XIX.

« Visio Ægypti. Ecce Dominus sedet super nubem le- » vem, et veniet in Ægyptum. [3] » Attente considerandum est, quo pacto dicatur « visio Ægypti. » Non enim quemad-

[1] Isa., XVIII, 7. — [2] I Cor. XIII, 9. — [3] Isa., XIX, 1.

modum de Babylone dicebatur, « Visio contra Babylo- » nem ; » neque sicut de Judæa et Jerusalem, « Visio quam » vidit Hesaïas filius Amos; quam vidit contra Judæam et » Jerusalem ; » neque ut de Damasco et de Moabitide, eodem modo de Ægypto : non enim dicitur, visio contra Ægyptum; sed quasi Ægyptus visura, et oculis discernendi vi præditis contemplatura erat ea quæ in vaticinio feruntur ; vel quia Propheta visionem habuerat Ægyptiis pulcherrima prænuntiantem. Quid enim pulchrius, quid beatius Ægyptiis eventurum erat, quam quod Dominus præsentia sua ipsos dignaturus, et notitiam sui ipsis collaturus esset, facturusque alia omnia quæ in Ægyptiorum bonum verterent?

« Et movebuntur manufacta Ægypti a facie ejus, et cor » eorum superabitur in ipsis. Quod sane quis secundum historiæ veritatem tunc completum dixerit, cum ipse Dominus, qui in principio apud Deum erat, Deus Verbum, non incorporeo neque invisibili modo in Ægyptiorum regione peregrinabatur, sed in nube illa levi, ut existimatur, sedens advenit, scilicet in corpore, quod Christus assumpserat, ex Spiritu sancto et ex sancta Virgine constitutum. Nam si non scriptum esset ipsum nubi insidentem venturum esse, posset quispiam dicere, Deum Verbum incorporaliter et divina virtute ubique præsentem, utpote qui omnia impleat, nam « in mundo erat, et mundus per ip- » sum factus est[1], » eamdem in Ægypto præsentiam exhibere, quandoquidem inspectionem et providentiam ad illos usque extendit. Verum illo modo non magis in Ægypto, quam in alia qualibet mundi parte esse dicatur. At nunc specialiter et distincte dicitur, ipsum nubi levi insidentem venturum in Ægyptum esse, quo proprius quidam et corporeus ejus adventus significatur. Cui dixerit quispiam in

[1] Joan. I, 10.

eadem explanatione insistens, tunc propheticum dictum finem habuisse, cum is qui ex Virgine natus est Deus, quem Emmanuelem prophetia vocat, ad homines advenit. Quemadmodum enim nubes non aliunde constitutionem habet, quam ex aëre et ex vapore terræ; sic et corpus quod assumpsit, ex Spiritu sancto et ex terrena substantia constitutum jure nubi levi comparetur, cui insidens Christus, in Ægypto dum adhuc esset infans, peregrinabatur. Id quippe erat Ægyptiis satis, qui virtute ineffabili ex adventu Salvatoris magnam sunt utilitatem nacti. At secundum profundiorem mentem, Domini præsentia Ægyptii præcipue egebant, utpote omnium hominum superstitiosissimi; ita ut non solum fato et stellis cœli universi causam adscriberent, sed etiam ad usque brutorum animantium, ferarum immanium, volucrum et reptilium, ut deorum, cultum delaberentur. Ita vero dominatu et providentia vacuum universum arbitrabantur, ut rex quidam eorum impudenter diceret, « Non novi Dominum, et, quis » est cujus vocem audiam[1]? » Hæc porro ipsis operibus finem acceperunt, quo tempore Ecclesiæ Dei per totam Ægyptum constituebantur, ac ipse Dominus ad Ægyptios peregrinatus est, suas visitans Ecclesias secundum illud, « Ubi duo vel tres congregati fuerint in nomine meo, illic » sum in medio eorum[2].» Ita igitur Ecclesiæ quidem ejus gratia fulgebant, dæmonum autem ibi vigentium error destruebatur.

« Et excitabuntur Ægyptii in Ægyptios, et bellabit homo » adversus fratrem suum, et homo adversus proximum » suum[3]. » Et hæc quidem implebantur post Evangelicam prædicationem, quæ per totam Ægyptum pervasit, quo tempore inanimata simulacra, a statione sua, quam à sæculo obtinebant, excussa sunt, ut non ultra ex populi fre-

[1] Exod. v, 2. — [2] Matth. xviii, 20. — [3] Isa., xix, 2.

quentia firmiter stare, nec solida subsistere possent : dæmone vero maligni, qui in ipsis ceu in latibulis agebant, in iis ipsis nihil esse comprobati sunt. Qnemadmodum enim civilis tumultus per totam Ægyptum concitabatur, populis dissidentibus, divisisque studiis per domos mutuo altercantibus ; quód ex civibus regionis incolis, alii quidem relicto diabolico ac Ægyptiaco errore, ad Evangelicam prædicationem accederent, alii vero in eodem errore perseverantes, inexpiabile bellum contra illos excitarent. Sic igitur insurgebant Ægyptii contra Ægyptios.

« Civitas adversus civitatem, et Nomus adversus Nomum. » Et turbabibur spiritus Ægyptiorum in ipsis, et consilium eorum dissipabo. Et interrogabunt deos suos et simulacra sua, et eos, qui de terra loquuntur, et ventriloquos. Et » tradam Ægyptum in manus hominum, durorum domino» rum, et reges duri dominabuntur eorum [1]. » Nomi apud Ægyptios hodieque vocantur eorum regiones, quæ etiam eadem de causa mutuo dissident. Atheorum autem vita ab instituto secundum Deum dissentiebat, et Nomus adversus Nomum insurgebat, Evangelica lege (s. νόμῳ). Ægyptiorum legalia subvertente, ac vicissim idololatriæ lege salutare verbum oppugnante. Hæc porro omnia contingebant, Ægyptiorum consensum et concordiam circa multorum deorum errorem confundente Domino, qui ad ipsos advenerat. Quare secundum Aquilam dicitur, « Et seditionem » ponam inter Ægyptios et Ægyptios ; » secundum Symmachum vero, « Committam Ægyptios cum Ægyptiis. » His porro affinia et similia ; imo potius eadem ipsa aliis verbis Dominus noster in Evangeliis docuit dicens, « Nolite pu» tare quod venerim pacem mittere super terram : non veni » pacem mittere, sed gladium, *et cætera* [2]. » His porro gestis, conturbandum esse ait spiritum Ægyptiorum ; secundum

[1] Isa., XIX, 3 et 4. — [2] Matth. X, 34.

Symmachum vero, « Et rumpetur spiritus Ægypti in ipsa » ; secundum Theodotionem, « et scindetur spiritus Ægypti in » ipsa » ; Aquila autem sic ait, « Et tradetur spiritus Ægypti » in visceribus ejus. » Hoc autem dirupto ac ex Ecclesia projecto, ad profectum Ægyptiorum consilia prava ineuntium, ego ipse, ait Dominus, consilium eorum dissipabo. « Et interrogabunt deos suos et simulacra sua, et eos qui » de terra loquuntur, et ventriloquos. » Horum nemine pro consueto more apparente, in extremas angustias delabentur. « Et tradam Ægyptum in manus hominum, domino» rum durorum, et reges duri dominabuntur eorum. » His indicari puto tempus quo eventura sunt ea, quæ in vaticinio feruntur; nam Ægyptiorum regni mutationem fore significat, quo tempore Dominus in Ægyptum proficiscetur. Quis vero non stupeat, si tempus conferat salutaris prædicationis, cum regni Ægyptiaci eversione; quomodo scilicet exinde ad hodiernum usque diem, non ultra prisci illi Principes, Ptolemæi nempe, ipsis imperent, sed Romani eorum domini.

Pro illo autem, *reges duri*, Aquila, « Et rex roboratus » regnabit ipsis » : Symmachus vero, « Et rex durus potes» tatem habebit in illos » ; Theodotio, « Et rex fortis domi» nabitur illis. » Hunc porro dixeris esse Imperatorem, qui tempore ortus Salvatoris nostri Romanorum monarchiam obtinebat. Tunc enim Augustus vere roboratus, ac fortiter imperans, primus Ægyptum Romanis subjecit, postquam diuturnam illam ibi regnantium Ptolemæorum successionem sustulerat.

« Hæc dicit Dominus Sabaoth : et bibent Ægyptii aquam » quæ est juxta mare [1]. » Pro quo Aquila, « *Et haurientur*, inquit, *aquæ ex mari ;* » Symmachus vero, « Et exterminabun» tur a mari aquæ. » Hic porro per maria turbulentam Ægyp-

[1] Isa., XIX, 5.

tiorum multitudinem subindicavit. « Fluvius autem deficiet » et exarescet. Et deficient flumina, et canales fluvii, et » exsiccabitur omnis congregatio aquarum [1]. » Ut novo illos potu excipias : cum enim neque flumen neque alia in Ægypto aqua supersit, nec marina ad potum idonea sit, novam et peregrinam illos aquam bibituros ait. Erat porro illa quæ ex fontibus salutaris a Domino ipsis suppeditabatur. Quinetiam Judaïcis deficientibus aquis, captores piscium, humanarum nempe animarum, plancturi esse dicuntur. Illos autem à Propheta memoratos piscatores et retia jacientes intelligas ex aliis piscatoribus et sagenis utentibus; ex Apostolis dico et Discipulis Salvatoris nostri, quibus dicebatur, « Venite, » et faciam vos piscatores hominum [2]. » Si enim isti doctrina sua hominum animam piscabantur, ad salutem illas trahentes, cur non dixeris memoratos illos Ægyptiorum piscatores et retia jacientes fuisse illos olim Philosophiæ doctores, qui per Ægyptiacas præstigias illaqueabant et inescabant eos quos capere poterant?

« Et in omni palude calami et papyri, et Achi virens » omne circum flumen, et omne quod seminatur ad flu- » men, arescet et vento peribit. Et gement piscatores, et » gement omnes qui mittunt hamum in flumen, et qui mit- » tunt sagenas, et qui mittunt retia, lugebunt [3]. » His omnimodam arbitror aquarum siccitatem indicari, ita ut neque vestigium humoris aquæ, vel in fluvio, vel in palude, vel extra flumina in circuitu, vel in medio, vel in canalibus, vel in aquis non fluentibus, appareat sed omnium confertim vacuitas et penuria futura sit, ita ut in Ægypto nusquam aquæ compareant. Verum hic sermo vel invitum quemque ad figuratam speculationem vi pertrahit; ita ut necessario per ægyptiaca flumina et aquas, intelligas ægyptiacæ potentiæ vim et multitudinem, necnon regnum co-

[1] Isa., XIX, 6. — [2] Matth. IV, 19. — [3] Isa., XIX, 7 et 8.

rum, quod olim fluminis instar exundabat, sive secundum aliam interpretandi rationem, philosophiam olim apud Ægyptios florentem, de qua dictum est, « Institutus est » Moyses in omni Ægyptiorum [1]. » Magna quippe antiquitus illa erat, magnum ibi flumen, magna quoque penes illos erat sapientiæ, quam mirabantur, ratio. Multæ porro partes erant hujus fluminis, divisi nempe in multos canales; in multos nimirum discipulos secundum varias singulorum disciplinas : ex quibus pullulabant non vineæ, neque olivæ, neque alia quæpiam ex fructibus ac necessariis arboribus, sed papyrus, calamus et Achi virens. Sagenas porro eorum intelligas ex parabola Salvatoris, qua dicitur, « Simile est » regnum cœlorum sagenæ missæ in mare, et ex omni ge- » nere piscium congreganti [2]. » Quemadmodum vero in parabola homines pro piscibus, et pro sagena Evangelicus de regno cœlorum sermo dicitur, ita et hoc loco implicata illa ægyptiaci sermonis gravitas, pro sagena et retibus similiter accipiatur; pisces vero iis capti fuerint, qui fallacibus sophismatibus in omnem impiæ superstitionis speciem detrahuntur. Luctum ergo et planctum acturi dicuntur Ægyptii piscatores, quia adveniente sibi Christo, et omnem sapientiam suam destruente, nullum superest ipsis opus agendum, secundum illud, « Perdam sapientiam sapien- » tium, et prudentiam prudentium despiciam. »

« Et confusio apprehendet eos, qui operantur linum scis- » sile, et qui operantur byssum [3]. » Hoc modo mente capias eos qui operantur linum, neque firmum quod rumpi nequeat, sed scissile; sermonem videlicet dissolutum et discissum, et byssum similiter : quia isthæc ab Ægyptio flumine fovebantur et irrigabantur. Quare ait harumce rerum artifices planctum edituros, quando nulla amplius fila sapientiæ suæ ad amictum et ornatum ipsis aderunt. Lini

[1] Act. VII, 22. — [2] Matth. XIII, 47. — [3] Isa., XIX, 9.

enim ac byssi copià ornatum sibi et indumentum excogitabant, captiosis quibusdam et fallacibus dictis mendacia sua operientes.

« Et erunt qui operantur ea in dolore : et omnes qui fa-»ciunt Zythum dolebunt, et animis cadent[1]. » Gemitum edituros ait qui faciunt, non vinum ex vite, sed ægyptiacum Zythum, quod et ipsum spurium erat et turbidum, quo Ægyptii potu utebantur, antequam ipsis adveniret Dominus. Hoc porro declinante, jure dicitur futurum ut ejus artifices planctum edant et animis doleant. Hæc vero passuros comminatur Ægypti sophistas, Zythi artifices, ac lini scissilis byssique operarios, et piscium captores, qui ægyptiacum flumen, et ægyptiacæ sapientiæ sermonem sollicite curarent.

« Et stulti erunt principes Taneos, sapientes consiliarii »regis, consilium eorum infatuabitur[2]. » Ibi enim maxime prius substitisse ait omnes diabolicæ idololatriæ præstigias : ibidemqne tempore Moysis sedem habuisse eos, qui in Ægypto regnabant. Quare dictum est signa in campo Taneos edita fuisse, tam Moysis tempore, quam in præsenti. Itaque peregrinante Domino in Ægypto, cum ægyptiaco flumine etiam memoratos illos principes dæmones infatuandos ait, etiamsi, absente Domino, sapientiam aperte profiterentur. Verum is argumentum ipsis obtulit, ac evicit, eos nihil sapientiæ habere, sed in Domini adventu verè stultos esse.

« Quomodo dicetis regi, Filii prudentum nos, filii re-»gum, qui ab initio fuerunt? Ubi nunc sapientes tui? et »annuntient tibi, et dicant quid consilii inierit Dominus »Sabaoth super Ægyptum. Defecerunt principes Taneos, »et exaltati sunt principes Mempheos, et errare facient »Ægyptum secundum tribus[3]. » Cum non amplius reges ha-

[1] Isa., XIX, 10. — [2] Id., 11. [3] — Id., 12 et 13.

beatis, quomodo potestis de prudentia gloriari? Quomodo veterum regum filios vos esse dicitis, Orum, Isin et Osirin et Typhonem objicientes, atque jactitantes deorum, heroum et mortuorum genera olim in Ægypto imperasse : quorum deorum et regum vos in Prophetia indicati principes Taneos et Mempheos, filios et nepotes esse dictitatis? Qua ratione dii, ac omnis sapientiæ consortes esse potestis, qui neque futuram vestram confutationem prævidere vel prædicere potestis, neque solutionem regni eorum, quorum consiliarii estis, quos etiam opprimitis, dum omnimodis erroribus ipsos complicatis?

« Dominus enim miscuit eis spiritum erroris : et errare » fecerunt Ægyptum in omnibus operibus ipsorum, ut errat » qui ebrius est, et qui vomit simul [1]. » Hinc porro conjectandum est, quantus ibi fuerit ebrietatis excessus, quod non perinde atque cæteri homines idololatriæ dediti essent, sed eo usque decidissent impietatis, ut brutorum animantium simulacra facerent : quare dictum est, « Ut errat qui ebrius » est, et qui vomit simul. » Ad hujusmodi ebrietatem prædicti principes Taneos et Mempheos Ægyptiorum animas deduxerunt, quibus ipse Dominus spiritus erroris miscuit. Nam cum dæmones maligni et adversariæ potestates essent, Deo adversaria sentiebant, ac contra Deum pugnare conabantur. Quamobrem errori traditi sunt, decernente Deo, quod nequitiæ eorum consentaneum erat, ut errori traderentur. Illi vero malitiam, ceu virus quoddam lethiferum, in Ægyptios diffunderunt, et Ægyptum in errorem induxerunt « Ut errat is, qui ebrius est, et qui vomit simul. » Verum eorum causa Deus in Ægypto peregrinabatur, ut illis ab errore deductis, populos ab eis procul dimoveret.

« Et non erit Ægyptiis opus, quod faciat caput et caudam » principium et finem [2]. » Infecta quippe sunt illis opera

[1] Isa., XIX, 14. — [2] Id., 15.

multa quæ apud illos perficiebantur, ita ut opus penes illos non reperiatur, quod vel principium vel finem habeat; Domino, utpote bono, hoc ita peragente. Si quidem in Ægyptiaca multorum numinum superstitione, multa opera principium et finem, secundum reputatam ibi seriem, habebant. At memorato Dominici ad illos adventus tempore, ait non ultra fore penes illos opus hujusmodi plenum, integrum et perfectum; sed si quodpiam hujuscemodi reperiatur, ipsum sine capite et principio, sine termino et fine futurum esse. Quod etiam ipso opere completum animadvertere est, nam idololatria penitus defecit. Illud porro est neque caput neque finem habere, ut satis commonstratum est.

« In die illa erunt Ægyptii velut mulieres in tremore et » in timore a facie manus Domini Sabaoth, quam ipse im- » mittet illis [1]. » Memoratis adventus Domini in Ægyptum temporibus, nullum Ægyptiis futurum virilem sensum, sed eos mulierum instar in metu et tremore, ob imminentem ipsis manum Dei, vitam acturos esse vaticinatur. Manus autem Domini quæ alia putetur esse præter eam, quæ vocatur dextera ejus, nisi Romanorum potentia, quæ Ægyptios subegit ac sibi subditos reddidit, idque ob Christi præsentiam? Ita quippe diabolum de Job loquentem Deo dixisse scriptum est; « Sed mitte manum tuam, et tange » omnia quæ habet, nisi in faciem benedicat tibi? [2] » Qui ergo voluntatis Dei ad subjugandum Ægyptiorum imperium ministri fuerunt, videlicet ipsa Romani exercitus potentia, manus vocatur. Quomodo autem mulierum instar, cum timore et angustia Romanis serviant Ægyptii, id sane non est quod explicetur.

[1] Isa., XIX, 19. — [2] Job., I, 11.

« Et erit regio Judæorum Ægyptiis in terrorem. Quicum-
» que eam nominaverit ipsis, extimescent propter consilium,
» quod consuluit Dominus Sabaoth super eam [1]. » Regionem vero Judæorum si Scripturam divinam dixeris esse, neutiquam aberraveris : quam ob vim pietatis et fidei qui Dominum noverunt, cum timore, tremore et reverentia adeunt; non amplius ut olim blasphema dicta in eam proferentes, sed ob Dominum in ea prædicatum, venerantes et colentes. Quamobrem quisquis illam ipsis commemorat, timorem Dei ipsis immittit : nam « initium sapientiæ timor Domini [2]. »

« In die illa erunt quinque civitates in terra Ægypti, lo-
» quentes lingua Chanaanitide, et jurantes per nomen Do-
» mini Sabaoth : civitas Asedec vocabitur una civitas [3]. » Etsi quinque civitates in vaticinio ferantur, at non ignorandum est, illas quinque unam esse. Quare nomen unum omnium additur, Asedec, quod interpretatur Symmachus, *solis*. Quam vero dixeris eam esse, nisi sanctam Dei Ecclesiam, quæ secundum LXX. quidem dicitur Asedec, quod significat, *justitiæ;* secundum Symmachum vero, *solis*, de quo dictum est, « Timentibus autem me orietur sol justitiæ, » et medelæ in alis ejus; secundum accuratam vero disserendi rationem, terræ civitas dicitur, quod ita reddi possit *Civitas terræ vocabitur una civitas.* Ipsa quippe sola in universa terra Deo civitas constituitur; ita ut de illa dicatur, « Gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei [4]. » Quinque autem civitates in Ecclesia, fuerint diversæ instituti et officii rationes, quinque vero sunt ordines distincti; tres scilicet ita numeres; primus est Præsulum ordo, secundus Presbyterorum, Diaconorum tertius, quartus illuminatorum in Christo, postremus eorum qui initiantur. Sciendum ergo est ordines quinque in Ecclesia Dei versari; quare quinque civitates sub una dicuntur, loquentes lingua, quæ olim apud

[1] Isa., XIX, 17. — [2] Psal. CX, 10. — [3] Isa., XIX, 18. — [4] Psal. LXXXVI, 3.

Ægyptios Chananæa reputabatur, et jurantes non per eos, qui dii patrii existimabantur, sed in nomine Domini Sabaoth, qui olim Judæis cognitus Deus erat. Hic ille erat qui in nube levi, hic erat qui ad ipsos advenit Christus.

« In die illa erit altare Domino in regione Ægyptiorum, » et columna ad terminum ejus Domino. [1] » De civitate Dei in Ægypto constituenda, et de diversis in civitate ordinibus vaticinatus, consequenter altare in civitate Dei futurum commemorat, quod modo perquam mirabili fore dicit. Nam cum illi olim apud Ægyptios reputati dii perierint, flumen ipsorum defecerit, principes Taneos et Mempheos infatuati fuerint, tunc altare apud Judæos Domino nuncupatum, constituendum fore ait : quod sane rei eventus nobis ob oculos ponit, ita ut dicti complementum ad futurum tempus non exspectemus. Quemadmodum autem una fides, unum baptisma, et una Ecclesia dicitur; sic et altaria plurima in tota Ægypto constituta, pro uno altari in Ecclesiis Dei constituto habenda sunt, et una columna sive cippus cum altari in illa civitate posita est, fideles Ægyptios ab infidelibus segregans ac dividens. Regio igitur illa Judæorum, quæ in terrorem Ægyptiis futura dicitur, Judaicam subindicat Scripturam, ac veteris Testamenti verbum; columna vero cum Christi altari conjuncta, novi Testamenti Evangelium fuerit, Christi fideles ex Ægyptiis ab infidelibus disterminans.

« Et erit in signum in sæculum Domino in regione » Ægypti, quoniam clamabunt ad Dominum propter opprimentes eos. Et mittet eis hominem, qui salvabit eos; » judicans salvabit eos. Et notus erit Dominus Ægyptiis, » et cognoscent Ægyptii Dominum in die illa, et facient » sacrificium et donum, et vovebunt vota Domino, et red» dent [2]. » Quamobrem, cum hoc signo sese munire didice-

[1] Isa., XIX, 19. — [2] Ib., 20.

rint Ægyptii, qui Dominum susceperunt, hoc tutamento utentur; ita ut in ærumnis eodem signo pro adjutore usi, clament et invocent Dominum adversus eos qui se oppriment. Quinam autem illi erant, nisi ii qui in pernicie manserunt Ægyptii, de quibus in prophetiæ initio dicebatur, « et insurgent Ægyptii contra Ægyptios, et bellabit » homo adversus fratrem suum, civitas adversus civitatem, » et Nomus adversus Nomum. Et percutiet Dominus Ægyp» tios plaga, et sanabit eos. Et convertentur ad Dominum, » et exaudiet eos, et sanabit eos sanatione. » Quia enim[1] « quem » diligit Deus, castigat; flagellat autem omnem filium, » quem suscipit[2]; » jure Ægyptios percutiet, et si diligat, si quando castigatione et conversione opus habeant; sed id non ad diuturnum tempus faciet, ac nihil comperendinans curationem et medelam adhibebit.

« In die illa erit via Ægypti ad Assyrios, et ingredientur » Assyrii in Ægyptum, et Ægyptii ibunt ad Assyrios : et » servient Ægyptii Assyriis[3]. » Assyrios hic puto a Scriptura vocari eos, qui nunc Syri appellantur : olim quippe Assyrii vocabantur ii, qui Syriam et Mesopotamiam incolebant. Inimici autem mutu erant Ægyptii, ac semper mutuo infesti. Nunc autem præsens sermo communionem ipsis et commixtionem vaticinatur, quod numquam alias factum fuerat. Nam ante Romanorum imperium proprios reges habebant Ægyptii et Assyrii; Ægyptii quidem Ptolemæos, Syri autem Antiochi et Demetrii posteros, in quorum medio sita Judæa, a propriis item principibus regebatur. Cum autem Judaïca gens intermedia esset, modo a Syris, modo a Ptolemæis bello impetebatur. Imo etiam Ægyptiis inimici Syri erant, et Ægyptii Assyriis hostes; ut minime libera esset alterius populi ad alterum profectio. Hoc pacto se res olim habebant. At post adventum Domini in Ægyp-

[1] Isa, XIX, 22. — [2] Hier. XII, 6. — [3] Isa, XIX, 23.

tum, pacem profundissimam ac communionem commerciumque ipsis futurum præsens sermo prænuntiat. Ille vero eos, qui olim inimici erant, Syros dico, Assyrios et Israelem mutuo conciliat, atque unam omnes a Deo benedictionem accepturos dicit; ita ut jam non amplius Israel altum sapiat, neque ut solus benedictus contra alios sese extollat. Quis ergo Romanos exercitus ex Syrorum militia videns Ægyptiorum capitibus imminere, et Ægyptios illis servire, prophetiæ eventum non admiretur? Quis non obstupescat cernens Ægyptios, libero transitu Syriam petentes ac vicissim Syros sine obice in Ægyptum accedentes, atque eos vi dominatricis potentiæ subditos esse. Quodque omnium mirabilissimum est, in prophetia dixit, eodem tempore apud Syros, et Ægyptios, ac in terra Israel populos Dei fore, ipsosque benedictos, ut Israel non amplius differat ab Ægyptio, neque a Syro, neque apud Deum pluris habeatur Syrus Israele vel Ægiptio; neque vicissim Ægyptius minor sit apud Deum Israele et Syro.

« In die illa erit Israël tertius inter Ægyptios, et inter » Assyrios benedictus in terra, quam benedixit Dominus » Sabaoth, qui dicit, Benedictus populus meus, qui est in » Ægypto, et in Assyriis, et hæreditas mea Israël[1]. » Quod si dicatur, tertium Israël inter Ægyptios et Assyrios futurum esse benedictum in terra, quam benedixit Dominus exercituum, ne aliam putemus esse terram ab Ecclesia Dei. Per Israël autem intelligi potest, chorus omnis sanctorum religiosorumque virorum, qui ex Judaïca gente defuncti sunt. Quapropter dicitur, « et hæreditas mea Israël. Nam » quando dividebat Altissimus gentes, facta est pars Domini » populus ejus Jacob, funiculus hereditatis ejus Israël[2]. » Nunc autem Ægyptii populus ejus, et populus ejus benedictus, vocantur et Assyrii similiter. Illud autem, « in

[1] Isa., XIX, 24. — [2] Deut., XXXII, 3.

» terra, quam benedixit Dominus Sabaoth, » ad cœlestem quoque terram referatur, de qua dicit Salvator, « Beati » mites quoniam ipsi possidebunt terram, » ubi in cælestis Jerusalem, et Sion mons cœlestis Dei est.

CAPUT XX.

—

« In anno quo ingressus est Tanathan Azotum, cum missus est ab Arna rege Assyriorum, et oppugnavit Azotum, » et cepit eam : tunc locutus est Dominus ad Hesaïam di-» cens, Vade, et aufer saccum a lumbis tuis. [1] » Mirari subit propheticam vitam, quam Apostolus declaravit his verbis, « circuierunt in melotis et in caprinis pellibus, egentes, » angustiati, afflicti [2]. » Hæc vero Scriptura Hesaïam uno vestitum sacco inducit, lugentem scilicet, et illacrymantem super iis, qui ob impietates suas procul exciderant a Deo. « Et calceamenta tua solve de pedibus tuis. Et » fecit ita; ambulans nudus et discalceatus. Et dixit Domi-» nus, quemadmodum ambulavit servus meus Hesaïas nudus » et discalceatus tres annos, tres anni erunt in signa et pro-» digia Ægyptiis et Æthiopibus. » Quod jubeatur nudus incedere et nihil cunctari, idque confestim agere in oculis adstantium, maximæ sane obsequentiæ erga Deum et alacritatis, parati item sublimisque animi argumentum fuerit, qui humanam gloriam ne flocci quidem faciat. Hæc autem agente Propheta, iis quæ Propheta repræsentabat, similia

[1] Isa., XX, 1 et 2. — [2] Hebr. XI, 37. — [3] Isa., XX, 3.

passuros Ægyptios ab Assyriis debellatos prædicit Deus, nudos videlicet et discalceatos abductum iri; neque illos tantum, sed etiam Æthiopas, quos ad auxilium et commilitium venturos esse sperabatur. Siquidem Æthiopum eo tempore admodum potentium multitudini et manui fidentes Ægyptii, Assyrios despectui habebant; at Deus futurum prænuntiat dicens, « Quemadmodum ambulavit » servus meus Hesaïas nudus et discalceatus, *et cætera.* »

« Quoniam sic aget rex Assyriorum captivitatem Ægypti » et Æthiopum, juvenes et senes nudos et discalceatos, » discoopertos pudore Ægypti [1]. » Hæc certe iis, quæ paulo ante dicta sunt, contraria videantur, queis inter Ægyptios et Assyrios conjunctionem et commercium fore dicebatur: nunc autem ait regem Assyriorum juvenes et senes Ægyptiorum nudos et discalceatos captivos abducturum esse. Cujus tamen difficultatis solutionem reperiemus, si morem attendamus prophetici Spiritus. Ut enim Ægypto animum adhibebat, videbat quidem ea quæ mox Ægyptiis in ipso Prophetæ tempore, eventura erant; itemque prospiciebat bona illa quæ diuturno post tempore in Ægyptiorum regione futura erant. Hinc cum prius bona vaticinatus esset, ad ea quæ mox eventura erant pertransit. Hæc porro Ægyptiis tristia, quæ nec diu postea impleta sunt, iisdem ipsis quo Propheta conspicuus et notus erat temporibus. Necessario autem Spiritus divinus de Domini in Ægyptum adventu, et de bonis ibidem Ægyptios conferendis vaticinatus, ea quæ mox finem nactura erant subdidit; ut a præsentium eventu ea, quæ diuturno post tempore futura erant, credibilia essent iis qui tunc propheticorum sermonum auditores erant. Hæc ergo quæ jam tractamus, non erant ante prænuntiatis contraria: illa quippe pro temporibus in prophetia notatis; hæc vero pro rebus mox

[1] Isa., XX, 4.

gerendis enuntiabat. « Et confunduntur superati Ægyptii » ab Æthiopibus, in quibus confidebant Ægyptii : erant » enim ipsis gloria [1]. » Erubescentes scilicet de iis in quibus confidebant, ita ut sese ipsi damnarent et arguerent. « Et » qui habitant in insula hac, ecce nos confidebamus, ut ad » eorum auxilium confugeremus, qui non potuerunt ser- » vari a rege Assyriorum, et quomodo nos servabimur? [2] »

CAPUT XXI.

« Visio deserti. Sicut procella per desertum transit, ex » deserto veniens a terra : terribilis visio et dura, renuntiata » est mihi. Contemptor contemnit, et iniquus inique agit. Ad » me Elamitæ, et legati Persarum ad me veniunt [3]. » Persæ itaque non diu postea Medorum imperium excipientes, Babylonis reliquias everterunt. Jure igitur æstimo hæc hostilia facta de Babylone dici. Quid sibi vult autem cum ait, *Visio deserti ?* Jam exhinc Babylonem vocat desertum, propter ea quæ de vastitate ejus in prophetia feruntur. Quare ex persona ipsius Babylonis hæc dicta fuisse arbitror, quasi mala quæ eventura sibi erant auribus accepisset, ac precaretur, ut horum auditus pertransiret, utque ea quæ exspectabantur non acciderent.

« Nunc lugebo et consolabor me. Propterea impletus » est lumbus meus solutione, et dolores invaserunt me tam-

[1] Isa., XX, 5. — [2] Ib., 6. — [3] Id., XXI, 1 et 2.

» quam parturientem [1]. » Verum, ut par est, nunc lugebo, quod non antea feceram, quia superba eram et adversus reliquas gentes me extollebam, ita ut aliis essem luctus causa. Nunc vero ego ipsa Babylon, cum populo meo lugebo, et luctu me consolabor, quia me rerum hujusmodi nuntium perculit; cujus causa repletus est lumbus meus solutione, qui olim præcinctus erat et lasciviebat. Dolor item et labores me occuparunt, ita ut ego Babylon, olim cæteris terribilis, nihil differam a muliere pariente. Hæc porro mihi acciderunt, quia fateor me inique egisse, cum neminem commonefacientem me audirem, et cum mihi curæ esset, ut rectum nihil aspicerem. Quare, ait, nunc confitendo dico, « Inique egi, quod non viderem : cor » meum errat, iniquitas mea demergit me : anima mea in » metu versatur [2]. » Hæc sane puto a Propheta dicta fuisse, Babylonis personam assumente, et quasi ejusdem, sive gentis eamdem incolentis nomine hæc dicta proferri.

« Præpara mensam, comedite, bibite surgentes, prin- » cipes arripite clypeos [3]. » Medos, Elamitas, et Persarum legatos compellat propheticus Spiritus, excitans eos ad bellum contra Babylonios. Quare quasi ad illos talia fatur, « Præpara mensam, comedite, » et cætera. « Quoniam sic » dixit Dominus ad me : Profectus statue tibi speculatorem, » et quod videris, renuntia. Et vidi sessores equites duos, » sessorem asini, et sessorem cameli. Audi auditionem mul- » tam, et voca Uriam ad speculam [4]. » Signa vero et symbola hæc erant aciei inimicorum, quorum alii curribus vecti irruebant, alii jumentis sarcinas et commeatum agebant. « Audi auditionem multam, et voca Uriam ad speculam; » videlicet eam, de qua postea sermo, sive leænam, sive Ariel evoca; ut et ipse veniens a speculatore videatur, Propheta item cum speculatore una conspiciente. Ille vero

[1] Isa, XXI, 3. — [2] Ib., 3. — 4. — [3] Ib., 5. — [4] Ib., 6, 7 et 8.

speculator monens sequentia ducit. His autem puto significari Assyriorum regnum, judicio Dei funditus eversum. Pro illo autem, *Uriam*, Aquila, *Leonem*, Symmachus, *Leænam*, Theodotio, *Ariel*, edidit. Nemo igitur Uriam memoravit : quoniam nec Hebraïca vox Uriam nominat.

« Et dixit, Steti tota die, et in castris steti tota nocte. » Stetit ergo Propheta cum speculatore, expectans futuram illam visionem, Leonis, vel Leænæ, vel Ariel. Cum autem toto diei et noctis tempore perstitisset, subdit, « Et ecce ipse » venit [1]. » Quis ille autem est, nisi Ariel biga vectus? Quare ait, « Et ecce ipse venit, ascensor bigæ. » Quis vero erat ille, nisi ultor quidam Angelus, cujus opera Babylonis obsidio perficienda erat? Fortasse Ariel dicitur vel idem ipse qui quasi leo rugiens circuit quærens quem devoret. Et sane conspecto illo, Propheta intellexit eum, utpote Angelum ultorem, Babylonis exitium procurare : quare exclamat his verbis, « Cecidit, cecidit Babylon, et omnia » simulacra ejus, et manufacta ejus contrita sunt in ter» ram. » Nam quasi id peragere jussus esset Ariel, hanc emittit Propheta vocem : « Audite qui derelicti estis, et qui » doletis audite, quæ audivi a Domino Sabaoth, Deus » Israël annuntiavit nobis [2]. » Quæ enim ille revelavit mihi, eadem vobis me interprete declaravit.

« Visio Idumeæ. Ad me voca de Seir. Custodite propu» gnacula [3]. » Notos suos alloqui Deus videtur his verbis, « Ad me voca de Seir : » nam « fugientes de Seir, » secundum reliquos interpretes, « ad me voca, » *inquit*. Seir autem vocabatur in Arabia mons Esaü, in quo stabat ejus regia, hodieque notus incolis est eodem nomine appellatus. Iis itaque ex Idumæis qui metu laborabant, ait : Ad me festinantes venite, et cum ad me accesseritis, custodite propugnacula vestra : « Et ego custodiam vos die ac nocte,

[1] Isa., XXI, 9. — [2] Ib., 10. — [3] Ib., 11.

» et apud me eritis [1]. » Si quis in vobis auxilio opus habeat, a me quærat opem : et si quis salutem curat suam, ad me veniat. Hæc quidem dicta mihi videntur ad eos ex Idumæis, qui terrore consternati erant, quos ad se vocat Deus, pollicitus ipsis auxilium suum, si tamen in se permaneant.

« In saltu vespere dormias, aut in via Dædan, in occur- » sum sitienti aquam ferte, qui habitatis in regione Thæ- » man : panibus occurrite fugientibus, propter multitudi- » nem occisorum, propter multitudinem errantium, prop- » ter multitudinem gladii, et propter multitudinem arcuum » intensorum, et propter multitudinem eorum qui cecide- » runt in bello [2]. » Jam enim instantibus vosque cedentibus adversariis, quamplurimi vestrum peribunt : si autem unus ex vobis, vel duo, vel admodum pauci incolumes evaserint, fuga salutem nacti; his ego, utpote fugientibus, et fuga defatigatis et solutis, cum urbes incolendas non habeant, præcipio ut in saltu et in desertis locis, occupante vespera, dormiant. Verum ne fame pereant, lassis illis et sitientibus offerri aquam et panem jubeo. His autem vos alloquor, qui Thæman, sic dictam regionem, incolitis : quos convenit fugientes perhumaniter excipere et tractare. Puto autem eos cum civitatem incolere non possint, in viis et saltibus habitaturos esse. Quamobrem ne despiciatis eos qui tam miserabiliter fame pereunt, qui ex inimicorum gladio salvi evaserunt : quod maxime ex tanta multitudine evaserint, cæteris pereuntibus, aut in aliis desertis locis errantibus.

« Quoniam sic dixit mihi Dominus, adhuc annus tam- » quam annus mercenarii, deficiet gloria filiorum Cedar : » et quod reliquum est arcuum fortium filiorum Cedar, » erit exiguum, quoniam Dominus Deus Israël locutus » est [3]. » Quod prope, et quasi intra januas ingressum sit

[1] Isa., XXI, 12. — [2] Id., 13, 14 et 15. — [3] Id., 16 et 17.

Idumææ exitium ; et quod omnino in perniciem ituri sint, Babyloniis eorum urbes incendentibus, ac totam regionem populantibus, clare prænuntiat. Unus quippe, ait, intercedet annus, et sagittarii Cedar, etiamsi, inquit, mirum sit, in ejus rei suspicionem venientes, deficient et peribunt. Veraque prædictio est, Dominus enim Deus Israël locutus est. Veritas autem numquam mentietur.

CAPUT XXII.

« Visio vallis Sion. Quid factum est tibi, quoniam nunc » ascendistis omnes in tecta vana [1] ? » Præsens vallis Sionis visio, non de ipsa Sione, sed de adjacente valle dicitur. Quamobrem ait postea, « Et erunt electæ valles tuæ, re» plebuntur curribus : equites vero occludent portas tuas. » Arbitror porro Deum his abjectionem Israëlis et extremam ejus ruinam significare velle, ipsosque in alienigenarum ordine reponere ; nam medii inter alienigenas in Scriptura locantur. Sed etiam puto eum Jerosolymæ ruinam declarare, ideoque vallem Sion ipsam vocare. Alioquin vero e Judæorum gente Deus eos coarguit, qui a religiosi instituti cacumine deciderunt, ceu in valles et voragines profundissimæ malitiæ delapsi. Etenim Sion mons est præaltus, in quo templum Dei ædificatum erat : quare dicitur, « Super » montem excelsum ascende qui evangelizas Sion [2] ; » et, « Accessistis ad Sion montem, et civitatem Dei viventis » Jerusalem cœlestem [3]. » Evangelicum autem sermonem

[1] Isa., XXII, 1. — [2] Id., LX, 9. — [3] Hebr., XII, 22.

per Sion montem significari superius commonstratum est. Qui porro ex hac spe deciderunt, in vallem Sioni adjacentem delapsi sunt : nam rursus virtutem sequitur malitia, in quam decidit qui ex virtute delabitur. Sic igitur qui ex fide aberrant ad incredulitatem vertuntur. Populus itaque ex circumcisione, ex Evangelico cacumine lapsus, et a cœlesti Sion abalienatus, in præcipitium incredulitatis corruit : quare inter alienigenas reputatur. Unde prophetia extremam eorum repulsam adumbrans verbum vallis descripsit. Quia vero non est personarum acceptio apud Deum, ideo in alienigenarum reprehensionibus medius de Sione sermo insertus est. Quocirca Jerosolymæ incolas quasi in alienigenis Deus constituit, sententiamque profert adversum illos.

« Repleta est civitas clamantibus : vulnerati tui, non » vulnerati gladio; neque mortui tui, mortui bello [1]. » Spiritu conspicatus Propheta eorum contra Salvatorem clamores, impiasque in ipsum blasphemias, quarum causa rejecti sunt, subjungit illud, « Repleta est civitas clamanti» bus. Omnes principes tui fugerunt, et capti duriter vincti » sunt, et qui potentes sunt in te, longe fugerunt [2]. » Quare non amplius ut antiquitus reges, non duces, non sacerdotes, non Prophetæ apud illos sunt; sed neque Pharisæi, neque Saducæi, neque alii quotquot olim eorum magistratibus perfuncti sunt. Hæc cum spiritu cerneret Propheta, necnon illum ex tanta sublimitate in extremam malitiam, ceu in quamdam vallem, Judaïci populi lapsum, luctu se discruciat dicens : « Propterea dixi, sinite me, amare flebo, » non poteritis consolari me super contritione filiæ generis » mei [3]. » Nam accurate novi, inquit, et spiritu prævideo, etiam ex iis omnibus quæ supra dicta sunt, civitatem Deo addictam capiendam, et omnes qui in illa sunt, in gau-

[1] Isa., XXII, 2. — [2] Ib., 3 — [3] Ib., 4.

dium inimicorum dandos esse. Quare jam exhinc lugeo, et quasi genuina viscera mea deploro. « Quia dies turba» tionis et interitus, et conculcationis : et error a Domino » Sabaoth. In valle Sion errant : a parvo ad magnum er» rant in montibus [1]. » Hæc quoque æstimo dicta de iis, qui convenerunt in unum, dum insidiæ contra Servatorem nostrum struerentur.

« Elamitæ autem sumpserunt pharetras, et homines qui » ascendunt equos, et congregatio aciei. [2] » Significat autem virtutes occultas et inimicas, queis à Deo traditi sunt. Quare Elamitæ significant *despicientes;* quia pereuntium salutem negligunt, ac nemini parcunt, ideo verisimiliter ita vocantur eorum turmæ obsidentes. Verum magno cum exercitu instructâ acie in valle Sion ab iis obsessa versantes, eam in extremam egerunt vastitatem.

« Et erunt electæ valles, tuæ replebuntur curribus, » equites autem occludent portas tuas [3]. » Non nunc neque in præsenti tempore, sed in illa die; nimirum in tempore per prophetiam enuntiato.

« Et recludent portas Juda, et intuebuntur in die illa » electas domos urbis. Et retegent abscondita domorum » arcis David. Et viderunt, quod plures sunt, et quod avertit aquam veteris piscinæ in civitate [4]. » Hæc porro erant arcana regni symbola, et quæ in Sanctuario reposita erant; quæ nemini, præterquam Sacerdoti tantum, conspicere licebat; quæ etiam inimicis tradenda dicit. Hac de causa vallis Sion incolas criminatur, quod veteris in urbe piscinæ aquas averterint, aliamque sibi intra duos muros aquam excogitarint. Aqua porro veteris in urbe piscinæ, erat veteris et divinitus inspiratæ Scripturæ sermo, quem derivantes, alienam sibi aquam excogitarunt, seniorum videlicet traditiones, doctrinas et

[1] Isai., XXII, 5. — [2] Id., 6 — [3] Id., 7. — [4] Id., 8 et 9.

præcepta hominum edocentes, qua de re ipsos Servator coarguit, eorumque nequitiam criminatur his verbis, « Et » irritum fecistis verbum Dei propter traditionem vestram[1]. »

« Et quod diruerunt domos Jerusalem in munitionem » muri civitati. Et fecistis vobis aquam in medio murorum » duorum intra piscinam veterem[2]. » Id autem illos hodieque peragentes videas, quia assumptis Scripturæ verbis, iis commenta sua ceu muris muniunt, ipsaque quasi sepem, præsidium et mœnia fabulis suis circumponunt. Quemadmodum enim peregrinum sibi locum excogitarunt, ac murum sibi circumquaque stuxerunt, divinarum Scripturarum verbis ceu lapidibus usi; ita et aquam veteris in urbe piscinæ averterunt, et novam sibi aquam inter duos muros excogitarunt; nimirum inter vetus et novum Testamentum : hæc quippe muri duo sunt civitatis Dei, scilicet vitæ instituti secundum Deum : in quorum medio ii, qui incusantur, alienam et peregrinam aquam sibi excogitarunt, videlicet seniorum traditiones, in quibus altum sapiunt ii, qui apud illos Deuterotæ appellantur. « Et non respexistis in eum qui ab » initio fecit illam, et conditorem ejus non vidistis. » De veteri divinarum Scripturarum piscina loquor, quæ à fontibus divini Spiritus emanat.

« Et vocavit Dominus Sabaoth in die illa fletum, et » planctum, et abrasionem et cincturam saccorum : illi » autem lætati et gavisi sunt, jugulantes vitulos et mactantes » oves, ut ederent carnes, et biberent vinum, dicentes, » comedamus et bibamus, cras enim moriemur. [3] » Deus igitur, qui non vult mortem peccatoris, sed magis pœnitentiam, ipsos magna facinora aggressos, lugere et perniciem flere suam jubet; illi vero in hujusmodi malis versantes, quasi de salute desperantes sua, in insaniam proruerunt, ebrietati et voluptati sese dedentes; quasi nempe

[1] Matth., xv, 6. — [2] Isa., xxii, 10 et 11. — [3] Ib., 12 et 13.

post exitum ex hac vita Dei judicium neutiquam illos excepturum esset. « Et hæc revelata sunt in auribus Domini » Sabaoth. [1] » Quare illis peccato ceu vinculo Dei vinctis, hæc sententia profertur, « Non dimittetur vobis hoc peccatum, donec moriamini. »

« Hæc dicit Dominus Sabaoth; Vade in Pastophorium » ad Somnam penuarium, et dic ei : Quid tibi hîc? Et quid tibi » est quod excidisti tibi hîc monumentum? et fecisti tibi in » excelso monumentum, et scripsisti tibi in petra tabernaculum? Ecce certe Dominus Sabaoth ejiciet et atteret virum et auferet amictum tuum, et coronam tuam gloriosam, » et projiciet te in regionem magnam et immensam, et » ibi morieris; et ponet currum tuum pulchrum in dedecus, » et domum principis tui in concultationem : et à dispensatione tua et à statione tua arceberis [2]. » Ait itaque Hebræus, Somnam fuisse Pontificem, voluptarium et indecoræ vitæ hominem, ita ut etiam populum proderet et transfugeret ad Senacherim Assyriorum regem, quem jubetur Propheta in Pastophorio adire; sive secundum Symmachum, « ad tabernaculorum artificem; » seu secundum Aquilam, « ad tabernacula figentem, » ita enim Pastophorium Dei interpretati sunt : ipsique dicere præcipitur, Heus tu, frustra et temere hic tibi in alta petra monumentum excidisti, insculptis litteris voluntatis tuæ symbola repræsentans : ignorans decretum a Domino Sabaoth contra te prodire, quo te jubet, honore quem nunc obtines deturbatum, amictu, quo indueris, corona ac reliquo decore exutum, procul hac terra, in peregrina et remotissima regione defungi. Superflue igitur tantas illas divitias studiose colligere satagebas, ac currus superbumque alium apparatum, quo nunc indueris. Hæc item quispiam tempori passionis Servatoris nostri congruenter aptaverit, dixeritque

[1] Isa., XXII, 14. — [2] Ib., 15, 16, 17, 18 et 19.

Somnam, qui a sacerdotio excidit, figuram esse eorum qui secundum Moysis legem sacerdotium corporeo more obibant apud Judæos, quos post passionem Salvatoris, cessante Sacerdotio, ea quæ in prophetia feruntur, passuros esse vaticinatur. Eliacim vero, qui significat, *Dei resurrectio*, symbolum esse novi sacerdotii, quod Servatoris nostri resurrectio in ejus Ecclesia per totum orbem constituit.

« Et erit in die illa, vocabo puerum meum Eliacim » Chelciæ filium, et induam eum amictu tuo, et coronam » tuam dabo ei, et potentiam et dispensationem tuam dabo in » manus ejus. Et erit tanquam pater habitantibus Jerusalem, » et habitantibus Juda. Et dabo ei clavem domus David in » humero ejus : et aperiet, neque erit qui claudat; et clau- » det, neque erit qui aperiat. Et dabo gloriam David ei, et » imperabit, et non erit qui contradicat. Et constituam eum » principem in loco tuto : et erit in thronum gloriæ domûs » patris sui. Et erit confidens in ipso omnis gloriosus in » domo patris sui, a parvo usque ad magnum, Omne vas » parvum a vase aganoth. Et erunt appensi ei in die illa[1]. » Tibi quidem [Somnæ] illa conferet : alium vero a te diversum Eliacim puerum et servum suum, ab se probatum, amictu induet tuo, et corona sacerdotii exornabit, tradetque ipsi eam, quæ tibi jam concredita est dispensationem. Is quippe dignus est, quia a Deo productus et selectus, non est similis tui, superbus et arrogans. Patris autem loco erit iis qui sub ejus administratione degent; quamobrem ipsi ut miti et mansueto dabit gloriam regis David mitissimi et justissimi, ita ut populo cum potentia magna imperet, et jussis ejus nullus repugnet. Eritque fixus et firmiter stabilitus in ministerio suo; ita ut quisquis in populo clarus erit, non contendat, neque futura umquam suspicio

[1] Isa., 20, 21, 22, 23 et 24.

sit invidiæ aut livoris in eum; sed omnes ipsi tanquam patri confidant. Omnes ergo confertim a parvo usque ad magnum ab ejus ore pendebunt, ejus erga omnia sollicitudini confidentes.

« Hæc dicit Dominus Sabaoth : commovebitur homo » stabilitus in loco tuto, et auferetur et cadet, et exterminabitur gloria in eo : quia Dominus locutus est.[1] » Quoniam non recte neque fideliter concreditum sibi ministerium obiit, in ordinem redigetur et honore privabitur, cadetque gloria in eo. Et hæc omnia ipsi evenient, Deo ipsum ad hanc calamitatem damnante. His porro nos sermo ad temperantiam hortatur, docetque ne in rebus prosperis molliores evadamus, neque de imperio superbiamus, neve judicium Dei obliviscamur.

CAPUT XXIII.

« Verbum Tyri. Ululate naves Carthaginis, quia periit[2]. » Verbum igitur Tyri inprimis significat futuram Tyri obsidionem : quo tempore superveniens Assyrius cum aliis gentibus, et ipsam et Sidonem cepit, ut etiam in exterorum historiis narratur. Illo itaque tempore, quo Tyriorum civitas tantam passa est vastitatem, consequens erat illos non solito commercio uti; nautici quippe erant, ac semper marinis negotiationibus vacabant. Deleta itaque Tyro, nulli erant qui pro more merces inde transveherent :

[1] Isa., XXII, 25. — [2] Isa., XXIII, 1.

ii vero Carthagine Tyrum navigare solebant. « Et non ultra veniunt de terra Citiensium : » abductus est captivus. » His indicari Cyprum dicitur, Cittiorumque urbem ibidem exstare, cui adnavigabant qui Tyro solvebant.

« Cui similes facti sunt qui habitant in insula, negotia-» tores Phæniciæ, trajicientes mare in aqua multa? semen » negotiatorum quasi messis comportatæ ; negotiatores » gentium. Erubesce Sidon, dixit mare. Fortitudo autem » maris dixit, non parturivi, nec peperi, nec enutrivi juve-» nes, nec exaltavi virgines[1]. » Nunc autem eos omnibus confertim orbatos, et bonis, ita illi opinabantur, suis eversos, pudore suffundi convenit, nec eos solum, sed etiam vicinos eorum Sidonios : vel ipso mari quasi vocem emittente ac lugente, quod juvenes et virgines quos enutriat non habeat. Quoniam antiquitus, ceu maris ipsius proles, ab eo alebantur, quo tempore res Tyriorum florebant : nunc autem Tyro deleta, jure ipsos luget mare, et fortitudo ejus lamentatur, filiorum exitium deplorans.

« Quando autem auditum fuerit in Ægypto, eos capiet » dolor de Tyro. Abite Carthaginem : ululate qui in-» colitis insulam hanc. Numquid hæc erat injuria ab initio » priusquam traderetur ipsa? Quis hæc consuluit super » Tyrum ? Num imbecilior est, aut non viribus valet? » Mercatores ejus gloriosi, principes terræ. Dominus » Sabaoth deliberavit dissolvere universam contumeliam » gloriosorum, et ignominia afficere omne gloriosum » in terra[2]. » Verum etiam Ægyptus, e vicino posita, in dolore, inquit, constituetur, sollicita et anxia propter illam, ne videlicet parem Tyriæ calamitatem patiatur. Rebus autem ita gestis : Si potestis, ait, vos qui cæsis aliis, id urbe Tyro residui estis, trajicite profugi ad colonos vestros Carthaginenses. Illic vero commorantes

[1] Isa., XXIII, 2, 3 et 4. — [2] Ib. 5, 6, 7, 8 et 9.

patriam lugete, et accusate, non alios quospiam quibus fidebatis; sed vestram superbiam et contumeliam, qua illos omnes complicare conati estis. Casum porro vestrum, o Tyrii, ne fati necessitati adscribatis; sed in vobis ipsis quærite, quis hæc consilia inierit, quis ad tantam calamitatem patriam vestram damnaverit. Nam disquirentes deprehendetis, hæc justo judicio accidisse: Dominus quippe Sabaoth, qui apud solos Hebræos pro Deo habetur, hoc decretum protulit.

« Operare terram tuam: naves enim non amplius veniunt » Carthagine. Manus autem tua nihil potest amplius in » mari, quæ provocabat reges[1]. » Ne igitur amplius superbias, neve arroganter agas, ob divitias et opes mari advectas tibi: verum depressa et humilis, colendæ terræ vaca, ut fructibus terræ ex agricultura partis nutriaris, marina si quidem tibi lucra cessarunt. Nam dum iis fruebaris, felicitatem ferre tuam non poteras; sed vicinos reges omnes contumeliis provocabas. Cæterum hæc ultra facere tibi non licebit; neque alios quospiam, neque contra finitimam Sidonem, quam lædere tentabas. « Manus autem tua nihil potest amplius; » videlicet potestas regia, qua olim firmata erat.

« Dominus exercituum præcepit de Chanaan, ut per» deretur ejus robur. Et dicent, Non ultra adjicietis con» tumelias et injurias inferre filiæ Sion. Et si abieris ad » Cittienses, neque ibi requies erit tibi, et si ad terram » Chaldæorum, ipsa quoque ab Assyriis vastata est, neque » ibi erit tibi requies, quia murus ejus cecidit. Ululate naves » Carthaginis, quia periit munitio vestra. Et erit in die illa » relinquetur Tyrus LXX annis, sicut tempus regis, sicut » tempus hominis. Et erit post annos septuaginta, erit » Tyrus tanquam canticum adulteræ. Sume citharam,

[1] Isa. XXIII; 10 et 11.

» circui, civitas adultera, oblivioni tradita: bene pulsa ci-» tharam, multa cane, ut tui memoria existat[1]. » Quæ porro contra Tyrum in vaticinio feruntur, omnia paucis annis absolventur: quibus etiam civitas Deo consecrata, deserta fuit. Decrevit quippe Deus, unius hominis vitæ spatio, sive etiam unius annosi regis dominatu, nempe septuaginta annis, futuram Tyri solitudinem definire. In his autem septuaginta annis, canticum et carmen de vastitate tua canent omnes homines, qui te olim accurate noverant, quemadmodum de muliere a decore suo lapsa. Tu vero ipsa toto solitudinis tuæ tempore, circumquaque oberra, gyrans et a loco in locum transmeans, atque apud reliquas gentes fornicans. Quod si vales, sumas licet citharam tuam, non ut meretricio, sed ut prudenti more, instrumento utaris tuo. Multum cithara lude, et multum cane, ac preces supplicationesque ad Deum emitte: sic enim erit tui memoria apud Deum si modulationibus cantici, et si sensibus ejus citharæ instar, prudenter utaris, temperanter vivens, ac Deo placitum cantum edens. Sic erit memoria tui, Deo te recordatione sua dignante.

« Et erit post annos septuaginta, visitabit Deus Tyrum, » et rursum restituetur in pristinum, et erit emporium » omnibus regnis orbis super faciem terræ[2]. » Supradicto elapso tempore, visitationem ejus nancisceris, ac restitueris in statum pristinum; ita ut rursum penes te emporium constituatur, ac gentes undequaque festinanter affluant, et merces suas ad te deferant: « Et erit ejus negotiatio et » merces sancta Domino[3]. » Quod certe nostro tempore completum cernimus. Nam cum Ecclesia Dei in urbe Tyriorum, perinde atque in reliquis gentibus fundata sit, multæ ex ejus mercibus negotiatione partis Domino consecrantur, Ecclesiæ ejus oblatæ: quæ cum pietate a præ-

[1] Isa., XXIII, 12, 13, 14, 15 et 16. — [2] Ib., 17. — [3] Ib., 18.

dentibus offeruntur. « Non ipsis congregabitur; sed iis, » qui habitant coram Domino. Omnis negotiatio ejus, ut » edat, et bibat, et satietur, et in symbolam, monumen- » tum coram Domino; » videlicet ministris altaris : sic enim præcepit Dominus iis, qui Evangelium annuntiant, ut ex Evangelio vivant; et ut ii, qui altari astant, in portionem altaris admittantur. His ergo ipsis, utpote sacerdotibus Dei, habitantibus in conspectu Domini, primitias offerentes memorati homines, re ipsa et opere implent prophetiam quæ ait,» et erit emporium ipsis, et merces ipsis, » et cætera.

CAPUT XXIV.

« Ecce Dominus corrumpet totum orbem, et vastabit » eum, et revelabit faciem ejus [1]. Quia enim « Domini est » terra et plenitudo ejus [2]; tamquam qui hominum omnium curam gerat, orbi terrarum explicat ea quæ ad Dei judicium pertinent, de universis hominibus habendum, qua die judicabit Deus occulta hominum, « et disperget eos » qui habitant in ipso. » Sive secundum Aquilam et Theodotionem, « dissipat alios alibi, » pro ratione operum cujusque : nam multæ mansiones apud patrem, magnusque et vastus est Dei mundus, ut possit illas omnes continere animas, quæ a sæculo in terra versatæ sunt ; impiis infernum et subterraneum domicilium, tenebrosos scilicet et occultos recessus nactis, secundum illud, « introïbunt in

[1] Isa., XXIII, 1. — [2] Psal. XXIII, 2.

» inferiora terræ : tradentur in manus gladii, partes vul-» pium erunt[1]; » piis vero raptis in nubibus obviam Domino in aera, et sic semper cum Domino futuris.

« Et erit populus tamquam sacerdos, et servus tamquam » dominus, et famula tamquam domina. Erit qui emit tam-» quam qui vendit, qui fænori dat tamquam qui accipit, » qui debet tamquam is cui debet[2]. » Prophetico more resurrectionis mortuorum modum significat. Cum autem revelata fuerint ea, quæ in terra condita, corpora, qui judicandi sunt ante tribunal magni judicis ex æquo omnes sistentur; ita ut qui olim in mortali vita aliquid plus aliis habere videbantur, sive dignitate, sive genere, sive divitiis, nihil differant a pauperioribus. Omnes enim æqualiter tribunali Christi sistentur, perinde ut sacerdos, ita et populus, et perinde alii omnes, quia non est personarum acceptio apud Deum. Quamobrem apud Job dictum est : « Parvus et magnus illic sunt, et famulus non metuens do-» minum suum. »

« Corruptione corrumpetur terra, et direptione diripie-» tur terra : os enim Domini dixit hæc. Luxit terra et cor-» ruptus est orbis : luxerunt excelsi terræ[3]. » Nam prolata per Prophetam a Deo sententia, hæc contingent iis, qui pejorem sortem nacti fuerint : quos terreni sensus causa terram vocat. Quemadmodum enim olim Adæ dictum est, « terra » es, et in terram reverteris[4]; » sic et iis qui tempore divini judicii, voluptarii et corporis amantes, ac proinde terreni et carnales deprehensi fuerint, corruptionis supplicium comminatur. Quæ autem sit terra lugens et quis orbis corruptus, in sequentibus declarat, « luxerunt excelsi » terræ : » hos quippe maxime ira Dei invadet, quoniam » superbis resistit, humilibus autem dat gratiam[5]. Terra

[1] Psal. LXII, 11. — [2] Isa. XXIV, 2. — [3] Id., 3 et 4. — [4] Gen. III, 19.
[5] Jacob. IV, 6.

» egit impie propter habitatores suos : quia prævaricati sunt » legem Domini, et dissipaverunt et mutaverunt præcepta » testamentum æternum.[1] » Omnes quippe homines qui a sæculo orbem incoluerunt, Græci simul et Barbari, naturali accepta lege, et præcepta Dei in animabus suis insculpta habentes, atque testamentum a sæculo in communi cogitandi modo complectentes; postea ubi se peccatis contra naturam dediderunt, naturalis legis transgressores effecti sunt. Quamobrem jure ad tribunal Dei sistentur, in judicio transgressionis suæ rationem daturi.

« Propter hoc maledictio vorabit terram, quoniam pec» caverunt qui incolunt eam. Ideo pauperes erunt habita» tores terræ, et relinquentur homines pauci. Lugebit vi» num, lugebit vinea: ingemiscent omnes qui lætabantur » animo. Cessavit gaudium tympanorum, cessavit vox ci» tharæ. Erubuerunt, non biberunt vinum: amara facta » est sicera bibentibus: desolata est omnis civitas; claudet » domum ne pateat ingressus[2]. » Quemadmodum in principio creationis, nondum exsistente peccato, benedixit Deus hominem, sic et in consummatione sæculorum. Neque enim omnes in præsenti vita versantes ingemituros ait; sed tantum eos, qui in lata et spatiosa via incesserunt, qui compotatione et luxu sua omnia dilapidarunt, qui non ultra voluptatibus fruuntur; sed de turpibus ac nefariis gestis suis convicti, pudore suffunduntur. Plerumque autem Theologus vinum memorans, hominum voluptatem subindicavit, sive mercedem malitiæ, atque animæ veternum, qui cogitationum rectarum et naturalium rationem evertit. Qua ebrietate quasi evigilantes qui tunc supplicio afficientur, voces et clamores lugubres effundent.

« Ululate pro vino ubique: cessavit omnis lætitia, dis» cessit omnis lætitia terræ. Et relinquentur urbes desertæ,

[1] Isa., XXIV, 5. — [2] Ib., 6, 7, 8, 9 et 10.

» et domus derelictæ peribunt. Hæc omnia erunt in terra, » in medio gentium. Quemadmodum si quis excutiat olivam, » sic excutient ipsos : et si quiescat vindemia[1]. » Ita ut nullus impiorum residuus sit; sed ad unum usque omnes judicium Dei subeant. Quemadmodum enim qui olivæ fructum colligunt, perticis solent olivæ grana excutere ac dejicere usque ad unum, sic ubi derelinquatur ; ac quemadmodum post vindemiam, revertentes quidam parvos acinos et uvas residuas colligunt; ita et impios colligent usque ad unum, ita ut judicium Dei nemo subterfugiat. « Hi clamore vociferabuntur[2], » Quinam hi, nisi qui superioris ordinis sunt? isti porro fuerint, qui ea, quæ apud Deum est magnificentia, dignati sunt. « Qui autem relicti fuerint » super terram, lætabuntur cum gloria Domini : conturbabitur aqua maris. » Qui autem ex portione Dei erunt, lætabuntur cum gloria Domini : tunc enim ipse Dominus veniet in gloria Patris sui cum potestate et majestate grandi. In hac ergo Domini sui gloria lætabuntur, qui olim in ipsum speraverunt. Pro illo autem, « conturbabitur » aqua maris. » sic Theodotio interpretatus est, « sonuerunt aquæ maris, » vitæ illius magnitudinem significans, qua fruentur ii qui Dominum suum gloria afficiunt : vox enim eorum sonitui maris comparabitur.

« Propterea gloria Domini in insulis maris erit[3]. » In Ecclesiis videlicet quæ olim inter incredulas gentes, quasi in medio mari, inclusæ erant, in queis gloria Domini tunc effulgebit. « Nomen Domini gloriosum erit. » Domine Deus Israël, ab alis terræ prodigia audivimus : spes pio. » Secundum Symmachum vero et Theodotionem, « ab alis terræ psalmos audivimus; » secundum Aquilam, » melodias. Nam » qui ex portione Dei sunt, justum ejus judicium admirantes, lætantur cum gloria Domini.

[1] Isa., XXIV, 11, 12 et 13. — [2] Ib., 14. — [3] Ib. 15

ac læti hymnos ipsi atque psalmodias in gratiarum actionem emittunt. Postea infert, « spes pio. » Cum enim comminationem impiis intentatam præteriisset, sub hæc de portione Dei subjungit, « Lætabuntur cum gloria Domini; et, » gloria Domini in insulis erit : » ac postquam justum Dei judicium enuntiaverat, consequenter adjecit illud, spes pio : nam omni justo pioque viro bona salutis reposita spes est.

« Et dicent, væ prævaricatoribus, qui prævaricantur » legem : « secundum Aquilam dicitur, « o, væ mihi, prævaricantes; prævaricatus es. » Viden, quo pacto Dei homines de pereuntium casu dolebant et angebantur, nempe ex humanitatis affectu; ita ut in seipsos miseriæ planctum converterent, ac dicerent, o, væ mihi pro prævaricatione transgressorum. « Timor et fovea, et laqueus super vos, qui » habitatis terram. Et erit qui fugerit timorem, cadet in fo» veam : qui autem exierit de fovea, laqueo capietur; quia » fenestræ de cœlo apertæ sunt, et concutientur funda» menta terræ[1]. » Dei inspectionem, et ejus virtutem subindicat, qua omnibus providet, et omnia speculatur quasi ex fenestris cœli universa respiciens. Quæ quidem fenestræ tunc claudi videntur, cum Deus in terra peccatores circumlustrat, nec tamen ipsos castigat : tunc enim ceu aversus nihil peccantes inspicere videtur. Cum autem peccantes ulcisci decrevit, tunc fenestræ cœli apertæ videntur.

« Turbatione turbabitur, et angustiis angustiabitur » terra : inclinavit et movebitur sicut tugurium terra, si» cut ebrius et crapulatus[2]. » Hæc porro omnia patietur terra; sic vocatis illis ejus olim habitatoribus, quos hæc perpessuros ait, ita ut ex malorum vi et gravitate, ebriis et crapulatis similes sint. « Et cadet poterit resurgere : nam » prævaluit in ea iniquitas. Et erit in die illa, inducet Deus » in ornatum cœli manum[3]. » Siquidem semel in fine hu-

[1] Isa., XXIV, 17 et 18. — [2] Ib., 19 et 20. — [3] Id., 21.

manæ vitæ lapsa terra, sive carne terrestri et anima corporis amante; tum ii, qui olim terram incolebant, ressurrectionem postea consequentur, ut sistantur tribunali Christi, et unusquisque referat secundum ea quæ corpore perpetravit, sive bonum sive malum. Cum autem lato judicio a bona spe exciderint, et suppliciis olim prænuntiatis traditi fuerint, tunc à Deo lapsi, non ultra resurgere poterunt. Queis universi consummationem declaravit, qua cœlum et terra transibunt. Ornatum vero cœli solet Moyses appellare solem, lunam, et stellas. « Inducet Deus in ornatum cœli manum; » nempe memorato judicii Dei tempore.

« Et in reges terra, et congregabunt congregationem ejus in carcerem, et occludent in munitionem; per multas generationes visitatio erit eorum[1]. » Videtur mihi per reges terræ, principes ejus sæculi significare; sic enim Danieli declarabat Gabriel, dum oracula ipsi ederet his verbis, « et venit in occursum meum princeps regni Medorum. » Postquam invisibiles hujusmodi gentium reges hic memoravit, ipsos manu Dei congregandos ait, atque in carcerem conjiciendos, et occludendos in munitione. Nam cum futurum esset ut regnum Dei tunc temporis resplenderet, ac novum sæculum, principatus, potestates, et rectores mundi tenebrarum, ac spiritualia nequitiæ superaret, consequens erat ut in lacum quem foderant conjicerentur. Lacum enim impius omnis aperuit et effodit eum, et cadet in foveam quam fecit.

« Et tabescet later, et cadet murus: quia regnabit Dominus ex Sion et ex Jerusalem, et coram senioribus glorificabitur[2]. » Par quippe erat nos in sermone de consummatione, etiam illa ediscere, quæ ad cæleste nobisque prædicatum Salvatoris nostri regnum spectabant, quod

[1] Isa., XIV, 22. — [2] Ibid, 23.

post principatuum et potestatum eversionem futurum est. Sion autem et Jerusalem, cælestia esse loca jam plerumque ex apostolico testimonio docuimus, ubi Christi regnum consistet.

CAPUT XXV.

—

« Dominus Deus noster glorificabo te, laudabo nomen » tuum, quoniam fecisti admirabiles res, consilium antiquum, verum : fiat Domine[1]. » Hæc autem ait quasi festinans et concupiscens bonorum finem celeriter adesse. Qui porro se habuerit antiquum hoc consilium intelligemus, si Salvatoris nostri voci attendamus, quæ ad dexteram positis ait, « Venite benedicti patris mei, hæreditate accipite paratum vobis regnum a constitutione mundi[2]. » Atque hinc sumpta occasione Apostolus scribit, « Sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut » essemus sancti et immaculati in conspectu ejus in charitate : qui prædestinavit nos in adoptionem filiorum sibi » ipsi[3] ». Antiquum ego consilium illud erat. Et revera hæ ipsæ erant res admirabiles a me prævisæ ante constitutionem mundi, quæ in consummatione sæculorum implendæ sunt. Igitur antiquum illud consilium erat propter præscientiam et prædestinationem Dei, verum autem, propter finis exitum.

« Quia posuisti civitates in tumulum, civitates fortes,

[1] Isa., xxv, 1. — [2] Matth., xxv, 34. — [3] Ephes. 1, 4.

» ut caderent fundamenta earum. Impiorum civitas in sæ-» culum non ædificabitur. Propterea benedicet tibi po-» pulus pauper, et civitates virorum injuriam sustinentium » benedicent tibi[1]. » Et in his quoque, ait, celebrabo te, quia impiorum urbes evertisti, earum impia instituta delens, impiaque domicilia evertens. Qui autem ex iis evaserint, ii benedicent tibi: sive secundum reliquos interpretes, « glorificabunt te. » Hi vero sunt populus ille qui in priori sæculo propter te pauper effectus est, et urbes eorum, qui olim injuria sunt affecti, quibus injuriam inferebant piæ religionis adversarii. Hi benedicent tibi in Ecclesia tua in variis vitæ institutis versantes, ac jure merito benedicent.

« Fuisti enim omni civitati humili adjutor, et tristibus » propter inopiam, protectio : ab hominibus malis liberabis » eos : umbraculum sitientium, et spiritus hominum inju-» riam patientium : benedicent tibi, quasi homines sitien-» tes in Sion, quia liberabis eos ab hominibus impiis, qui-» bus nos tradidisti[2]. » Cum autem essent afflicti mœstique atque omnis voluptatis expertes, in medio improborum versantes, tu ipsis adjutor et tegumentum eras : imo etiam illis tunc sitientibus, ac dicentibus, « Sitivit anima mea ad » Deum fortem et viventem », tu item fons eras, qui eos sancti Spiritus alveo refrigerabas atque potabas, ac eos animo deficientes recreabas, ipsaque virtute unigeniti Verbi tui confortabas. Ne vero hæc de se dicta fuisse suspicarentur Judæi, effusam in omnes gentes Christi gratiam necessario adjicit his verbis : « Et faciet Dominus Sabaoth » omnibus gentibus in monte hoc[3] ». Quid vero faciet? Secundum reliquos quidem interpretes, « Potum, » dicitur ; secundum autem LXX, « Bibent, » inquit, « lætitiam, » bibent vinum. » Convivium ergo non Israeli, neque Ju-

[1] Isa., XXV, 2. — [2] Id., 4 et 5. — [3] Id., 6.

daïco populo, sed omnibus gentibus paratum esse Dominum vaticinatur, non in convallibus, non in planitie, sed neque multis in montibus, neque in alio quovis monte; sed in illo quem explicans dicebat, « quoniam regnabit » Dominus in montibus, et in conspectu seniorum suorum » glorificabitur ». Nam in monte regni sui, in quo gloriam » senioribus suis præbebit, ac gentibus convivium apparabit, immortalitatis potum ipsis elargietur. Hunc vero montem explicat Apostolus dicens, « Accessistis ad Sion » montem, et civitatem Dei viventis, Jerusalem cœlestem, » et multorum millium Angelorum frequentiam, et eccle» siam primitivorum, qui descripti sunt in cœlis[1]. » Hoc igitur in loco constituti, non Israël, sed quotquot ex gentibus omnibus promissionibus dignati sunt, bibent lætitiam, bibent item illud ex vera vite expressum vinum, de quo Salvator ait, « non utique bibam illud, donec bibam illud novum vobiscum in regno cœlorum[2].

« Ungentur ungento in monte hoc. Trade omnia hæ gen» tibus: consilium enim hoc super omnes gentes[3]. » Horum porro imagines, et symbola in mysteriis novi Testamenti per mysticum chrisma et salutarem sanguinem nobis tradidit Evangelicus sermo; ut in his probati, etiam meliorum participes simus : etenim Israël his dignus non est. Quemadmodum autem quis depositum cum mensura tradit, sic, inquit, mysticum de prædictis rebus sermonem trade omnibus gentibus : nam hoc consilium super omnes gentes est. « Absorpsit mors prævalens, et rursus abstulit Deus » omnem lacrymam ab omni vultu, opprobrium populi » abstulit ab universa terra : os enim Domini locutum est[4] ». Tum igitur, cum sancti una cum Filio Dei regnabunt, ipsa mors, quæ olim deglutiebat eos, omnino absorbebitur. Pro illa autem, erit unctio qua inungentur omnes gentes.

[1] Heb., XII, 22. — [2] Matth. XXVI, 29. — [3] Isa., XXV, 7. — [4] Id., 8.

Etenim uncti illo unguento, non ultra morti erunt obnoxii; sed immortalitatis et æternæ vitæ consortes, mortem imbecillam et quasi mortuam reddent. Attamen clemens ille hominum Servator, ereptis a morte, atque a supertitioso et diabolico numinum errore liberatis, animabus hominum, abstulit omnem lacrymam ab omni vultu. Opprobrium autem populi ex gentibus erat idolatria penes illos obtinens: quod opprobrium et lacrymas inde consequentes abstulit Deus iis, qui ob humanum affectum animarum hujusmodi perniciem lugebant. Sane opprobrium non modicum erat iis, qui ad imaginem Dei conditi erant, quod a vita æterna laberentur, ac morti subjicerentur. Sed opprobrium auferetur, deleta morte, tenebrisque sublatis. Christi autem regno in æterna vita fulgente, illo fruentur ii ex gentibus, qui a pristinis quidem malis erepti sunt, et qui promissis Dei donabuntur.

« Et dicent in illa die, ecce Deus noster, in quo sperabamus, et salvabit nos. Iste Dominus sustinuimus eum, et exultabamus et lætabimur in salute nostra. Requiem dabit Deus super montem hunc.[1] » Absorpta morte resurrectionis tempore, novi sæculi filii in illa die gratiarum actionis canticum canent, videnten in gloria Servatorem suum, et dicent, « Ecce Deus noster in quo sperabamus. » Olim namque ipsum in ipse habebamus, doctrinæ ipsum annuntianti fidem habentes : jam vero ipsis occulis videmus eum, quare jamdiu sustinebamus ingruentia nobis mala. Et illi quidem hæc dicturi sunt; ille vero requiem ipsis dabit memorato regni sui monte.

« Et coculcabitur Moabitis, quomodo calcant aream plaustris. Et remittet manus suas, sicut et ipse humiliavit, ut perderet. Et deprimet injuriam ejus, in quæ manus injecit, et altitudinem refugii muri humiliabit : et descen-

[1] Isa., xxv, 9 et 10.

» det usque ad pavimentum[1]. » Arbitror hic Moab vocari malignum dæmonem, et adversariam virtutem, quæ olim apud Moabitas ut Deus colebatur; quæ quia altum sapiebat, contra Deum Israël superbiens, sibique subditam gentem depravans, ut etiam tempore Mosis, talia auderet, ac populum ad fornicationem, et ad initiationem Beelphegor deduceret. Erat porro illud Moabitarum idolum : idcirco hæc quæ jam tractamus, quasi de gravi quadam et Deo inimica virtute prænuntiantur.

CAPUT XXVI.

« In die illa cantabunt canticum hoc in terra Juda, dicentes[2]. » Post quam diem, ubi Salvator noster in cœlesti monte regnum suum acceperit, qui promissis digni erunt, tunc cœleste canticum emittent, in cœlesti Jerusalem constituti, quam in præsenti Judæam sermo nuncupat, habita regionis in qua terrena Jerusalem sita est ratione. Ita enim et Judæis qui audiebant, alacritatem et incitamentum ad rerum propositarum spem indidit; atque simul veram Judæam declaravit, namque cælestis Jerosolimæ regionem, ingentem ejus latitudinem hoc pacto significans; ut locus quidem Judæa esse intelligeretur; religiosa autem conversatio, quam ibidem servant divini et evangelici spiritus, pro Dei civitate haberetur. Quo in loco constituti ii,

[1] Isa., XXV, 11 et 12. — [2] Id., XXVI, 1.

qui in prophetia indicantur, subsequens canticum in die illa cantabunt.

« Ecce civitas munita, et salutare nobis ponet murum » et circummurale. » Siquidem infima illa et terrena civitas, munita et firma non erat, utpote quæ plerumque ab inimicis capta fuerit : hæc autem vere civitas Dei munita est, et hoc est salutare nostrum; secundum Symmachum autem, « Dicent canentes canticum, civitatem fortem habemus; » et secundum eumdem Symmachum, « civitas imperii, no- » bis salutare; » Hebraïca vero lectio pro illo, *salutare*, nomen Jesu proprie et clare circumfert : ipsissimis quippe litteris Salvator noster Hebraïce scribitur. Ipse itaque Salvator noster, beatorum civitas est; ipse murus eorum et antemurale. « Aperite portas, ingrediatur populus custo- » diens justitiam, et custodiens veritatem[1]. » Nemine quippe jam obsistente, obice ac impedimento vacua liberaque ipsis via fuit. Cujus rei causa est justum Dei judicium. « Patro- » cinans veritati, et custodiens pacem, quia in te speravi- » mus Domine usque in sæculum. Deus magnus, æternus, » qui postquam humiliasti, eduxisti habitantes in excelsis, » civitates munitas evertes et dejicies usque ad pavimen- » tum[2]. » Hæc quippe digna sunt illa apud te recondita spe, hæc dico tibi concupiscentia animæ meæ. Tu enim, Domine, concupiscentia mea es, ac divinus amor animæ meæ. Quare anima mea desideravit te, ipsa quippe nominis tui memoria animam nostram in excessum rapit, et ad tui amorem inflammat.

« Et conculcabunt eas pedes mansuetorum, et humilium » vestigia. Via piorum recta facta est, et præparata via jus- » torum. Via enim Domini judicium. Speravimus in nomine » tuo, et in memoria quam desiderat anima nostra. De nocte » vigilat spiritus meus ad te, Deus ; quia lux præcepta tua

[1] Isa., XXVI, 2. — [2] Id., 3, 4 et 5.

» super terram[1]. » Neque enim noctis tempore dormire possumus, sed tunc etiam vigilantes spiritu, te concupiscentiam nostram in mente tenemus. Sic igitur nobis ipse noctes tanquam dies illustrantur; quoniam præcepta tua et sermones tui nobis adhuc in terra versantibus, et die et nocte lucis instar data sunt. Hæc ex affectus vehementia locutus Propheta Deum compellans, ad nos pertransit, monetque ut eadem, qua ipse via incedamus. « Justitiam » discite qui habitatis terram. Cessavit enim impius : omnis » qui non didicerit justitiam in terra, veritatatem non faciet. » Tollatur impius, ut non videat gloriam Domini. Domine » excelsum brachium tuum, et non cognoverunt : scientes » autem erubescent[2].» Impii enim, abjecti cum sint, ac procul cognitione Dei positi, in tenebris ejus ignorantiæ volutabantur : verum adveniente illa universali cognitione, videntes brachium illud excelsum, ii, qui olim eum quasi non existentem blasphemis dictis incessebant, pudore affecti insaniæ finem facient.

« Zelus apprehendet populum ineruditum ». Subindicat eos ex circumcisione, qui gratiam Christi non amplexi sunt; « Et jam ignis adversarios devorat, utpote qui sententiæ subjiciendi sint dicenti, « Discedite in ignem æter» num præparatum diabolo et angelis ejus[3]. Quia lucem non acceperunt, igni ac tenebris tradentur. « Domine » Deus noster pacem da nobis : omnia enim dedisti nobis. » Domine Deus noster posside nos : Domine extra te alium » non novimus : nomen tuum invocamus[4]. Alia quippe omnia abs te data optima sunt : sed omnium donorum maximum est, pax illa quæ abs te proficiscetur, et quam nobiscum habemus, ut sine tumultu et mutatione degamus, animaque nostra tibi semper vacans servetur. Id au-

[1] Isa., XXVI, 6, 7, 8 et 9. — [2] Ib., 10 et 11. — [3] Matth., XXV, 41. — [4] Isa., XXVI, 11, 12 et 13.

tem eveniet, si nos ipse in propriam tibi possessionem habere digneris; quia nos non alium novimus præter te, et in solo nomine tuo confidimus. Cum igitur in vita nostra non alium quam te possiderimus, jure rogamus, ut tuæ portionis et sortis esse mereamur.

« Mortui autem vitam non videbunt, neque medici su» scitabunt. Ideo abduxisti, et perdidisti, et sustulisti » omne masculum eorum [1].» Nos quidem, ait, tui sumus, Domine, et tu nostra possessio es: qui vero sese peccatis ad mortem dediderunt, ideo animabus mortui sunt: nam « anima quæ peccaverit, ipsa morietur. » Promissam vero sanctis æternam vitam non videbunt, neque medici undecumque accedant judicii tempore, poterunt ipsis opem ad salutem conferre, neque eos ab exitio suscitare. Si quidem quos tu, magne, terribilis et juste Judex, perniciei tradidisti, quis medicus servare poterit?

« Ideo abduxisti et perdidisti, et sustulisti omne mas» culum eorum. » Pro illo autem, « et sustulisti omne masculum eorum, » Symmachus, « Omnem memoriam » eorum »; Aquila vero et Theodotio, « Omne memoriale » eorum », interpretati sunt. Par erat enim memorato judicii tempore, omnem nequitiæ memoriam de medio tolli. Quod si dicamus, « omne masculum eorum »; magnam sermo præfert humanitatem; quasi scilicet non ipsi peccatores delendi ac funditus perdendi sint; sed eorum fœtus, quos eorum anima peperit, malæ videlicet cogitationes, de medio tollendæ sint.

« Adde eis mala, Domine, adde mala gloriosis terræ. » Domine in tribulatione recordati sumus tui: in tribula» tione parva disciplina tua nobis [2]. » Quoniam universalis judicii locum contemplatur Propheta, ceu judicio præsens, ac tribunali Dei adstans, pro conditione rerum quas videt,

[1] Isa., XXVI, 14. — [2] Id., 15 et 16.

modo confitetur, modo precatur, modo gratias agit, mox dignis a Deo pro merito dandas retributiones enarrat. Hæc porro omnia nobis per Scripturam suam offert, ut instituamur edocti omnia quæ ipse ex divini Spiritus illustratione noverat. Et nunc, inquit, Domine, cum tempus adesset, in angusta et arcta vita incidentes, pro pietate concertabamus : verum in afflictione illa, nequaquam eramus tui immemores, sed recordatione tui corroborati patienter ferebamus; ita ut diceremus, « Tribulationem pa» tientes, sed non angustiati; persecutionem ferentes, sed » non derelicti; defecti, sed non perditi.[1] » Hac ergo calamitate erudimur, scientes quia quem diligit Deus, castigat.

« Et sicut parturiens appropinquat ad partum, et in do» lore suo clamat; sic facti sumus dilecto tuo. Propter timo» rem tuum, Domine, in utero accepimus, et parturivimus, et » peperimus spiritum salutis tuæ, quem fecimus in terra. Non » cademus, sed cadent omnes habitatores terræ [2]. » Quare omnem laborem sustinentes, similes eramus mulieri parturienti, et clamorem emittenti, quia id, quod in ventre movetur, in lucem enixura est, ita et nos respectu dilecti tui fuimus: nam unigenitum Verbum tuum intus in anima habentes, necnon insitum abs te nobis divinum timorem, ac perseveranter ferentes, non spe lapsi sumus; sed peperimus spiritum salutis. Nam finis ille dilecti tui et timoris ejus partus, spiritus nostri salus erat; quem spiritum ut edidimus, omnibus orbem incolentibus hominibus notum fecimus; ut et ipsi hinc edocti, ex æmulatione parturiendi a timore tuo, et pariendi eumdem spiritum, utilitatem percipiant. Etenim qui hunc salutis Spiritum non conceperint, neque pepererint, cum alioquin steriles et infructuosi sint, a spe in te reposita excident: qui autem ex portione tua sunt, quique propter te ærumnarum genus omne

[1] II Cor., IV, 9. — [2] Isa., XXVI, 17 et 18.

tolerant, etiamsi usque ad mortem contra peccatum concertaverint, a vita, quæ apud te est, nequaquam labentur.

« Resurgent mortui, et excitabuntur qui sunt in monu» mentis, et lætabuntur qui sunt in terra : ros enim, qui a » te est, medela ipsis est : terra autem impiorum cadet[1]. » Resurgent quippe mortui; sive secundum Aquilam, « vi» vent qui mortui fuerant tui; » sive secundum Symmachum et Theodotionem, « vivent mortui tui. » Mortui autem ejus quinam fuerint, nisi sancti ejus martyres, qui alii a prædictis mortuis sunt, de quibus dictum fuerat, « Mortui au» tem, vitam non videbunt, neque medici suscitabunt? » Sed illi quidem mortui erant, qui ad mortem peccaverant. Mortui autem Domini sunt ii, qui propter eum omnem calamitatem ad mortem usque sunt perpessi. Pro illo autem, « excitabuntur, » reliqui interpretantur, ac si dormiant, ac non mortui suit. Quamobrem sanctorum mors, somnus appellatur. Consequenter autem ad somnum, resurrectio, experrectio esse dicatur. Quamobrem secundum reliquos interpretes, experrecturos esse qui in monumentis sunt primo dicitur; secundo autem lætabuntur; sive, « laudabunt, » ut Aquila; sive, « jubilabunt, » ut Theodotio vertit. Ros autem in terram delapsus, sensim placideque injecta ibi semina enutrit et accrescere facit : eodemque modo ros abs te prodiens, medelam, vitam et salutem mortuis afferet tuis, quorum corpora variis temporibus in terram velut semina jacta fuerint. Neque porro aberraveris, si dicas ipsum unigenitum Dei Verbum rorem esse, quod guttulas suas mortuis suis instillare faciens, una remedium peccatis, si quid ab illis humanitus peccatum, ac resurrectionem, salutem et vitam sempiternam ipsis conferet. At res impiorum non eodem modo se habent.

« Vade populus meus : intra in cubicula tua[2]; » ne curio-

[1] Isa., XXVI, 19. — [2] Id., 20.

sius inquiras ea, quæ procul cubiculis tuis versantur. « Claude ostium tuum : abscondere paululum quantulum-» cumque, donec pertranseat ira Domini. » Post allatam de resurrectione mortuorum doctrinam, sanctos Dei, qui antea circum steterant, eodem in loco coactos post resurrectionem videns propheticus spiritus; deinde vero alia ex parte imminentem impiis iram conspicatus, sanctorum cœtum ad modicum tempus sedere ac procul sese occultare monet; ne sint impiorum perniciei spectatores. Cubicula vero populi Dei, intelligas esse multas apud Patrem mansiones, justo Dei judicio singulis ordinibus destinatas. In hæc igitur, popule mi, parata tibi cubicula ingredere, et claude ostium tuum.

« Ecce enim Dominus de sancto inducit iram super ha-» bitatores terræ[2]. » Postquam autem illa pertransierit, reseratis demum cubiculi tui januis, potestate et fiducia multa instructus prodi, novum sæculum conspecturus, necnon promissum tibi regnum Dei. « Et revelabit terra » sanguinem suum, et non abscondet interfectos; » ita ut nemo lateat eorum, qui olim in ea secundum animam ob peccata ad mortem interfecti fuere : hac enim de causa iram inducturus suam Deus dicitur. Hic scilicet ira vocantur Angeli inferendæ ultioni ministrantes. His porro significat Sanctorum Dei necem et Martyrum sanguinem : de quibus hæc in magno Cantico scribit Moyses, « Quia san-» guinem filiorum suorum ulciscetur et vindicabit, et ul-» tionem retribuet inimicis, et odientibus se retribuet[3]. »

[1] Isa., XXVI, 20. — [2] Id., 21. — [3] Deut., XXXII, 43.

CAPUT XXVII.

—

« In die illa inducet Deus gladium sanctum magnum et » validum super draconem, serpentem fugientem, super » draconem serpentem tortuosum, et occidet draconem [1]. » Virga itaque Dei, recta cum sit, et castigationi apta, secundum illud, « Virga rectitudinis, virga regni tui [2], » iis qui in rebus medelam admittentibus peccarunt, servatur ad ipsorum castigationem, emendationem et ad utilitatem prolata. Qui autem nihil rectum, æquumque nihil habet, sed omnino deflexus et tortuosus est, ac pectore ventreque humi reptat, omniumque pedibus ad supplantationem et dejectionem insidias molitur, post impios omnes, gravi magno validoque gladio tradetur, quem ipsi soli magnus ille judex reconditum et paratum habuit. Gladium hic vocat ultionis effectum; quem item sanctum dicit, cum ut minarum terrorem leniat, tum ut ostendat eos qui supplicio afficientur, non ad exitium vertendos, sed castigationem ipsis sanctitatis causam futuram esse. At enim Deus dum castigat, non perdere, sed eos qui convertuntur emundare et sanctificare peroptat.

« In illa die vinea pulchra : desiderium canendi contra » illam. Ego civitas munita, civitas obsessa, fustra potum » dabo illi : capietur enim noctu, die autem cadet murus » ejus. Non est quæ non apprehenderit eam. Quis ponet » me custodem culmi in agro? propter inimicam hanc re-

[1] Isa., XXVII, 1. — [2] Psal. XLIV, 7.

» puli eam. Ideo fecit Dominus omnia quæ disposuit. Com» busta sum[1]. » Hæc porro est dicti sententia : Num malum pro malo gentibus reddiderunt, qui pacem illis prædicabant? Hi enim insequebantur eos, plagis etiam additis; illi vero pulcherrima ipsis, pacem scilicet, annuntiabant. Num igitur paria patiebantur gentiles illi, dum pacis pre cones injuriis afficerent? Verberabant enim nec vicissim vapulabant; occidebant nec occidebantur : pugnantes autem et opprobria inferentes, ipsos divexabant atque pellebant : illi vero non cessantes, pacem ipsis et bona nuntiabant. Quare subdit : « Clamabunt habitatores ejus : Facia» mus pacem cum eo, faciamus pacem : qui veniunt filii » Jacob germinabunt, et florebit Israël : et implebitur terra » fructu ejus. Num sicut ipse percussit, et ipse similiter » percutietur? et sicut ipse occidit, ita occidetur? Pugnans » et exprobrans emittet eos. Nonne tu eras, qui meditaba» ris spiritu duro interficere eos spiritu furoris[2]? » Hæc enim meditabantur illi ex gentibus infideles spiritu duro, contra Apostolos Christi occupati; nihilque aliud cogi tantes, quam quomodo eodem spiritu interficerent eos. Sed quoniam ærumnis hujusmodi affecti illi, « Ex Jacob » germinantes, et ex Israël efflorescentes, » omnia fortiter ferebant propter Christum; ideo subjungit; « Propterea » auferetur iniquitas Jacob, et hæc erit benedictio ejus, » cum abstulero peccatum ejus, quando posuerint omnes » lapides altarium contritos? quasi cinerem minutum : et » non manebunt arbores eorum, et idola eorum excisa, » quasi sylva procul[3]. » Hæc, inquit, in causa erunt remissionis peccatorum Jacob : et eadem de causa, deleto peccato ejus, benedictio super illum veniet. Nam ob filiorum procreationem servabitur, si tamen illi manserint in fide, dilectione et sanctificatione cum temperantia, secundum

[1] Isa., XXVII, 2, 3 et 4. — [2] Ib., 5, 6, 7 et 8. — [3] Ib., 9.

Apostolum: ac consequens est Jacobum filios germinantem, et in copiosum fructum efflorescentem, ob filiorum virtutem in partem benedictionis venire. Indicatur autem multos per Apostolicam gratiam, et per eos qui ipsis carne propinqui sunt, salutem consecuturos esse.

« Habitatum ovile remissum erit; sicut ovile derelic» tum. Et erit multo tempore in pascua, et ibi requiescent » greges[1]. » Quia bonum illum pastorem accipere noluerunt, qui animam suam posuit pro ovibus suis; ideo ager animæ eorum longo tempore in pabulum erit[2]; ita ut in ipsis impleatur hoc dictum, « Exterminavit eam aper de » sylva, et singularis ferus depastus est eam. Et post tem» pus non erit in ea omne viride, eo quod exsiccata sit[3]. » Illic, ait, requiescent greges, ii videlicet qui ipsam depascunt et exterminant. In tantam porro vastitatem deveniet, ut floridum nihil in illa supersit: quare dicitur, « Et non » erit in illa viride. Mulieres venientes à spectaculo, ades» te: non enim est populus qui habeat intelligentiam. » Mulieres evocat, ac si inter eos viri non reperiantur salute digni. Quamobrem mulieros maturare jubet, et accedere ad testimonium de mirabilibus et prodigiosis operibus ferendum, ut accedentes illæ populum in tenebris sedentem, et eorum urbem derelictam illustrent. Quare secundum Aquilam dicitur, « Mulieres venientes illuminant » eam: » Secundum Symmachum vero, « Mulieres venien» tes et indicantes eam. » Eam vero, quam, nisi supra memoratam civitatem? de qua dictum est, « Civitas enim » munita sola pulchra, et dimittitur et deseritur tanquam » solitudo. » Hæc autem secundum litteram et historiam impleta sunt in Servatoris nostri resurrectione, quo tempore, secundum Matthæum, « Erant ibi mulieres multæ a » longe respicientes, quæ secutæ fuerant eum a Galilæa,

[1] Isa., XXVII, 10. — [2] Psal. LXXIX, 15. — [3] Isa., XXVII, 11

»ministrantes ei : inter quas erat Maria Magdalene, et Maria Jacobi, et Jose mater, et mater filiorum Zebedæi[1]; » Secundum Lucam vero, « Subsecutæ autem »mulieres quædam, quæ cum eo venerant de Galilæa, »etc. [2] »

« Propterea non miserebitur, qui fecit eos, et qui formavit eos non miserebitur. » His significari arbitror bellum Judæis in Palæstinorum gente, post editum contra Christum facinus, illatum. « Et erit in die illa, concludet »Deus a fossa fluminis, usque ad Rhinocoruram. Vos autem congregate sigillatim filios Israël[3]. » Est hoc oppidum ad montem inter Ægyptum et Palæstinam situm. Quapropter secundum reliquos interpretes, intra torrentem Ægypti, dictum est. Queis subindicatur, ut jam dixi, bellum Judæis in Palæstinorum gente positis, inferendum. « Et erit in die illa, clangent tuba magna, et venient qui »perierant in regione Assyriorum, et qui perierant in Ægypto : et adorabunt Dominum super montem sanctum in »Jerusalem[4]. » Expetendum enim est, ut vel unus eorum, vel duo, vel aliquot parvo numero per singulas urbes, aut per singulas gentes salutem obtineant. Hos itaque sigillatim congregate : reliquis vero gentibus tuba magna canet, ac cum clamore loquetur, audientibus universis hominibus, Ægyptiorum nomine idololatras omnes indicat : per Assyrios autem, Israelis inimicos, qui Judæorum regionem obsederunt : nam Evangelicæ illius vere magnæ tubæ prædicatione illis enuntiata, qui apud gentes idololatræ, et olim inimici et hostes Israëliticæ religionis erant, conversi ad Deum accedent; ita ut ii qui quondam idolorum cultu et errore perditi erant, resipiscentes et ad Dei co-

[1] Matth. XXVII, 55. — [2] Luc., XXIII, 55. — [3] Isa., XXVII, 12. — [4] Id., 13.

gnitionem maturantes, salutem per Christum oblatam nanciscantur.

CAPUT XXVIII.

« Væ coronæ contumeliæ, mercenarii Ephraïm[1]. » Hic Pharisæorum, summorum Sacerdotum, et reliquorum Judaïci populi principum consessum subindicat : quos ex diversis ordinibus et dignitatibus in unum coactos, coronæ comparat, non honoris aut gloriæ, sed contumeliæ et dedecoris. Quare ait, « Væ coronæ contumeliæ; » sive secundum reliquos interpretes, « Coronæ superbiæ. » Nam superbi quidam erant, arrogantes et insani, in quorum numero mercenarii Ephraïm computabantur. Judam certe proditorem ex Tribu Ephraïm fuisse fertur : quem ideo mercenarium vocat, quia pactione pecuniæ ad Magistrum prodendum inductus fuerit. « Flos cadens de gloria super » verticem montis pinguis qui ebrii estis absque vino. » Nam gloriæ Apostolici chori particeps, inclinato ad rem pessimam animo, flos gloriæ cadens effectus est. Flos autem et germen paulo ante vocabantur Apostoli Salvatoris, ubi dicebatur, « Filii Jacob germinabunt, et florebit Israël, et » implebitur terra fructus ejus. » Verum his delapsus Propheta, flos gloriæ decidens dictus est. His porro significantur ii, qui aggravata anima sunt, de quibus dictum est,

1 Isa., XXVIII, 1.

« Incrassatum est enim cor populi hujus. » Erant itaque ceu quoddam montis pinguis cacumen, principes populi impinguati, caput videlicet eorum, quibus flos gloriæ decidens conjunctus est : ideo miseros illos prædicat. Pro illo autem, « Super verticem montis pinguis, » Aquila, « Vallis » sordium ; » Symmachus, « Vallis pinguedinum ; » Theodotio, « vallis pinguium » interpretati sunt ; Hebraïca autem lectio, « Gethsemani, » circumfert. Quam vocem audivi quempiam e dilectis nostris, de loco, qui in Evangelio « Gethsemani » dicitur, explicantem, ubi proditor cum illa contumeliæ corona Servatorem adiens, proditionem fecit.

« Ecce forte et durum, furor Domini sicut grando de- » lapsa non habens umbraculum, quæ violenter decidit : » sicut aquæ vis magna trahens regionem : in terra faciet » quietem manibus [1] » Ita, inquit, furor Domini eos, qui ebrii sunt absque vino, invasurus est; ut grandini comparetur in capita virorum tegumento carentia delapsæ : eodem modo furorem Dei memoratis hominibus inferendum prædicit. « Et pedibus conculcabitur corona contumeliæ, mercenarii Ephraïm [2]. » Olim siquidem corona contumeliæ erant, ad inferendam contumeliam instructi : quapropter corona item superbiæ vocabantur; talis autem finis occupaturus eos est, ut conculcentur : et sane conculcati sunt ab inimicis, qui ipsos in servitutem redegerunt ; qui etiam civitatem eorum calcaneis suis obterendam curarunt.

« Et erit flos qui decidit de spe gloriæ, in vertice montis » excelsi ; sicut præmatura ficus ; qui viderit eam, prius- » quam sumat manu, cupiet eam devorare [3]. » Talis erat Judas, qui flos sane fuerat; verum de spe simul et de gloria decidit. Et olim quidem supra montem excelsum erat, de quo in sequentibus Propheta dicit, « Supra montem ex- » celsum ascende, qui evangelizas Sion. » Verum ille talis

[1] Isa., XXVIII, 2. — [2] Ib., 3. — [3] Ib., 4.

evasit, ut præmaturæ ficui compararetur, imperfecto scilicet fructui, specioso quidem ac forma pulchro, sed alias inutili, quia ob imperfectionem nondum esui aptus fructus erat. Quamobrem præmaturum eum conspicatus bonorum invidus ille, festinanter præripuit; ita ut vel antequam illum manu caperet, devorare vellet : et sic vere devoravit, quia prævaluit ipsi.

« In die illa erit Dominus Sabaoth corona spei, quæ » complicata est gloriæ residuo populi. Relinquentur autem » in spiritu judicii in judicium et fortitudinem vetantium » interficere [1]. » Videlicet iis qui a totius populi exitio remanserint : hi autem erant Apostoli et Discipuli Salvatoris : ipsum quippe Dominum coronam spei futurum esse pollicetur. « Hi enim vino scelerate egerunt : erraverunt prop- » ter siceram [2] : » quam reliqui interpretes, « Ebrietatem, » vocaverunt. Ne quis vero putet vinum et ebrietatem in vulgari sensu hic intelligi, cautione superius est usus dicent, « Qui ebrii estis absque vino. » Aliud itaque vinum erat, alia sicera sive ebrietas, quæ ipsos in errorem induxit. « Sacerdos et Propheta mente excesserunt propter » siceram : absorpti sunt propter vinum : titubaverunt ab » ebrietate, erraverunt : hoc est phasma. Maledictio devo- » rabit hoc consilium : hoc enim consilium propter avari- » tiam. [3] » Visum enim vere erat ac phantasma, quod illi omnes et confertim essent affectu, ac consilium grave impiumque iniissent, quod Dei maledictio invasura est. Judas igitur pecuniæ et avaritiæ causa Salvatorem prodidit : reliqui vero quæ ex populo referebant emolumenta vendicantes, ac suspicione permoti, ne Christi verbum ipsos principatu everteret, conspirationem in illum conflarunt : qua de causa dicitur, « Hoc enim consilium propter avaritiam. »

« Cui annuntiavimus mala ? Et cui annuntiavimus nun-

[1] Isa., XXVIII, 5 et 6. — [2] Id., 7. — [3] Id., 8.

»tium? qui avulsi sunt a lacte, qui abstracti sunt ab » ubere [1]. Postquam prophetiam de corona superbiæ, ac de reliquis subjunctis descripserat, rursum ad Apostolicum ordinem transitum facit, cujus ipse Dominus Sabaoth corona spei, et tiara gloriæ esse dicebatur. Hunc porro, videlicet Apostolicum chorum, docet Dominus Sabaoth, ut ad ærumnas sibi propter Christi verbum inferendas se præparent. Quapropter ceu ipsos compellans ait, « Cui annun-»tiavimus mala? Et cui annuntiavimus nuntium? » ac si apertius diceret, Quis alacris et promptus est ad prænuntiata mala subeunda? Mala porro in communi vocat, ærumnas, et cætera, quæ tristia reputantur, labores scilicet, afflictiones pietatis causa susceptas. Vos etenim Apostolos sermo respicit: hæc vobis futura pollicemur. Nam cum infantes essetis, mammarum lacte nutriti, nihil vobis simile imminebat, ob ætatis spiritualiter acceptæ immaturitatem: ac hujusmodi tunc eratis, sub Lege Moysis ceu pædagogo versantes, sive prima piæ doctrinæ institutione quasi lacte refecti; nunc autem cum in perfectiore ætate a pædagogi cura educti, ad perfectiorem magistrum accesseritis, a legali lacte abducti, et a matris, sive Judaïci et corporei cultus, sinu abstracti estis.

« Tribulationem super tribulationem exspecta, spem su-»per spem: adhuc parum, adhuc parum: propter des-»pectum labiorum, per linguam aliam: quia loquentur »populo huic, dicentes ei, Requies esurienti, et hæc est »contritio, et noluerunt audire [2]. » Hæc Apostolico choro dicuntur, et omnibus qui Salutaris Evangelii disciplina instituti sunt. In angustiis autem de salute desperare non oportet, ac si semper vos eodem in statu mansuros exspectetis: quamprimum enim, cessante afflictione, ejus vos præmia excipient, cum victores declarati, corona spei,

[1] Isa., XXVIII, 9. — [2] Id., 10, 11 et 12.

quæ gloriæ complicata est, redimiemini. Quocirca spem supra spem ingerit, non post multum elapsum afflictionis tempus : modicum enim spatii intercedet : quare, ait, « Adhuc modicum ; nam tribulatio patientiam operatur ; » patientia vero, probationem ; probatio spem ; spes autem » non confundit [1]. » Siquidem ii, qui vos ærumnis premunt, comtemptu, risu, convitiis, blasphemis dictis vos incessunt, aliena utentes lingua. Quos ob spem vos quamprimum excepturam, despectui habeatis oportet. « Et erit eis sermo » Dei, tribulatio super tribulationem, spes super spem : » adhuc parum, adhuc parum ; ut abeant retrorsum, et » periclitentur : et conterantur, et capiantur [2]. » His indidantur increduli ex circumcisione, qui audire nolent. Quamobrem ait, Erit ipsis sermo Domini, « tribulatio su- » per tribulationem. » Qui enim afflictionem propter Christum subeundam detrectant, et in augusta arctaque via incedere nolunt, sed in latam et spatiosam abeunt, retrorsum cadent et conterentur, periclitabuntur, et capientur. Hæc quippe omnia illos excipient, quod prædictum sermonem Domini amplecti recusaverint, ac contritionis auctores sibi ipsis fuerint.

« Propterea audite verbum Domini, viri tribulati, et » principes populi hujus, qui est in Jerusalem [3]. » Etenim cum alii derisores viri sint, qui apud Græcos Christi sermonem traducunt, ne quis suspicaretur hæc ad alios spectare, accurate ac necessario adjecit, Principes hujus populi. Quoniam vero extra Jerosolymam per totam Judæam et Galilæam, alii quamplurimi erant populi præfecti, apposite significat ad quos principes et magistratus populi hæc respicerent. « Quia dixistis : Fecimus testamentum cum in- » ferno, et cum morte pacta. Procella irruens si transierit, » non veniet super nos : posuimus mendacium spem nos-

[1] Rom., v, 3. — [2] Isa., XXVIII, 13. — [3] Ib., 14.

» tram, et medacio protegemur [1]. » Quia igitur memorati derisores hæc cogitarunt, hæc inter se collocuti sunt, Christi sermonem irridentes, eumque traducentes, a quo edocebantur, oportere eos tribulationem super tribulationem exspectare, ac consequenter spem super spem manere; illi contra ad amicitiam cum morte et inferno ineundam arbitrio suo deducti, ac tale sibi perfugium constituentes, exspectarunt se numquam in tristem injucundumque casum lapsuros, neque tribulationem experturos esse : quod si contingeret aliquando, adversariam quamdam virtutem irrumpere, non in se venturam esse sperabant, quod ipsi et adversariæ potestati et morti amicitia juncti essent : ideo « audite, *inquit*, verbum Domini. »

« Propterea hæc dicit Dominus, Ecce ego immittam in » fundamenta Sion lapidem pretiosum, electum, angula- » rem, honorabilem in fundamenta ejus : et qui crediderit » in se, non confundetur [2]. » Vos quidem primum vobis prædicatam gratiam non suscepistis : ego vero lapidem meum pretiosum et honorabilem in angulis constituens, excelsum eum, illustrem, omnibusque aliis manifestum faciam; ut quisquis in ipsum crediderit, ne spe labatur. Hunc porro lapidem in fundamentis Sion se positurum pollicetur, quod etiam effecit, cum hoc dictum complevit, « Supra petram ædificabo Ecclesiam meam [3]. » Nam montem Sion pro Evangelica prædicatione, et pro Ecclesia supra eam fundata plerumque accepimus. Hunc porro lapidem pretiosum, electum et honorabilem in fundamenta Ecclesiæ se positurum promittit : indeque est quod angularis et summus angularis vocetur. Humanum autem Salvatoris nostri corpus sic vocari potuit : quoniam secundum Danielem, « Lapis excisus sine manibus, » visus fuit; ita ut

[1] Isa., XXVIII, 15. — [2] Ib., 16. — [3] Matth. XVI, 12.

lapis quidem pro humano corpore, mons pro Salvatoris deitate, intelligatur.

« Et ponam judicium in spem : misericordia autem mea » in pondera; et qui fiditis frustra mendacio, quia non » pertransibit vos tempestas[1]. » Secundum reliquos autem interpretes, qui credit, non festinabit. Nam qui credit, perseveranter aget, rem verbo promissam exspectans. Hic vero lapis fuerit, ipsaque petra de qua Salvator dicebat, « Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. » Hic lapis, vel cum judicabit, magnam iis, de quibus judicium instituitur, spem afferet; quia ipsi, justissimo pondere et mensura, misericordia adjungitur : quamobrem dicitur, « Misericordia autem mea in pondera. Et non auferet vo» bis testamentum mortis : et spes vestra in infernum, non » permanebit : procella veniens si transierit, eritis illi in » conculcationem[2]. » Ne vos ipsi decipiatis, inquit, dicentes, Quoniam mortis amici sumus, non irruet in nos tempestas, nec quidpiam doloris experiemur. Verum, heus vos, jam audite et ediscite, qui mendacio fiditis, dicitisque, « Posuimus mendacium spem nostram, et mendacio » protegemur; » procella irrumpens nequaquam vos prætcribit; sed vestrum cum morte pactum auferet, ac spes vestra, quam in inferno repositam habebatis, non manebit. Siquidem imbecillæ rei vos concredidistis, cum in morte et inferno spem vestram apposuistis. « Cum transie» vit tollet vos : mane, mane, transibit in die, et in nocte » erit spes mala. Discite ut audiatis. In angustiis positi non » possumus pugnare : ipsi autem infirmi sumus, ut vos » congregemini[3]. » Nam si voluissetis, in portione Dei congregati fuissetis, nec in pugna pro pietate sustinenda infirmi essetis : quia vero libenter morti et inferno vos dedis-

[1] Isa., XXVIII, 17. — [2] Ib., 18. — [3] Ib., 19 et 20.

tis, scitote jam ipsum Dominum vos invasurum esse, ut ob memorata omnia iram et ultionem inferat vobis.

« Sicut mons impiorum consurget Dominus, et erit in » valle Gabaon : cum furore faciet opera sua, amaritudinis » opus[1]. » Amaritudinis opera iis infliget, ob insitam animæ malitiam, quasi acerbo remedio opus habeant. Cæterum amaritudo, ira et furor, et similia de Deo prolata, nihil aliud significare solent, quam a divino tribunali immittenda impiis supplicia. « Furor autem ejus alieno modo » utetur, et caries ejus aliena : et vos nolite lætari, neque » confortentur vincula vestra : quia consummatas et abre- » viatas res audivi a Domino Sabaoth : quas faciet super » universam terram[2]. » Neque confortentur pedes vestri, quibus, inito cum morte fœdere, et pactione cum inferno facta, vos colligastis : sed si qua vobis spes salutis supersit, rumpite mortis vincula ; ab ea, quam lætitiam opinamini, abscedite, temporaneæ voluptatis finem facite; horum namque qui futurus finis sit edidicistis. Cæterum ne putetis me Prophetam isthæc dicere : nam quæ animæ auribus loquentem Dominum Sabaoth audivi, hæc vobis renuntiavi : ipse quippe occulta et statuta ab se decreta a vobis non ignorari expetiit.

« Auribus percipite et audite vocem meam : attendite » et audite verba mea[3]. » Per illud, auribus percipere, voci per aera latæ aures præbere, significat; per illud autem, audire, dicta auscultare iisque obsequi : attentionem autem et speculationem vocat declaratarum rerum intelligentiam. « Numquid tota die arabit, qui arat? aut semen » præparabit, antequam operetur terram ? Nonne cum æqua- » verit superficiem ejus, tunc seminabit parvum papaver, aut » cyminum ? et rursum seminabit triticum, et hordeum,

[1] Isa. XXVIII, 21. — [2] Ib., 22. — [3] Id. 23.

» et milium, et speltam in finibus tuis? Et erudieris judi- » cio Dei tui, et lætaberis. Non enim cum duritia purga- » tur papaver, neque rota plaustri volvetur super cymi- » num; sed virga excutitur papaver: cyminum autem cum » pane comedetur[1]. » Naturali deinde exemplo utitur: quemadmodum enim in agricultura, aliud tempus arandi agrum est, aliud vero semina subactæ terræ congruentia jaciendi, eadem prorsus ratione animarum agricola, Dei Verbum, animas hominum arari, ac per rationabilem doctrinam latentes imo pectore cogitationes verbi aratro sulcari expetit. Quamobrem ita præcipit, « Novate vobis no- » valia, et ne seminate supra spinas. » Postquam autem illa animæ veluti superficies complanata est, sublata omni, olim in ea spinarum instar pullulante, nequitia, tunc ratione habita discriminis eorum qui semen excipiunt, semina jacit; in alios infirmiora, et exigua, papaveri et cymino conferenda; in alios præstabiliora et necessaria, frumento, hordeo, milio et speltæ comparanda, ob multam variamque iis insitam virtutem: nam divisiones gratiarum, et divisiones operationum sunt, et alii quidem per Spiritum hæc, alii illa, alii rursum consentanea dantur. Postquam autem messis tempus advenerit, quam messem consummationem esse mundi Salvator docuit; tunc a singulis pro merito ac ratione acceptorum seminum repetetur fructus. Qui vero mediocria acceperunt, nec iis, uti par erat, usi sunt, castigationis et supplicii mediocris experimentum accipient, ceu virga percussi: qui autem majoribus seminibus, perfectioribusque donis dignati, nullum collata sibi virtute dignum fructum reddiderint, majoribus igneisque suppliciorum turbinibus tradentur.

« Neque enim usque in sæculum irascar vobis, nec vox » amaritudinis meæ conculcabit vos. Et hæc a Domino

[1] Isa., XXVIII, 24, 25, 26 et 27.

»Sabaoth egressa sunt prodigia. Consilium inite, exaltate »vanam consolationem [1]. » Non enim, inquit, ita impios ulciscar, ut eorum substantiam funditus deleam, eorumque animas penitus destruam; quandoquidem secundum allatum exemplum, rotæ currus ex ferro constructæ frumentum non delent; sed omnes circum calamos auferunt, ut frumentum servent purumque reddant.

CAPUT XXIX.

—

« Væ civitati Ariel, quam expugnavit David : congre»gate fructus annum supra annum : comedetis enim cum »Moab [2]. » Quam hic miseram prædicat Ariel, ipsi Judæi Jerosolymam esse fatentur : narrantque altare illud, quod ante Templum constructum fuerat, Ariel vocatum fuisse, quod palam aiunt esse ex Ezechiele, qui sub finem in descriptione urbis sic habet : « Et hæ mensuræ altaris in cubito »cubiti, et palmæ sinus profundum in cubito : » deinde vero subjungit, « Et Ariel cubitorum quatuor, et ab Ariel »cubitorum quatuor, et ab Ariel supra cornua, cubitus. Et Ariel cubitorum duodecim longitudo cubitorum duo»decim : latitudo quadrangula ad quatuor partes suas. [3] » Dicunt Ariel significare, leo Dei; quia enim altare, quod Dei erat, oblata omnia sacrificia devorabat; ideo id nominis sortitum est. Illud autem, « Civitas quam expugnavit David; » aiunt in Hebraico exemplari non exstare; sed ut

[1] Isa., XXVIII, 28 et 29. — [2] Id., XXIX, 1. — [3] Ezech., XLIII, 13.

Aquila interpretatus est, « civitacula victus David ; » sive « circumvallationis. » Illam quippe cum antea alienigenarum fuisset, David, iis expulsis, ditioni suæ subdidit; ita ut illam quoque mentem nos Septuaginta interpretum versioni aptare possimus; ita enim apposite dicatur, Civitas quam expugnavit David, cum sub alienigenis esset. Potest item hoc significatu dictum fuisse, per quam expugnavit David. Illud vero, « Congregate fructus, » hoc sensu dicit, siquidem proximum est ut rationabili cibo careatis. Dum igitur tempus est, hisce annis ad animarum vestrarum utilitatem fruimini: mihique videtur his subindicare salutaris prædicationis tempus, quo apud illos peregrinatus Salvator, prædicavit annum Domini acceptabilem et tempus retributionis. Et fortasse alterum annum, imo forte tertium, cum illis conversatus videatur. Illum itaque ipsum annum, quo ipsis de regno cœlorum instituta disciplinamque tradidit, significans ait, « Congregate fructus, annum supra annum comedetis. »

« Affligam enim Ariel, et erit ejus fortitudo et divitiæ » mihi. Et circumdabo te sicut David, et cingam te vallo, » et extruam, et ponam contra te turres. Et humiliabun» tur sermones tui, et in terram subibunt verba tua. Et » erit tamquam qui loquuntur de terra vox tua, et ad pa» vimentum vox tua infirmabitur; et erunt tanquam pulvis a » rota divitiæ impiorum, et sicut favilla commota multi» tudo eorum qui te subigent : et erit tamquam punctum con» festim a Domino Sabaoth[1]. » Quemadmodum enim David quondam castra contra te, Jerusalem, posuit, teque circumsedit, cum in alienigenarum ditione esses, teque expugnavit; sic et ego, qui hæc loquor, Dominus, nunc te obsidebo. Nam alienigenarum domicilium evasisti, improbis repleta principibus. Quæ impleta sunt, post per-

[1] Isa., XXIX, 2, 3, 4 et 5.

petratum à Jerosolymitanis contra Salvatorem nostrum facinus; sicut ipse Servator Jerosolymam deplorans tunc dixisse legitur, « Si cognovisses et tu, quæ ad pacem tuam, » quia venient dies in te; et circumdabunt te inimici tui » vallo, obsidebunt te, et ad terram dejicieris [1]. »

« Visitatio enim erit cum tonitru, et terræ motu, et voce » magna : procella irruens, et flamma ignis devorans [2]. » Queis subindicat incendio absumendam urbem, immittente Deo sursum contra illam tonitru, terræ motum et procellam. « Et erunt tanquam qui somniat in somno opes » gentium omnium, quotquot militaverunt adversus Ariel, » et quoquot militaverunt adversus Jerusalem, et universi, » qui congregati sunt adversus eam, et qui afflixerunt » eam. Et erunt sicut qui in somniis bibunt et comedunt; » sed cum surrexerunt, vanum est somnium eorum. Et si- » cut qui per somnium bibit et comedit, et cum surrexit » adhuc sitit : anima autem ejus frustra speravit; sic erunt » divitiæ gentium omnium, quæ militaverunt contra mon- » tem Sion [3]. » His adumbravit Romanorum principum in hac vita voluptates et opes. Hi quippe erant qui extremam Jerosolymæ obsidionem induxerunt. Consentaneum quippe erat, ut quidpiam ad illos spectans edoceremur, nec ignoraremus quis illorum futurus finis sit. Ait ergo opes voluptatesque eorum in hac tantum vita manentes, perinde se habere atque somnia dormientium, qui imaginatione duntaxat, illa quæ somniant se habere putant. Talem quippe esse hujus mundi divitiarum phantasiam. Nam post præsentem vitam vanum somnium ab ipsis deprehendetur, inanisque finis voluptatis, qua se frui arbitrabantur.

« Deficite et obstupescite, et inebriamini, non sicera, » neque vino : quia potavit vos Dominus spiritu compunc-

[1] Luc, xix, 43. — [2] Isa., xxix, 6. — [3] Ib., 7 et 8.

» tionis : et claudet oculos eorum et prophetarum eorum, » et principum eorum, qui vident abscondita [1]. » Quia præsentem Dominum hominem factum audientes, non intellexerunt, ac videntes oculis, animæ visu non conspexerunt, auresque suas, ne audirent, aggravarunt, potabit eos Dominus spiritu compunctionis. « Et erunt vobis hæc omnia » verba, velut sermones libri signati hujus, quem si dent » homini scienti litteras, dicentes, lege hæc; dicet, non » possum legere : signatus enim est [2]. » De iis, qui sub hæc populi ex circumcisione præfecti futuri sunt, pergit vaticinari, « et erunt vobis omnia verba libri : » quæ sane illi non intelligebant. Nihil enim differebant illa ab obsignatorum sigillis, ita ut non posset Judæorum ullus scripta perlegere; ita illis ignotos fore ait propheticos sermones, sive illis ore pronuntientur, sive eorum prorsus imperiti sint. « Et dabitur hic liber in manus hominis nescientis litteras : » et dicet ei, lege hoc, et dicet, non possum legere, nescio » litteras [3]. » Talem futuram ait propheticam mentem : non quidem omnibus, sed iis tantum, de quibus hæc vaticinatur. Nam sedulo animadvertas qua ratione dicatur, « et » erunt vobis hæc verba; » vobis scilicet præsentibus, et audientibus. Judæos autem alloquebatur, queis ignotam esse prophetiæ mentem sub hæc edocet cum hæc adjicit, « et audient in die illa surdi verba libri, et oculi cæcorum » videbunt, et exultabunt. »

« Et dixit Dominus, appropinquat mihi populus hic ore » suo, et labiis suis honorant me : cor autem eorum longe » est a me. Frustra autem colunt me, docentes præcepta » hominum, atque doctrinas. Propterea, ecce adjiciam ut » transferam populum hunc, et transferam eum [4]. » Et quia sapientiam hominum præferunt, dum interim sapientiam et verba mea aversantur : alias vero quasdam seniorum

[1] Isa. XXIX, 9 et 10. — [2] Ib., 11. — [3] Ib., 12. — [4] Ib., 13 et 14.

suorum traditiones, ac si sapientium virorum essent, consectantur : ideo Scripturas quidem meas non intelligent : « Ego vero sapientiam sapientium illorum perdam, et prudentiam prudentum abrogabo. Væ qui profundum consilium ineunt, et non per Deum ! Væ qui in abscondito » consilium ineunt, et erunt in tenebris opera eorum : et » dicent, quis vidit nos? aut quis nos cognoscet, aut quæ » nos facimus [1]? » Deinde quia se Deum colere labiis profitentes, in oculto pessima quæque perpetrabant, in veneficiis, immunditiis, et sexcentis aliis nefariis gestis sese volutantes, hæcque omnia quasi non prospiciente Deo peragebant, jure illos his verbis miseros deprædicat.

« Nonne ut lutum figuli reputabimini? Num dicet figmentum fictori suo, tu me non finxisti? aut opus opifici, » tu me non sapienter fecisti [2] ? At enim si omnes homines ob luteum corpus luto figuli similes sumus, qui non consequenter putemus non posse opifici latere, quas operationes edat opificium suum? Quis dicere possit vel audeat, se non a Deo efformatum esse? Quod si id figulo subjectum ipsi lutum nunquam dixerit, palam certe est futiles et vanos esse omnes, qui intus in animo profunda consilia ineunt, et quæ ipsi in tenebris facinora edunt, Deum ignorare existimant.

« Nonne adhuc paululum, et transferetur Libanus sicut » mons Chermel, et Chermel in saltum reputabitur [3]? » Libanum quidem populum ex gentibus; Carmelum vero judaïcam gentem vocat. Ceu quemdam saltum agrestium et infructuosarum arborum fore judaïcum populum vaticinatur. Libanum autem, qui olim saltui similis erat, populum videlicet ex gentibus, futurum ait, qualis olim erat judaïcus populus, plenum bonis arboribus, omniumque generum plantis et fructibus.

[1] Isa., XXIX, 15. — [2] Ib., 16. — [3] Ib., 17.

« Et audient in die illa surdi sermones libri, et qui in » tenebris, et qui in caligine, oculi cæcorum videbunt[1]. » Cujus libri, nisi hujusce, quem præ manibus habemus, de quo supra dicebatur, « vobis verba hæc omnia, velut » sermones signati libri hujus. » Verum ei qui olim quidem Carmelus, sed jam mutatus est in saltum, erunt hujusce libri et prophetiæ sermones obsignati; illi vero qui olim cæci, et in saltu Libani reputabantur esse, postquam ad mansuetum et fructuosum morem translati fuerint, divinarum Scripturarum sermones audient : et qui olim in tenebris et caligine versabantur, ita ut non viderent, neque intelligerent, neque cogitarent, quia oculis cæci erant, inexspectata mutatione dignati, mysteriorum in sacris literis reconditornm speculatores erunt. « Et exultabunt pau» peres propter Dominum in lætitia, et spe destituti homines, » implebuntur lætitia[2]. » Quis enim unquam cogitasset eos, qui a majoribus idololatræ, athei et impii, atque a Dei cognitione alieni erant, tantam in spem venturos fuisse? Attamen ait etiam ii, qui « spe destituti erant homines, » implebuntur lætitia. »

« Defecit iniquus, et periit superbus, et deleti sunt inique » agentes præ malitia[3]. » His fruentur hi omnes, quia is qui olim imperium et tyrannidem in eos obtinebat, iniquus et impius quidam princeps, diabolus inquam, defecit et periit longe depulsus, superbus ille, qui olim ipsos in servitutem redegerat. Imo etiam qui sub eo impie et inique agebant, deleti sunt; maligni videlicet dæmones, « qui peccare fa» ciunt homines in sermone. Omnes autem arguentes in » portis offendiculum ponent : quoniam detorserunt ad in» justa justum[4]. » Nam Prophetis se coram arguentibus, seque a peccandi consuetudine avertentibus, laqueos tendebant, occasiones adversum captantes, ut ipsos perderent.

[1] Isa., XXIX, 18. — [2] Ib., 19. — [3] Ib., 20. — [4] Ib., 21.

« Propterea hæc dicit Dominus super domum Jacob, » quam separavit ex Abraham : Non nunc confundetur » Jacob, neque nunc faciem mutabit : sed quando videbunt » filii eorum opera mea, propter me sanctificabunt nomen » meum, et sanctificabunt sanctum Jacob, et Deum Israel » timebunt [1]. » Vos dico, domus Jacob vocatos : quam ut religioso illo Abrahamo indignam, separavit, et alienos illos posuit Deus, quia se non Abrahamo dignos esse operibus exhibebant. At enim filii Abrahæ operibus noscuntur; ut docuit Servator his verbis, « Si filii Abrahæ essetis, opera » Abrahæ faceretis [2]. » Quodnam vero tempus illud fuerit, nisi quo verba mea complebuntur, cum filii vestri alienigenas et generi vestro extraneos nomen celebrare meum videbunt? Tunc enim ipsi filii vestri confundentur et erubescent, stupendam illam gentium mutationem cernentes, conspicatique alienigenas homines sanctum Israël et Deum Jacob sanctificare, ac Dei universorum timore affici. » Et » scient qui errant spiritu, intelligentiam : qui autem ob» murmurant, discent obedientiam, et linguæ balbutientes » discent loqui pacem [3]. » Linguæ balbutientes, quæ nihil clare, nihil vere loqui poterant, ad naturam regressæ suam, clarissime loquentur, pacis sermones edoctæ; utpote quæ et bello liberæ, et pacem cum Deo amplexæ sint.

[1] Isa., XXIX, 22 et 23. — [2] Joan. VIII, 34. — [3] Isa., XXIX, 24.

CAPUT XXX.

« Væ filii desertores, dicit Dominus. Iniistis consilium,
» non per me; et pacta, non per spiritum meum; ut adde-
» retis peccata peccatis : qui vadunt et descendunt in Ægy-
» ptum : me autem non interrogarunt, ut auxilium habeant
» a Pharaone, et protegantur ab Ægyptiis. Erit enim vobis
» protectio Pharaonis in confusionem, et iis, qui confidunt
» in Ægypto, opprobrium : quoniam sunt in Tani princi-
» pes, angeli mali. Frustra laborabunt apud populum, qui
» eis non proderit ad auxilium, sed ad confusionem et op-
» probrium[1]. » Aperte declarat, tunc dæmones in Ægypto fuisse, quos angelos malos nuncupat, qui multa operabantur in illa Ægypti civitate, quæ dicitur Tanis, ubi illo tempore regia Pharaonis erat. Cæterum hi quoque, ait, principes Taneos, angeli mali, nihil juvabunt eos, qui ad se confugient, et opem ipsorum implorabunt. Quod re ipsa tunc impletum est, cum rex Babyloniorum, Ægypto capta, non tantum Ægyptios, sed etiam profugos Judæos una debellans, captivos abduxit. Tunc enim Judæorum spes in Pharaonem, versa est illis in confusionem et in opprobrium:

« Visio quadrupedum in deserto. *Simmachus*, assumptio
» jumentorum Austri. In tribulatione et angustia leo, et
» catulus leonis, inde et aspides, et progenies aspidum vo-
» lantium, qui ferebant super asinos et camelos divitias suas

[1] Isa., XXX, 1, 2, 3, 4 et 5.

» ad gentem, quæ illis non proderit[1]. » Quia scilicet tota Deo vacua erat, repletaque quadrupedibus, quas ut deos colebant, necnon dæmonibus, penes ipsos vigentibus. Hæc igitur Prophetæ oblata est visio quadrupedum, in Ægyptiorum solitudine morantium, queis profugi Judæorum opes suas deportabant : nam animæ suæ penuaria Ægyptiaco errori dediderant. « Ægyptii frustra et inaniter auxiliabun» tur vobis. Annuntia eis, quia vana est consolatio vestra » hæc. Nunc igitur sedens scribe in buxo hæc, et in libro, » quia erunt in dies hæc tempore, et usque in sæculum : » quia populus immorigerus est, filii mendaces, qui nolue» runt audire legem Dei[2]. » Sic eorum stultitia et insania enarratur. Neque enim sensiles illi Ægyptii, neque illi, qui penes eos dii reputabantur, opitulaturi erant Judæorum populo, ad ipsos confugienti. Siquidem præ magna animi anxietate, ac præ afflictionis violentia, Ægyptiorum deos celebrabant, ipsos videlicet dæmonas malignos, animam suam in angustias et ærumnas conjicientes, in quibus erant leones et aspides, eorumque progenies, ac serpentes, et alia sexcenta reptilia atque feræ, quorum icones, necnon ipsa sensilia animalia per totam Ægyptum pro diis colebantur. Etenim leones revera, aspides, serpentes, et alia sexcenta pro diis venerabantur. Et sane eorum, quos deos putabant, nomine urbes suas appellarunt; a leone scilicet, Leonto; a cane, Cyno, ab alia item fera, aliam civitatem.

« Qui dicunt Prophetis, Ne annuntietis nobis, et viden» tibus visiones, Ne loquamini nobis : sed nobis loquimini, » et annuntiate nobis alium errorem : et avertite nos ab hac » via. Auferte a nobis semitam hanc, et auferte a nobis » oraculum Israël[3]. » Hæc quippe Jeremiæ, et paria cum illo sentientibus dicebant, qui eorum vocibus non credebant. « Ideo hæc dicit Dominus sanctus Israel : Quia non obtem-

[1] Isa., 6. — [2] Ib., 7, 8 et 9. — [3] Ib., 10 et 11.

» perastis his sermonibus, sed sperastis in mendacio, et » quia murmurasti, et credidisti sermoni huic; idcirco erit » vobis peccatum hoc quasi murus cadens subito urbis » munitæ expugnatæ, cujus subito adest ruina : et ruina » ejus erit quasi contritio vasis testacei, ex officina ita com- » minuti, ut non inveniatur in eis testa, qua ignem feras, » et paulum aquæ haurias. Sic dicit Dominus, Dominus » sanctus Israel. Cum reversus ingemueris, tunc salvus » eris, et scies ubi fueris, cum confidebas super vanis : » vana facta est fortitudo vestra, et noluistis audire; sed » dixistis, Equis fugiemus : propterea fugietis : et veloci- » bus cursoribus insidebimus [1]. » Fugietis quidem; sed quo effugere valebitis Babyloniorum manum, quæ vos apprehendet, et in se detinebit? « Propterea celeres erunt qui » persequentur vos. Ad vocem unius fugient mille, et ad » vocem quinque fugient multi : donec relinquamini quasi » malus navis in monte, et quasi signum ferens super » collem [2]. » Quemadmodum navis in mari perditæ ac demersæ, signum est malus in vertice montis positus, quod non ultra illo sit opus; ita conspicuam fore ait memoratorum hominum perniciem. Verum non omnes funditus perituros esse ait, sed quosdam numero paucos relictum iri, quos miseratus Deus, salvos faciet, ob misericordiam ipsis exhibitam laudandus ac celebrandus. Sic enim illum justum judicem esse, ut dignos quidem supplicio plectat; eos autem, qui misericordiam consequi valent, salute dignetur sua. Quare ait : « Et rursum exspectat Deus, ut » misereatur vestri : et propterea extolletur, ut misereatur » vestri : quoniam judex Dominus Deus vestri. Beati qui » manent in eo [3]. » Nam cum justus sit judex, dignos quidem captivitati tradidit, quos autem miserari par erat, eos salvos fecit : unde beatum est in illo manere; sive

[1] Isa., XXX, 12, 13, 14, 15 et 16. — [2] Ib., 17. — [3] Ib., 18.

ut Symmachus edidit, « Ipsum sustinere. » Consentaneum quippe est stationem non deserere, nec de auxilio Dei desperare in calamitatibus occurrentibus. Ut justus itaque judex, et utpote bonus, miserebitur; ita ut Sion et Jerusalem denuo edificentur, et in illa rursum populus habitet.

« Quoniam populus sanctus in Sion habitabit, et Jerusalem fletu non flevit. Miserere mei : miserebitur tui. » Vocem clamoris tui quando vidit, exaudivit te [1]. » Ita enim Hebraïca lectio circumfert : quare Symmachus sic habet, « Jerusalem fletu non flebis; » Theodotio similiter, « In » Jerusalem fletu non flebitur. » Siquidem non flendi tempus aderat iis, qui ex misericordia Dei paternum solum repetierant, quique ea de causa gaudebant et lætabantur, ut dicitur, « Venientes autem venient in exultatione, portantes manipulos suos [2]. » Sanctos porro vocat eos, qui pœnitentia sanctitatem sibi procurarunt. Jerosolymam vero flentem inducit Propheta, quod commiseratione motus talem illam esse sibi mente formaverit. Pro illo autem, « Vocem clamoris tui quando vidit, exaudivit te, » Symmachus ait, « Vocem clamoris tui, sicut auditum fuerit, audiet te. » Simile autem huic est illud, « Secundum fidem » tuam fiat tibi, » quod a Salvatore dici solet. Et nunc quidem, ait, non flevit, sed alio tempore id præstabit. Cæterum hîc monetur, ut ad Deum semper clamet. « Ad vocem » tuam, *inquit*, respondebit tibi Deus. »

« Et dabit vobis Dominus panem afflictionis, et aquam » angustam : et nequaquam ultra appropinquabunt tibi qui » errare faciunt te, quia oculi tui videbunt eos, qui errare » faciunt te : et aures tuæ audient verba eorum, qui re- » trorsum te errare fecerunt : qui dicunt : Hæc via, ambu- » lemus in ea, sive ad dextram, sive ad sinistram [3]. » Hic docet, eos qui ex inimica terra reversi sunt, in principio

[1] Isa., XXX, 19. — [2] Psal. CXXV, 6. — [3] Isa., XXX, 20 et 21.

reditus multas ærumnas atque molestias a finitimis suis esse perpessos, ita ut Templi fabricam cohiberent. Id vero in historia libri Esdræ declaratur. Quamobrem non ultra errare te facient, etiamsi enim quidam id tentaverint, at oculi tui videbunt illos. Cum porro videant et intelligant, nequaquam in errorem deducentur. Rursumque si subdolis fallacibusque dictis perversa vobis loqui conentur, horum verba non excipient aures tuæ : etiamsi fallaciter dicant, « Hæc via, ambulemus in ea, sive ad dextram, sive » ad sinistram : » his quippe talia effutientibus non obtemperabis; sed in regia via ambulabis, mediam tenens, neque declinans ad dexteram, vel ad sinistram.

« Et contaminabis idola deargentata, et deaurata comminues, et disperges sicut aquam menstruatæ, et sicut » stercus abjicies ea. Tunc erit pluvia semini terræ tuæ, et » panis frugum terræ tuæ erit abundans et punguis [1]. » Omnia apud te copia rerum implebuntur, et altissima pace frueris; ita ut animalia tua, maximeque ea quæ colendis agris usui sunt, pabulo naturæ suæ congruenti abundent. « Et pascentur jumenta tua in die illa in loco pingui et » spatioso. Tauri vestri et boves, qui operantur terram, » comedent paleas commistas hordeo ventilato. Et erit super omnem montem excelsum et super omnem collem » sublimem aqua decurrens in die illa, cum perierint » multi, et cum ceciderint turres [2]. » Sive secundum Symmachum, « In die cædis multæ, cum cadent magni. » Quandonam cædes multa continget, et quandonam magni cadent, nisi tempore universalis judicii, quod post consummationem sæculi hujus ferendum est? Quare secundum LXX. interpretes dicitur, « Cum cadent turres, et » cum peribunt multi. » Nam eo tempore multi peribunt, quo iis, qui digni erunt, promissa retribuentur. Hic porro

[1] Isa., XXX, 22 et 23. — [2] Id., 24 et 25.

neque Israelem neque Judæos memorat, sed populum suum; ita ut, expletis promissionibus, omnes qui digni erunt, populus Dei nominentur.

« Et erit lux lunæ, quasi lux solis, et lux solis erit sep-» templiciter in die, cum sanaverit Dominus contritionem » populi sui, et dolorem plagæ tuæ curabit. Ecce nomen » Domini venit per multum tempus : ardens furor cum » gloria. Eloquium labiorum ejus, eloquium iræ plenum, » et ira furoris ejus sicut ignis devorat [1]. » Pro dicto illo, « Per multum tempus, » reliqui interpretes, « de longe, » ediderunt. Observes porro velim, non ipsum Dominum venturum dici; sed nomen Domini, quo Christus subindicatur, de illo quippe dictum est, « Benedictus qui venit in » nomine Domini, Deus Dominus et illuxit nobis [2]. » Cum venerit autem, ac secundum gloriosumque adventum suum exhibuerit, subsequentur ultrices virtutes, per quas supplicia impiis inferentur, quas hæc Scriptura furorem iramque vocat. Siquidem post prolatam sententiam, supplicio dignis ultio inferetur. « Et spiritus ejus sicut aqua in valle » trahens, veniet usque ad collum, et dividetur [3]. » Hic Spiritus ultor multas in partes dividetur, quia multum est inter puniendos discrimen. « Ut turbet gentes super errore » vano, et persequetur eos error, et capiet eos in conspectu » eorum. » Hic Dei inspectio ad omnia extensa declaratur, quia non in his tantum consistet ira, sed gentes pervadet ultio. Etenim ut non possent Israelitæ, soli a Deo reprehensi, dicere, Deum sua tantum, non vero gentium peccata punire, necessario vindictam in gentes quoque transituram declarat, atque erroris ultionem ipsos invasuram esse prædicit.

« Numquid semper oportet vos lætari, et semper in-» gredi in sancta mea, quasi festa celebrantes, quasi lætan-

[1] Isa., XXX, 26 et 27. — [2] Psal. CXVII, 29. — [3] Isa., XXX, 28.

» tes ingredi cum tibia ad montem Domini, ad Deum » Israel? Et auditam faciet Dominus gloriam vocis suæ, et » furorem brachii sui, ut ostendat cum furore et ira et » flamma devorante, fulminabit vehementer, et sicut aqua » et grando, quæ vi deorsum fertur. Per vocem enim Do- » mini superabuntur Assyrii plaga, qua percutiet eos : et » erit ei in circuitu [1]. » Tunc, ait, ii qui percutiebant et verberabant eos, pœnas dabunt : dæmones enim circumsistentes illos, suppliciis afficient. Quinam vero sint illi mox aperit dicens, « Unde erat illis spes auxilii, in quo » ipse confidebat. Ipsi cum tympanis et cithara pugna- » bunt. » Impiis spes auxilii erat a diis suis, adversariis nempe potestatibus, et malignis spiritibus. His quippe quasi diis adhærebant, ac spem auxilii in iis locarant, ignorantes ipsos tortores sibi futuros. Nam ira et furor contra impios immissus per angelos malos inferetur. « Ipsi cum tympanis » et cithara pugnabunt contra eum ex commutatione; » utpote qui alienis malis gaudeant : nam ex amicis inimici evadent.

« Tu enim ante dies rationem reddere cogeris. Numquid » etiam tibi paratum est regnare [2]? » Hæc, inquit, te olim voluptarium et superbum exspectant : nisi fortasse teipsum decipiens, exspectas tibi quoque paratum regnum esse, perinde atque iis, qui in angusta et arcta via incesserunt, et pauperes propter Deum propterque justitiam effecti sunt. His quippe omnibus paratum regnum est, non tibi, qui in lata et spatiosa via incedis. « Vallem profundam, » ligna jacentia, ignem et ligna multa. Furor Domini sicut » vallis sulphure accensa. » Sulphur et ignem succendunt, ad eorum, qui istic condemnabuntur, supplicium. His porro adductis in medium, prophetiam super iis, qui in Ægyptum confugiebant, resumit.

[1] Isa., XXX, 29, 30, 31 et 32. — [2] Id., 33.

CAPUT XXXI.

« Væ qui descendunt in Ægyptum ad auxilium, qui con-
» fidunt in equis et in curribus. Sunt enim multi, et in equis
» multitudo ingens. Et non confisi sunt in sancto Israël, et
» Dominum non quæsierunt. Et ipse sapienter induxit super
» eos mala, et verbum ejus non frustrabitur, et insurget
» in domos hominum malorum, et in spem eorum vanam,
» Ægyptium hominem, et non Deum, equorum carnes, et
» non est auxilium. Dominus autem inducet manum suam
» in eos, et latrabunt qui auxiliantur, et simul omnes peri-
» bunt gladio [1]. » Ipsos coarguit, quia sancto Israël non fidentes, ad Ægyptios confugerunt : quamobrem ipsos inexspectatis malis in Ægypto invadendos esse comminatur. In tota igitur præsenti historia docet; si quando visum Deo fuerit populum suum, sive ecclesiam suam persecutionis tempore piam religionem vexantibus tradere, a divina fide recedendum non esse, neque absistendum a fiducia erga Deum, nec de ejus reconciliatione desperandum, nec declinandum ad Ægyptiacam vitam; videlicet ad idololatrarum institutum. Multi namque in hujusmodi temporibus a piæ religionis doctrina discedentes, spem suam in idololatrarum auxilio locaverunt.

« Quoniam sic dixit mihi Dominus, quemadmodum cum
» clamabit leo, aut catulus, super præda, quam cepit, et

[1] Isa., XXXI, 1, 2 et 3.

»vociferabitur super ea, donec impleantur montes voce »ejus, et victi sunt, et multitudo furore ejus exterrita est; »sic descendet Dominus Sabaoth, ut prælietur in monte »Sion : supra montes ejus, sicut aves volantes; sic proteget »Dominus, et eripiet, et fovebit, et servabit. Converti»mini, qui profundum consilium inieratis et iniquum, filii »Israël : quia in die illa abnegabunt homines idola sua ar»gentea, et aurea, quæ fecerunt manus eorum [1].» Licet enim ipsis etiam nunc, si pœnitentiam agant, in suam remigrare terram, cum edidicerint, qualia Deus circa eam pollicitus sit. Id etiam declarat historia : nam post reditum ex Babylone, ac excitatum denuo templum in Jerusalem, non ultra idolis usi fuisse videntur. « Et cadet Assur non »gladio viri, neque gladius viri devorabit eum : et fugiet, »non a facie gladii : juvenes autem superabuntur [2].» Significat autem idololatrarum regni excidium, ruinamque eorum : pristina illa regia dignitate, quasi ab alto humilem in locum dejecta. Id autem illis continget, ait, non ex humana irruptione, sed ex divina contra illos accensa ira. Etiamsi enim homines excidii eorum ministri quam maxime videantur esse; at ipse Deus erat qui hominum opera funditus illos evertit.

«Petra enim circumdabuntur, quasi vallo, et vincentur[3].» Petram vocat illam olim Assyriorum firmitatem, regnique robur, quod transiturum esse dicit. » Qui autem fugiet, capietur. Hæc dicit Dominus, Beatus qui habet in Sion Semen, et domesticos in Jerusalem. » His item hortatur eos qui in Ægyptum confugerant, ut ne recederent a loco ubi erat templum Dei : sed etiam beatos prædicat eos qui semen in Sion habituri sunt, et domesticos in Jerusalem; quoniam illa restauranda, et pristinam gloriam suam recuperatura erat; seu etiam majorem illa, quam prius nacta

[1] Isa., XXXI, 4, 5, 6 et 7. — [2] Ibid., 8 — [3] Id., 9.

fuerat. Quapropter aliis dicebatur, « et erit gloria domus » istius novissima, super priorem. Scias oportet, illud, » beatus, a nemine alio interpretum dictum fuisse : pro illo » autem, qui habet in Sion semen, et domesticos in Jeru- » salem, Symmachus habet, Ignem in Sion et clibanum in » Jerusalem; » Aquila vero et Theodotio, « Lux ipsi in Sion, et » clibanus ipsi in Jerusalem [1]. » Queis docetur universum Deum et Dominum, qui hasce contra Assyrios minas protulit, ignem habere in Sion, et clibanum in Jerusalem; ut si quando voluerit, hoc igne et clibano comburat et excoquat eos qui combustione opus habent. Quocirca Dei illa civitas despectui habenda non est. Hæc porro de Ecclesia item jure dicantur, quia ipsa est civitas illa Dei gloriosa, de qua dicitur, « gloriosa dicta sunt de te, civitas » Dei [2]. » Est item in illa ignis et clibanus, quo uniuscujusque animæ ligna, fœnum et stipulam comburat et absumat. Quod si dicatur, « Lux ipsi in Sion, et clibanus ipsi in » Jerusalem, » ignem intelligamus oportet, propter eos ex cœtu, qui lumine sunt digni; clibanum autem in Jerusalem, propter eos qui combustione et purgatione opus habent.

CAPUT XXXII.

« Ecce enim rex justus regnabit, et principes cum ju- » dicio imperabunt. Et erit homo occultans sermones suos, » et occultabitur ut ab aqua manante. Et apparebit in Sion,

[1] Agg., II, 10. — [2] Psal. LXXXVI, 3.

» sicut fluvius currens, inclytus in terra sitienti[1]. » Quæ ad divinum Christi adventum spectant vaticinatur : is namque solus rex justus in hominibus apparuit. Apostoli vero ejus cum judicio regis sui, Ecclesiæ ipsius præfuerunt. Regnavit itaque in justitiam Christus, novum sane regni genus; non in humanam quippe dignitatem, non honorem et gloriam hominum respiciens, regnum erexit, sed in justitiam : quemadmodum principes ejus, non ad mundanas dignitates evecti, imperabant, sed ad judicium. Quapropter secundum reliquos interpretes dictum est, « et principes ad judicium imperabunt. » Pro illo autem, « et erit homo » abscondens sermones suos, » Symmachus, « et erit vir sicut » absconsio a spiritu et procella. » Quis igitur homo erit, nisi is, qui superius justus appellatus est? Hic enim ipse vir erit, natura vir quidem, sed hominis natura longe præstantior. Cæterum homo erit suam occultans deitatem. Nam aqua fluxa et perdita erat multitudo Judaïci populi : quare sese ab illis, et verba sua ab illorum verbis occultabat, sed Discipulis suis ea declarabat. Quis autem apparebit, nisi ipse rex justus? ipse quippe sese conspiciendum præbebit, quasi fluvius manans inclytus. Quæ vero Sion illa, nisi quæ eum, qui se ab illis occultabat, publice accepit? nam quæ olim deserta et sitibunda erat, Ecclesia ex gentibus, ipsa vere Sion est.

« Et non erunt amplius confidentes in hominibus : sed » aures ad audiendum dabunt, et cor infirmorum attendet, » ut audiat : et linguæ balbutientium cito discent loqui » pacem[2]. » Sion itaque et terra sitiens olim deserta, Ecclesia fuerit : et cor infirmorum, et linguæ balbutientes, gentium fuerint, quæ olim nec Deum noverant, nec recte loquebantur, quibus conversionem ad meliora pollicetur. Ilis subjungit, « neque amplius dicent stulto, ut imperet[3] : »

[1] Isa., XXXII, 1 et 2. — [2] Ibid., 3 et 4. — [3] Ibid., 5.

quemadmodum olim agebant, cum animas suas stultis vere magistris concredebant : erant porro ii sapientes hujus sæculi, quorum Deus sapientiam infatuavit. Talis erat quisquis sapientiam hujus sæculi profitebatur. « Neque amplius » dicent servi tui, Tace. Nam stultus stulta loquetur, et cor » ejus vana cogitabit ad perficiendum iniqua, et loquendum » errorem ad Dominum, ut dispergat animas esurientes, et » animas sitientes vacuas faciet. Consilium enim malorum » iniqua cogitabit, ad interficiendum humiles in sermoni- » bus iniquis, et ad dissipanda verba humilium in judi- » cio [1]. » Hæc quippe stulta omnia olim agebant illi olim stulti principes hominum : et consilium eorum malum iniqua deliberabat, ut sermonibus suis humilium animas perderet. « Pii autem prudentia consilia iniverunt : et hoc » consilium manebit [2]. » Queis significantur Apostoli Servatoris nostri, in principio salutis ab se datæ, quæ ut probe dirigeretur, rex justus datus est.

« Mulieres divites surgite, et audite vocem meam : filiæ » in spe audite sermones meos [3]. » Præmissis verbis et vocibus, ad lacrymas, fletum et luctum provocat eos, quod ex sua erga Deum incredulitate Dei gratia exciderint : eorum autem emollitos et effœminatos animos vituperans, mulieres nuncupat. Aiunt porro hac prophetia synagogas ipsorum indicari. Hortatur itaque illos, ut ne supine et perfunctorie dictis attendant; sed pervigili et composito animo. Fortasse dixeris, per priores illas mulieres significari priscos illos Judæorum conventus, ac multitudinem ibi congregatam; per filias vero, eorum synagogas, extremis temporibus futuras. « Diei anni memoriam facite in » dolore cum spe : consumpta est vindemia, cessavit semen, » et non amplius veniet [4]. » Annum porro vocat propheticus sermo, tempus prædicationis evangelicæ, quo Salvator et

[1] Isa., XXXII, 6 et 7. — [2] Ib., 8. — [3] Ib., 9. — [4] Ib., 10.

Dominus noster, cum hominibus versans et docens prædicavit. Id vero declarat deinde cum ex persona Dei sic loquitur, « Spiritus Domini super me, eo quod unxerit me, » evangelizare pauperibus misit me, prædicare captivis » dimissionem, et cæcis visus restitutionem, vocare annum » Domini acceptabilem [1]. »

« Obstupescite, contristemini confidentes, exuite vos, » nudæ estote : accingite saccis lumbos vestros [2]. » Illa, inquit, quæ secundum Deum est, tristitia vos compungat, et a pristina incredulitate discedite, pœnitentiæque vos date. Nam ea, quæ secundum Deum est tristitia, pœnitentiam ad salutem nulli pœnitentiæ obnoxiam, operatur. « Et super mammas tundite vos, propter agrum de siderii, » et vineam germinis. Terra populi mei spina et fœnum » proferet, et ex omni domo lætitia auferetur [3]. » Id vero superius declarabat his verbis, « et expectavi, ut faceret » uvam, fecit autem spinas, » quas spinas mox explicans ait, « expectavi, ut faceret judicium, fecit autem iniqui» tatem; et non justitiam, sed clamorem. » De his itaque planctum edere jubebat, maxime ob intentatas minas.

« Urbs opulenta, domus derelictæ, divitias civitatis re» linquent, domos desiderabiles. Et erunt pagi speluncæ » usque in sæculum, lætitia onagrorum, pascua pasto» rum [4]. » Quis advenas cernens Jerosolymæ incolas, ipsosque idololatras variis ex gentibus congregatos, non merito dicat, onagros diversosque greges ipsam depascere? Quamobrem dicitur, « lætitia onagrorum, pascua pastorum. » Ideo planctum magnum vos edere jubet, et in luctu perseverare, « donec veniat in vos spiritus ex alto [5]. » Ille autem erat de quo Salvator hæc protulit : « Ecce ego vado, et » mittam vobis Paracletum, Spiritum veritatis [6]; » iterum-

[1] Isa., LXI, 1. — [2] Ib., XXXII, 11. — [4] Ib., 12 et 13. — [3] Ib., 14. — [5] Ib., 15. — [6] Joan., I, 26.

que, « donec accipiatis virtutem ex alto[1]. » Quia igitur : « Beati qui lugent, quoniam consolabuntur, *et*, beati qui » flent, quoniam ridebunt[2]; » jure prædictis mulieribus, quæ fletu, lacrymis et planctu pœnitentiam præferebant, promissionem confert bonam per Spiritum afferendam.

« Et erit desertum Chermel, et Chermel in saltum re- » putabitur : et requiescet in deserto judicium, et justitia » in Carmelo habitabit[3]. » Libanus mons Phœniciæ imminens, gentes significabat, Carmelus autem mons, qui antehac Judæorum erat, populum ex circumcisione : unde Chermel, sive Carmelus, ita vertitur, « Cognitio circum- » cisionis. » Libanum ergo, videlicet alienigenam et extraneum populum ex gentibus conversum, talem futurum ait, qualis erat ille olim populus ex circumcisione, apud Deum honoratus. Ipsum vero populum ex circumcisione, qui Chermel aut Carmelus dicitur, in saltum reputandum fore. Quod ipsum indicat præsentis loci interpretatio secundum Symmachum, quæ habet, « Et erit desertum in » Carmelum. » Quemadmodum enim ibi Libanus in Carmelum vertendus dicebatur, sic et hoc loco desertum : ut idem sit quod desertum Libanus, quo indicatur Ecclesia ex gentibus, quæ mutata est in Carmelum. Quemadmodum enim prius erat « portio Domini populus ejus Jacob, » funiculus hæreditatis ejus Israël[4]; » et Carmelus in cognitionem ejus venerat; sic et Libanus, et illud olim desertum in meliorem conditionem mutatum, factum est portio Dei; ut e contrario Carmelus in saltum reputatus est. Saltus porro locus est agrestibus et infructuosis arboribus repletus : quapropter mos est Scripturæ divinæ gentes, quæ Deum non norunt, saltus nuncupare, ut plerumque commonstravimus.

« Et erunt opera justitiæ pax, et obtinebit justitia re-

[1] Luc. XXIV, 49.—[2] Matth., V, 5.—[3] Isa., XXXII, 6.—[4] Deut., XXXI, 9.

» quiem, et confidentes erunt usque in æternum. Et habi-» tabit populus ejus in urbe pacis, et inhabitabit confidens, » et requiescent cum divitiis[1]. » Nam pro magna et tripudiante urbe jam deleta, aliam Deo constituendam urbem, sive catholicam Ecclesiam a terminis usque ad terminos terræ pertingentem, et pium in illa vitæ institutum, vaticinatur. Firma quippe est eorum, qui in Deum credunt, mens et sententia. Civitatem pacis vocat illam quæ in cœlis est : nam « illa, *inquit*, quæ sursum est Jerusalem, » libera est, mater omnium nostrum[2]. » Urbem autem securitatis vocat varias illas mansiones : nam apud Patrem, inquit, mansiones multæ, quæ divitias numquam expilandas servant. Etenim « Thesaurizate, *inquit*, ubi nec ærugo, » nec tinea demolitur, neque fures effodiunt et furantur[3]. »

« Grando autem si descenderit, non ad vos veniet. Et » erunt qui habitant in saltibus confidentes, sicut qui in » planitie. Beati qui seminant super omnem aquam, ubi » bos et asinus calcant[4]. » Hic beatos prædicat Apostolos Salvatoris nostri, et primos Evangelii præcones, qui et Judæis et Græcis prædicarunt, ac semen suum conjecerunt in omnem hominem, Judæum primo, deinde Græcum: bos enim, utpote mundum animal, populus ex circumcisione, patrum suorum causa, vocatur; asinus autem, utpote impurus, dicitur idololatrarum populus. Quoniam igitur in Judæos primum, deinde in Græcos Evangelicum semen Apostoli Salvatoris nostri jaciebant, jure dicitur, « Beatus qui seminat super omnem aquam, ubi bos et » asinus calcant. » Hic porro per aquam subindicat divinam Scripturam, quæ a Judæorum et Gentilium populo calcatur.

[1] Isa., XXXII, 17 et 18. — [2] Gal., IV, 26. — [3] Matth. VI., 19. — [4] Isa., XXXII, 19 et 20.

CAPUT XXXIII.

« Væ iis qui vos miseros faciunt, sed nemo vos miseros » facit : et qui reprobat vos, non reprobat : capientur re- » probantes et tradentur, et quasi tinea in vestimento, sic » superabuntur [1]. » His consimilia sunt ea, queis Salvator Discipulos suos alloquebatur, « Qui vos spernit, me sper- » nit [2], » et vos non læ
dimini, et, « qui me spernit, spernit » eum, qui misit me.» Nam cum duo, ut quispiam dixerit, in tempore persecutionis ordines sint; alius agentium, patientium alius; beatus est qui patitur, sed non agit, infelix vero qui agit, sed non patitur. « Domine miserere nostri, » in te enim confidimus. Factum est semen incredulorum » in perditionem; salus autem nostra in tempore tribula- » tionis [3]. » Ex persona Apostolorum orationem emittit : eorum quippe semen, qui Evangelicæ prædicationi non crediderunt, perniciei traditum est : nostra vero salus, tu ipse es, ô Domine, qui nobis ades in tempore tribulationis.

« Propter vocem timoris tui sedibus moti sunt populi a » timore tuo, et dispersæ sunt gentes [4]. » Id dicitur de iis qui sacræ prædicationi fidem non habuerunt. Significat autem Judaïcæ gentis obsidionem, et quod, ingruente ipsis hostium multitudine, ex terra sua pulsi, et inter gentes dispersi sint. « Nunc autem congregabuntur spolia vestra, » parvi et magni, tanquam si quis congreget locustas, sic

[1] Isa., XXXIII, 1. — [2] Luc., X, 6. — [3] Isa., XXXIII, 2. — [4] Ib., 3.

» illudent vobis [1]. » His quam invalidus, et quam expugnatu facilis Judaïcus populus esset declarat; ac multitudinem eorum locustis comparans, significat ipsos ab inimicis ludibrio habendos esse, qui non modo tam parvi, quam magni eorum spolia diripient, sed etiam ipsis illudent. Hæc porro de iis locutus, ad Ecclesiam Dei pertransit, ubi Deum his verbis celebrat : « Sanctus Deus, » qui habitat in excelsis : repleta est Sion judicio et justi » tia [2]. » Sion quæ sit vel inde intelligas, quod dicatur illam judicio et justitia repletam esse. Superius autem dicebatur, « Et requiescet in deserto judicium et justitia. » Eam igitur, quæ superius desertum vocatur, jam Sion nuncupat; atque ita Ecclesiam Dei significat. Hæc quippe erat illa olim solitudo, in qua requievit judicium et justitia : quamobrem nunc Deus benedicitur, quia repleta est judicio et justitia.

« In lege tradentur, in thesauris salus nostra : illic sa- » pientia et scientia et pietas apud Dominum. Hi sunt the- » sauri justitiæ [3]. » Legi enim, videlicet Evangelicæ, qui in hac communi Sion habitant traditi sunt : sanctis quippe bona in spe recondita sunt. In quibus autem thesauris, nisi in iis qui in cœlis sunt reposita ? « Ecce certe in timore » vestro isti timebunt, quos timebatis : clamabunt a vo- » bis [4]. » Hæc Apostolis dicuntur : incidet enim, ait, timor vestri in incredulos. « Angeli mittentur amare flentes. De- » serentur enim eorum viæ : cessavit timor gentium, et » testaméntum cum illis initum tollitur : nec reputabitis » eos homines. Luxit terra : erubuit Libanus : palus facta » est Saron, manifesta erit Galilæa et Chermel [5]. » Clemens itaque Deus Angelos pacis misit ad Judæorum populum, amare flentes, ac cohortantes, ut Evangelicam subi pacem

[1] Isa., XXXIII, 4. — [2] Ib., 5. — [3] Ib., 6. — [4] Ib., 7. — [5] Ib., 8 et 9.

reciperent. Quoniam vero non receperunt eos, ita subjungit, « Nunc exsurgam, dicit Dominus, nunc glorificabor, nunc exaltabor [1]. » His porro manifeste declaratur ipsis videndum Deum esse. Quibusnam, nisi iis, qui justitiæ et sapientiæ thesauros sibi compararunt? Ab ipsis, inquit, videbor : erant porro isti Discipuli et Apostoli Salvatoris nostri, a quibus ego quidem visus sum; illi vero assidue clamabant, ut Angeli pacis : quapropter amare flebant, clamoribus et orationibus assiduis prisci populi perniciem deplorantes. Etenim Apostoli Salvatoris nostri Angeli erant, qui acerbis sese lacrymis dediderant, quod ii, qui ab se ad pacem Christi vocabantur, non obtemperarent, neque sibi fidem haberent.

« Nunc videbitis, nunc sentietis : vana erit fortitudo spiritus vestri [2] : » quæ ipsis a Moyse data fuerat, quia nemo ipsos in posterum homines reputabit. « Ignis devorabit vos : » his secundum et gloriosum adventum suum pollicetur, quo illi videbunt. « Et erunt gentes combustæ, ut spina in agro projecta et exusta. Audient qui longe sunt, quæ ego feci, scient qui appropinquant fortitudinem meam. Recesserunt qui erant in Sion iniqui : apprehendet tremor impios [3]. » Etiamsi hæc non de illis ex Judaïco populo vaticinetur, qui annuntiatam sibi gratiam acceperunt, vos auditis hisce propheticis sermonibus, non intelligitis, scientes hæc, quæ Hebraïce vobis enuntiata et scripta sunt, necnon omnia illa prodigia quæ apud vos operatus sum, et quæ apud vos locutus sum, necnon ea quæ videntibus vobis sum operatus, a gentibus procul et ad extrema terræ auditum iri. Quomodo autem audient, nisi ad Deum accedentes, cum virtutem ejus edidicerint? Hi vero ipsi, videlicet impii in Sion versantes, quo pacto

[1] Isa., XXXIII, 10. — [2] Ib., 11 — [3] Ib., 12, 13 et 14.

a me recesserint, cognoscent : qua de causa, ob defectionem scilicet, tremor invadet illos.

« Quis annuntiabit vobis ignem urere? Quis annuntiabit » vobis locum æternum? Qui ambulat in justitia, qui loquitur rectam viam, qui odit iniquitatem et injustitiam, » qui manus excutit a muneribus, qui obturat aures, ne » audiat judicium sanguinis, qui claudit oculos, ne videat » iniquitatem [1]. » Ait igitur, « Quis annuntiabit vobis ignem » urere, » paratum diabolo et angelis ejus? Quis ergo ista cognoscit, ut eadem nescientibus testificetur, nisi quisquis ambulat in justitia, et odit impietatem et injustitiam; ii qui munera respuunt, et aures obturant, ne audiant judicium sanguinis, oculosque claudunt, ne videant iniquum facinus? Talis erat chorus Prophetarum Dei, et quilibet vir religiosus, chorus item Apostolorum et Discipulorum Salvatoris nostri. Quisquis igitur, aiunt, hujusmodi erit, is annuntiabit nobis, ignem impiis paratum accensum esse : idemque ipse locum nobis æterni judicii indicabit, contestatus cavendum esse, ut ne eo decidamus. « Hic habitabit in excelsa spelunca petræ firmæ : panis ei » dabitur, et aqua ejus fidelis [2]. » Idem ipse procul igne, et memorato æterno loco remotus, habitabit in excelsa spelunca, et in petra firma. Secundum Symmachum vero, « Ipse in excelsis habitabit, quasi munimenta petrarum » sublimitas ejus; » ut ex his beatorum exercitium, et institutum vitæ in summa philosophia positum, intelligamus : quamobrem infertur, « Panis ei dabitur, et aqua ejus fide» lis. » Talis autem homo pane et aqua in præsenti vita ad alimentum usus, in exercitationis terminum et fructum, gloriosam Regis contemplationem referet : quapropter ait, « Regem cum gloria videbitis, oculi vestri cernent terram » procul : anima vestra meditabitur timorem. Ubi sunt

[1] Isa., XXXIII, 15. — [2] Ib., 16.

»grammatici? ubi consiliarii? ubi est, qui numerat eos qui »nutriunt parvum et magnum populum? cui non dedit »consilium, neque scivit vocem altiloquam; ita ut non »audiat: populus contemptus, et non est audienti intelli»gentia [1].» Ubi sunt Scribæ, qui legis litteræ patrocinantur nihilque aliud cogitant, quam obviam dictionis enuntiationem? Quos miseros prædicabat Salvator in Evangeliis dicens, « Væ vobis Scribæ et Pharisæi hypocritæ [2]. » Ubinam illi apparebunt in die judicii? qui, utpote adulatores eos quibus assentabantur avertebant.

« Ecce Sion civitas, Salutare nostrum oculi tui vide»bunt, Jerusalem, civitas dives, tabernacula quæ non »concutientur, neque movebuntur paxilli tabernaculi ejus »in sempiternum tempus, neque funiculi ejus dirumpen»tur [3]. » His porro significat, Salutare quidem esse Christum Dei; festorum vero civitatem esse Dei Ecclesiam. Nam Judaïcæ quidem Jerosolymæ tabernacula plerumque succussa sunt in variis illis obsidionibus, quando illa ab expugnantibus solo non semel æquata fuit; novæ autem hujusce urbis, immotos ait fore paxillos. Etiamsi enim putetis nonnunquam vos in persecutionibus pelli et obsideri, at illa semper in petra consistit, et immota manet in sæculum: etenim mentiri nequit is qui dixit, « Super »petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non »prævalebunt adversus eam [4]. »

« Quoniam nomen Domini magnum vobis, locus vobis »erit flumina et rivi lati et spatiosi. Non ambulabis per »hanc viam; neque ambulabit navigium properans. Deus »enim meus magnus est. Non transibit me Dominus judex »noster, Dominus princeps noster, Dominus rex noster, »Dominus hic salvabit nos [5]. » Huic, inquit, novæ civitati

[1] Isa., XXXIII, 17, 18 et 19. — [2] Matth., XXIII, 13. — [3] Isa., XXXIII, 20. — [4] Matth., XVI, 12. — [5] Isa., XXXII, 21 et 22.

inconcussæ et immobili, ipsum nomen Domini locus erit: quare supra Dominum, locum suum, ædificata, immota manet. His itaque significatur ipsum Dominum prædictæ civitatis locum futurum esse, fluminum alveis et latis rivis instructum; ita ut dicatur, « Fluminis impetus lætificant » civitatem Dei [1], et flumen Dei repletum est aquis [2]. » quia scilicet ipse Dominus locus eorum est. Quamobrem istæc flumina hostibus inimicisque inaccessa sunt, quæ prædictam Dei civitatem munimenti loco circumdant et ambiunt, ita ut extraneis quibusque aditus sit nullus: quoniam Dominus, locus nempe ejus, permagnus est: ipse namque petra erat, supra quam extruebatur. « Di- » rupti sunt funiculi tui, quia non prævaluerunt : malus » tuus inclinatus est, non pendebunt vela : non levabit » signum, donec tradatur in vastationem. Multi igitur » claudi prædas facient, et non dicent, Fatisco, populus » qui habitat in eis : dimissum enim est eis peccatum [3]. » His indicat corporeæ Jerosolymæ exitium, cujus funiculi dirupti sunt; et malus ejus, ceu cujusdam navis tempestatibus et fluctibus demersæ, declinans lapsus est, diruptis funibus ipsum retinentibus.

[1] Psal. XLV, 5. — [2] Id., LXIV, 5. — [3] Isa., XXXIII, 23 et 24.

CAPUT XXXIV.

« Accedite gentes, et audite principes : audiat terra, et » qui in ea habitant, orbis, et populus qui est in eo : quia » furor Domini super omnes gentes ; et ira super omnem » numerum eorum, ut perdat eos et tradat ad cædem. Vul- » nerati autem eorum projicientur, et mortui : et ascen- » det odor eorum [1]. » Quibusnam tradat in cædem, nisi ultricibus virtutibus ? His porro castigatis, alii vulnerati, alii mortui erunt, qui scilicet ad mortem peccavere : quorum facinora, in vita mortali perpetrata, judicii tempore fœtorem emittent : quare secundum Symmachum dicitur, « Et ascendet fœtor. »

« Et rigabuntur montes sanguine eorum. Et tabescent » omnes virtutes cœlorum [2]. » Hi montes erant de quibus dictum est, « Et tabescent montes a sanguine. » Etenim virtutes cœlorum, quæ per montes significantur, tunc tabescere dicuntur, utpote quæ memoratis hominibus in causa perniciei fuerint. Quænam porro illæ fuerint, nisi de quibus Apostolus ait, « Non est nobis lucta adversus » sanguinem et carnem ; sed adversus principatus, et po- » testates, et rectores mundi hujus, et adversus spiritua- » lia nequitiæ in cælestibus [3]. » Hæ namque potestates, quæ aërium locum obtinent, virtutes cœlorum vocantur : quandoquidem ea, quæ per aëra feruntur, volucres cœli vocare solet divina Scriptura dicens, « Volucres cœli et

[1] Isa., XXXIV, 1, 2 et 3. — [2] Id., 4. — [3] Ephes., 6, 22.

» pisces maris [1]. » Cum autem illud, « Et tabescent omnes » virtutes cœlorum, » in Septuaginta interpretum versione non compareat, cum asteriscis ex reliquorum interpretatione additum fuit. Quia vero scitu nobis opus erat quandonam hæc futura essent, id nos edocet propheticus sermo declarans, superius memorata post hujus mundi consummationem eventura esse. Quamobrem infert, « Et plicabi- » tur cœlum, sicut liber, et omnia astra cadent, tanquam » folia de vite, et sicut cadunt folia de ficu, » Salvator item in Evangeliis hæc de consummatione traditit, « Et stellæ » cadent de cœlo, et virtutes cœlorum commovebuntur : » et tunc apparebit signum filii hominis in cœlo [2]. » Aquila vero, « Et omnis exercitus eorum defluet, sicut defluit » folium a vite, et tanquam id, quod delabitur a ficu ; » secundum Symmachum autem, « Et omnis virtus ejus ca- » det, sicut cadit folium a vite, et tanquam id quod deci- » dit a ficu. » Hæc porro observavimus, ut ostenderemus ea quæ a LXX interpretibus astra dicuntur, apud reliquos interpretes, virtutes cœlorum vocari. Quæ virtutes, nisi de quibus modo dictum est ? Hæ igitur ipsæ, sicut folia de vite, judicii tempore cadere dicuntur ; quo cœlum plicabitur quasi liber. Hic vero notandum est, non corruptionem, non exitium, non destructionem cœlorum his verbis indicari ; verum, sicut evoluto et aperto libro, quæ descripta sunt in conspectum veniunt, neque tamen liber destruitur ; eodem prorsus modo, evoluto et aperto illo, totius sæculi judicia et opera complectente, libro, adversariæ potestates ab illa in aëre commoratione defluent. Tunc autem eædem ipsæ adversariæ potestates, quæ olim stellarum instar, multos læserant, decident : quandoquidem et ipse Satanas transformatus in angelum lucis, tanquam fulgur de cœlo decidit.

[1] Psal. VIII, 9. — [2] Matth., 24, 29.

« Inebriatus est gladius meus in cœlo, et in Idumæam » descendet, et in populum perditionis cum judicio[1]. » Idumæa significat, terrena: in quam descendens gladius sanguine repletur, et quasi adipe occisorum impinguatur. « Gladius Domini impletus est sanguine, impinguatus est » adipe hircorum et arietum: quia sacrificium Domino in » Bosor, et mactatio magna in Idumæa.[2] » Quinam sunt illi agni, hirci et arietes, dicit: agnorum nomine, sive secundum reliquos interpretes, significantur qui popularem et privatam vitam agunt; hirci vero et arietes ii qui multa possunt imperio et potestate, quos Dei gladius invadet, qui quasi sacrificium faciet, memoratos agnos, hircos et arietes mactando et immolando. « Et concident robusti » cum eis, et arietes et tauri: et inebriabitur terra a san» guine, et a pinguedine eorum implebitur[3]. » Bosor, carnem significat: atque his carnis resurrectio declaratur. Quapropter hujusmodi mactationem in carne futuram esse docens ait: « Quoniam sacrificium Deo in Bosor, et mactatio » magna in Idumæa: » omnem quippe terrestrem animam invadet. Edom enim terrenum significat; quemadmodum alibi hic Propheta in sequentibus de Salvatore deque futuro judicio ejus loquens ait: « Quis hic qui venit de Edom, » rubor vestimentorum de Bosor[4]? » Carnalem quippe adventum suum in terram hoc modo declaravit. Arbitror autem Spiritum divinum comminatoriis hisce vocibus uti, ut indicet ultionem a Deo de impiis sumendam, utque ex frequentiore et sæpius repetita voce auditores deterreantur; nec valeat quispiam supplicia impiis inferenda aliter intelligere, neque tamen supplicii modum excogitare possit. Quamobrem rudiori sermone, et vulgarioribus verbis terrorum incutientibus utitur, ut qui hæc audiunt, perterriti convertantur.

[1] Isa., XXXIV, 5. — [2] Ib., 6. — [3] Ib., 7. — [4] Id., LXIII, 1.

« Dies enim judicii Domini, et annus retributionis judicii Sion [1]. » Superius item dicebatur, « Mulieres divites » exsurgite, diei anni memoriam facite in dolore cum spe. » Quis sit ille annus, quo cum dolore planctum edere jubet, hæc prophetia declarat his verbis, « Vocare annum Domini » acceptabilem, et diem retributionis Deo nostro, consolari » omnes lugentes, dare lugentibus Sion gloriam. Viden' quo » sensu hic dicatur, annus Domini, et dies retributionis; » ita ut simile sit illud hoc dicto, Dies enim judicii Sion. Itaque idem ipse annus, eadem ipsa dies est, qua pauperes evangelizantur, lugentes Sion consolationem accipiunt in Christi adventu, mulieres illæ divites ad planctum evocantur, et quæ hoc in loco de Sion enuntiantur, futura sunt. Hæc porro omnia in Salv. nostri Jesu Christi adventu implebantur, quando ii, qui in ipsum crediderant, et gratiam ejus susceperant, optimis illis pollicitationibus fruebantur: qui vero sese a gratia ejus sequestraverant, ab omni spe bona lapsi, tristiorum comminationes subierunt. Et sane ipsa eorum conspicua et regia civitas, ea ipsa pertulit, quæ præsens prophetia vaticinatur.

« Et vertentur valles ejus in picem, et terra ejus in sulphur. Et erit terra ejus ut pix ardens nocte et die [2]. » Queis clare denuntiat extremam vastitatem et loco et genti inferendam. « Et non extinguetur in perpetuum tempus: » et ascendet fumus ejus sursum : in generationem ejus de» solabitur, et in tempus multum [3]. » Signum supplicii, quod in profundo luunt, iis qui sursum positi sunt præbens conspiciendum, ob insitam illis malitiam, quæ, quod tenebrosa et nigra sit, pici comparatur. « Aves, et ericii, et » ibes et corvi habitabunt in ea, et injicietur super eam funi» culus geometriæ deserti, et onocentauri habitabunt in ea [4]. » His impuras animas significat, quales erant eorum animæ,

[1] Isa. XXXIV. 8. — [2] Ib., 9. — [3] Ib., 10. — [4] Ib., 11.

qui ex alienigenis et extraneis gentibus eo in loco postea habitarunt, idolorum cultores.

« Principes ejus non erunt. Reges enim et magnates ejus » erunt in perditionnem [1]. » Dæmonas quosdam adumbrat, qui in simulacris et idolis eorum ceu in latebris agebant. « Et renascentur in urbibus ejus spinosa ligna, et in muni- » tionibus ejus. Et erunt cubile sirenum, et stabulum stru- » thionum. Et obviabunt dæmones onocentauris, et clama- » bunt alter ad alterum. Ibi requiescent onocentauri, inve- » nientes sibi requiem [2] : » infructuosam eorum doctrinam significans. Quamobrem vineam eorum spinas emisisse supra declarabat his verbis, « Expectavi ut faceret mihi » uvam, fecit autem spinas [3]. » Ubi autem in animabus eorum extrema vastitas fuerit, atque ager ipsorum spinis repletus erit, ibi requiem habituros impudæmonas jure prædicit.

« Ibi nidificavit ericius, et servavit terra pullos ejus cum securitate. Ibi obviaverunt cervi, et viderunt facies suas mutuo [4]. » Cervum inter animalia munda agnoscit Scriptura divina, multaque de illo in bonam partem effert, ut cum ait : « Quemadmodum desiderat cervus [5], » ac iterum, « Vox » Domini præparans cervos [6]; » et rursus, « Cervus amicitiæ, » et pullus gratiarum tuarum, colloquatur tecum [7]; » et in libro Job, « Observasti autem menses cervorum, et dolores » partus ipsis immittes [8]. » Ipse quoque sponsæ dilectus in Cantico canticorum, cervo comparatur : « Similis est capreæ » et hinnulo cervorum, super montes aromatum [9]. » Cum itaque sponsus cervo comparetur, quos hic cervos memorari dicas, nisi Discipulos et Apostolos? est autem animal illud serpentibus exitiosum. Hic ergo docetur, ex Judæo-

[1] Isa., XXXIV, 12. — [2] Ib., 13 et 14. — [3] Id., V, 4. — [4] Id., XXXIV, 15. — [5] Psal. XLI, 1. — [6] Id., XXVIII, 9. — [7] Prov. V, 19. — [8] Job., XXXIX, 1. — [9] Cant., II, 9.

rum solitudine cervos prodiisse quosdam, videlicet Discipulos Servatoris nostri: « Ibi enim, ait, obviaverunt cervi, » et viderunt facies suas mutuo. » Sese namque mutuo agnoverunt, animæque ad similitudinem Dei adornatos characteres in se invicem deprehenderunt. Quoniam vero non in una eademque civitate manserunt; sed ultro citroque singuli, Evangelii munus implentes, discurrebant: ideo dicitur, « Alter alterum non quæsivit, quia Dominus » illis præcepit, et Spiritus ejus congregavit eos[1]. » Etenim qui dixerat illis, « Docete omnes gentes in nomine meo; » idem ipse vetuit, ne in uno eodemque loco Ecclesias suas constituerent.

« Et ipse immittet eis sortes, et manus ejus divisit, ut pascantur. In æternum tempus hæreditatem sortiemini, in generationes generationum requiescent in ea[2]. » Pabulum ergo ipsis et pascua suppeditavit, itemque sortes in generationes generationum; ut singuli in sortibus suis requiescerent, videlicet in gentibus sibi sorte assignatis: ubi, nimirum in iis quas fundaverunt Ecclesiis, memoria eorum in generationes generationum servatur et viget.

CAPUT XXXV.

—

« Lætare desertum sitiens: exultet solitudo, et floreat » sicut lilium[3]. » Hæc igitur solitudo, alia fuerit a prius memorata Sione, in qua ericios, ibes, corvos, dæmonas

[1] Isa., XXXIV, 16. — [2] Ib., 17. — [3] Id., XXXV, 1.

et onocentauros habitaturos esse, ac cujus valles pice et sulphure repletum iri, dicebatur. Cum ergo talia de Sione et de Jerosolyma proferantur, restat ut ea, quæ jam tractantur de alia solitudine pronuntiari intelligamus. Etenim vere sitibunda olim erat illa solitudo, fluentis cœlestibus orbata: verum memoratis de causis lætari et exultare, itemque sicut lilium florere jubetur; ita ut dicat, « Christi bonus odor su» mus Deo in omni loco[1]. » Quinetiam, ait, florebunt nova germina et speciosi flores, de quibus Cantico canticorum dicitur, » Visi sunt flores in terra; mandragoræ dederunt odo» rem suum. Et florebunt et exultabunt deserta Jordanis. » Gloria Libani data est ei, et honos Carmeli: et populus meus » videbit gloriam Domini, et celsitudinem Dei[2]. » Hic per Jordanem Evangelicam Scripturam clare significat: nam ad Jordanem fluvium Joannes primus prædicavit regnum cœlorum: et quia cultus ille, secundum Moysis legem olim Deo præstitus, Jerosolymæ non amplius vigebat, baptismum pœnitentiæ et lavacrum regenerationis in eodem fluvio Propheta ille tradidit: ipseque Salvator et Dominus noster Jesus Christus Joannis prædicationem quasi sigillo suo munivit, cum ab eo in Jordane fluvio baptizatus est, ac per seipsum regenerationis mysterium firmavit.

« Gloria Libani data est ei, et honos Carmeli. » Libanus quidem, sive thus, in præmissis verbis significat altare et templum, in quo sacrificia cum ipso thure, legalis etiam cultus offerri consueverat; Carmelus autem, ut plerumque commonstratum est, populum ex circumcisione subindicat. Prisci itaque populi honorem, ac templi Jerosolymitani gloriam, antiquæ illi solitudini, id est, Ecclesiæ ex gentibus datum iri, in prophetia fertur. Adjicit postea, « Et » populus meus, » non ultra Israel; « sed populus, inquit, » meus videbit gloriam Domini: » quam promissionem

[1] I Cor. II, 15. — [2] Cant., 7, 13.

novo populo enuntiat, ut pote qui primum Salvatoris adventum exceperit: qua item de causa secundum et gloriosum ejus conspectum, necnon ejus celsitudinem contemplaturus est.

« Corroboramini manus remissæ, et genua soluta consolamini[1]. » Hic jubentur Discipuli et Apostoli Servatoris nostri animas in gentibus remissas confirmare, et infirmorum genua corroborare. « Mente pusillanimes confortamini ne timete, Ecce Deus vester judicium retribuit et » retribuet, ipse veniet, et salvabit nos[2]. » Etiamsi enim vos quidam persequantur, vobisque minas et terrorem incutiant, plagas item et tormenta infligant, at vos, inquit, olim pusillanimes, jam robore ac fortitudine instructi, ne timete, quippe qui Deum vobiscum omni tempore versantem habeatis. Hac itaque imbuti disciplina, vos olim pusillanimes, confortamini, et ne timeatis.

« Tunc aperientur oculi cæcorum, et aures surdorum » audient. Tunc saliet sicut servus claudus, et diserta erit » lingua balborum.[3] » Illi olim surdi et cæci, qui divinam doctrinam non audierant, nunc per ejus gratiam, auditu perceptis divinis eloquiis, eruditi evaserunt: imo etiam ii, quorum animæ gressus resoluti ac remissi erant, jam cervorum instar exsilierunt, doctoribus suis similes effecti, quos paulo supra cervos prophetia vocavit. Balborum autem lingua, quam, ne verum Deum confiteretur, colligaverat Satanas, clara voce et articulatim verba pronuntiare didicit. Balbos porro neutiquam aberres, si dicas eos esse ex sapientibus hujus sæculi, qui vix recti aliquid de Deo unquam sentire ac dicere ausi sunt.

« Quia erupit in diserto aqua, et vallis in terra sitienti. » Et erit inaquosa in paludes, et in terra sitienti fons aquæ » erit. Ibi lætitia avium, caulæ arundinis et paludes.[4] »

[1] Isa., xxxv, 3. — [2] Ib., 4. — [3] Ib., 5 et 6. — [4] Ib., 7.

Aqua istæc, de qua loquitur, Jordanis erat : quare paulo ante dicebatur, « et exultabunt deserta Jordanis. » Quo lavacrum regenerationis subindicabat, necnon Testamenti novi mysterium : per fluenta autem, Evangelicos sermones denotat. Lætitia avium; videlicet animarum pennatarum, et altivolantium, aliarumque mansuetarum ac bonæ indolis, quæ a bono pastore reguntur; ut dicere valeant, « Dominus pascit me, et nihil mihi deerit[1]. Ibi erit via pura, » et via sancta vocabitur; et non transibit illac immundus[2]. » Hæc sane fuerit illa, quæ ducit ad felicissimum finem cælestis Dei civitas : quam declarans Servator dicebat, « Ego sum via. Neque erit ibi via impura : qui autem dis» persi sunt, ambulabunt in ea, neque errabunt[3]. » Quinam illi, nisi qui olim a Deo disgregati, a veritate procul aberraverant? Hi namque retrogressiosi, inventaque recta, nullique errori obnoxia via, in ea ambulabunt.

« Et non erit ibi leo, neque ulla ex malis bestiis ascen» det in eam, neque invenietur ibi[4]. » Qui enim fieri poterat, ut in eo, qui dixerat, « ego sum via, » mali quidpiam reperiretur? Neque vias serpentis in petra invenire erat secundum Salomonem. « Sed in ea ambulabunt redempti et » congregati per Dominum[5]; » quos videlicet ipse proprio sanguine redemit, et qui congregati sunt a Domino, non a Propheta, nec humana quapiam sollicitudine; verum qui ab ipso Domino redempti et congregati sunt, hi in memorata via ambulabunt, « Et advertentur, et venient in Sion » cum lætitia. » Hæc quippe nequeunt de illa Sione intelligi, de qua dictum est : « Et annus retributionis judicii Sion : » et convertentur valles ejus in picem, » et cætera. Quamobrem illas quæ eodem Sionis nomine vocantur, vario modo intelligere opus est. « Et lætitia sempiterna super

[1] Psal. XXII, 1. — [2] Isa., XXXV, 8. — [3] Joan. XIV, 6. — [4] Isa., XXXV, 9. — [5] Ib., 10.

»caput eorum.» Nam ii, qui in magno illo certamine victores erunt, corona lætitiæ redimientur. « In capite enim »eorum laus et exultatio, et lætitia comprehendet eos, »abscessit dolor, tristitia et gemitus; » videlicet eos qui in salutari via, nihil ultro citroque deflectendo, ambulaverunt, ideoque ad felicissimum finem pervenerunt: ubi corona Dei exornati, simpiterna vita fruentur, in regno cælorum, unde abscessit « dolor et gemitus. »

CAPUT XXXVI.

« Et factum est anno quartodecimo regis Ezechiæ, »ascendit Sennacherim rex Assyriorum adversus urbes »Judææ munitas, et cepit eas. Et misit rex Assyriorum »Rabsacem ex Lachis in Jerusalem ad regem Ezechiam »cum virtute multa. Et stetit in aquæductu piscinæ supe- »rioris, in via agri fullonis. Et egressus est ad eum Eliacim »filius Chelciæ, æconomus, et Somnas scriba, et Joach »filius Asaph, a commentariis[1]. » Mirabilis sane est hæc historia et narratio rerum Ezechiæ tempore gestarum; quæ inter reliquas historias in libro quarto Regum et in secundo Paralipomenon recensetur. Attamen ea huic prophetico libro inserta fuit, quia sub finem historiæ tum prophetia, tum res quædam mirabilis et inexspectata, Ezechiæ tempore gesta narratur.

« Et dixit eis Rabsaces, Dicite Ezechiæ, Hæc dicit rex

[1] Isa., XXXVI, 1, 2 et 3.

» magnus, rex Assyriorum : Quid confidis[1] ? » Nam ceu potestas quædam prophetico sermoni adversaria, dicenti, hæc dicit Dominus; sic et ille clamabat, Hæc dicit Dominus; sic et ille clamabat, « Hæc dicit rex magnus, rex » Assyriorum. Ecce confidis virgæ arundineæ huic con- » fractæ, Ægypto : cui si vir innitatur, penetrabit manum » ejus, sic est Pharao rex Ægypti, et omnes, qui confidunt » in eo[2]. » Sycophanta cum esset inimicus, Ezechiam calumniabatur dicens, Ecce confidis Ægypto, et Pharaoni Regi Ægypti, qui fidentibus sibi, et sperantibus in se, quovis inimico deterior est, nesciens pacta servare cum iis qui ad ipsum confugiunt : quare similem ait esse virgæ calami, quæ simul natura fragilis, et iis qui ipsi innituntur noxia est. « Quod si dicitis, in Domino Deo nostro confidimus : annon ipse est, cujus excelsa sustulit Ezechias, et » altaria ejus; et dixit Judæ et Jerusalem, coram altari » isto adorate[3] ? » Non ignorabant enim inimici, Ezechiam et qui cum eo erant, precibus ac piis sermonibus ad superandum opus habere. Hæc ipsa criminando dicit dux Assyriorum, Ezechiam quasi præsentem alloquens : cui Ezechias et qui cum eo erant hæc jure reposuerint, « Hi in curribus, et hi in equis; nos autem in nomine Dei nostri invocabimus[4]. »

« Nunc adjungite vos domino meo regi Assyriorum, et » dabo vobis duo millia equorum, si poteritis dare sessores » eorum. Et quomodo potestis stare in conspectu topar- » charum ? Domestici sunt, qui Ægyptiis confidunt. Et » nunc absque Domino ascendimus in terram hanc ? Do- » minus dixit mihi, ascende in terram hanc, et disperde » eam[5]. » Argumentum, inquit, manifestum est, hæc jussu Dei peracta fuisse, quod ille Samariam expugnaverit, et

[1] Isa., XXXVI, 4. — [2] Ib., 5 et 6. — [3] Ib., 9. — [4] Psal. XIX, 8. — [5] Isa., 8, 9 et 10.

universum Israelem captivum abduxerit. Quemadmodum enim eos, qui fratres vestri sunt, non aliter quam Deo volente, cepi, ita et ejus nutu vos capiam. Hæc porro sive ex veri similitudine dicebat, hinc conjectura ducta, quod eum, qui populus Dei vocabatur, Israelem dico, expugnasset; sive quod revera sentiret, a Deo se ad Judæorum terram invadendam, immissis cogitationibus instigari, ob mala et scelera ab ipsis perpetrata.

« Et dixit ei Eliacim, et Somnas, et Joach, loquere ad » servos tuos Syriacè: audimus enim nos, et ne loquere ad » nos Judaïce. Et quid loqueris in aures hominum, qui » stant supra murum[1]? » Notandum est, hic memoratorum hominum, videlicet Eliacim et Somnæ, etiam in præmissis mentionem a Propheta factam esse, cum de valle Sion sermo haberetur. Hic porro ea observatione est opus, ut huic historiæ, prophetiæ illius sermones adaptemus. Aiunt autem Hebræi, hunc Somnam ad Assyrium postea transfugisse, ac cum aliis ipsi dexteram contulisse, ejus formidine permotum: atque ideo ea, quæ superius in prophetia continentur, de illo dicta fuisse.

« Et dixit ad eos Rabsaces, num ad Dominum vestrum, » aut ad vos misit me Dominus, ut loquar sermones istos? » nonne ad homines qui sedent supra murum, ut comedant » stercus, et bibant urinam vobiscum simul? et stetit Rab- » saces, et clamavit voce magna Judaice, et dixit: Audite » sermones regis magni, regis Assyriorum. Hæc dixit rex, » ne vos decipiat Ezechias verbis: non poterit liberare vos. » Et ne dicat vobis Ezechias, quia liberabit vos Deus, et » nequaquam tradetur civitas hæc in manum regis Assyrio- » rum. Nolite Ezechiam audire. Hæc dicit rex Assyriorum, » si vultis benedici, egredimini ad me, et comedite unus- » quisque vineam suam, et ficus, et bibite aquam ex lacu

[1] Isa., XXXVI, 11.

» vestro; donec veniam et assumam vos in terram, quæ est » tanquam terra vestra, terra frumenti, et vini, et panum, » et vinearum. Ne decipiat vos Ezechias dicens, Deus li- » berabit nos. Num liberarunt dii gentium, unusquisque » regionem suam de manu regis Assyriorum? ubi est Deus » Emath, et Arphath? et ubi Deus civitatis Ecpharvaïm? » an potuerunt eripere Samariam de manu mea[1]? » Nihil differre putans Deum Jerosolymæ cultum, ab iis qui apud cæteras errore ductas gentes dii esse existimabantur. Gradatim porro barbarus ille suam Deo inimicam linguam instruxit; ac primo quidem adversus sanctum virum mentitus est, eum Ægypto fidere dictitans; deinde ejus adhortationes solvere et confutare conatus est, quieis multitudinem ad fiduciam in Deo ponendam invitabat, vires ejus traducens ac contemnens, quod equitatu non valeret; postea se Deo jubente ascendisse dicebat, quo populum ut a Deo proditum, perterrefaceret; sub hæc pollicitationibus fructuosarum vinearum, et aliorum quæ bona æstimantur, est usus; demum hæc sibi inutilia esse animadvertens, execrandam linguam aperit, qua impias protulit voces. Verum impietatis pœnas dedit, cum Angeli manu exercitus ejus funditus deletus est.

« Et tacuerunt, et nemo respondit ei verbum, quod » prohibuisset Rex, ne quisquam ipsi responderet. Et in- » gressus est Eliacim filius Chelciæ æconomus, et Somnas » scriba exercitus, et Joach filius Asaph a commentariis » ad Ezechiam, scissis tunicis, et renuntiaverunt ei ser- » mones Rabsacis[2]. » Non convenit enim pio, cum blasphemo homine colloqui, ne is concitatus in alia blasphema dicta delabatur : oportet solum homines ceu armis quibusdam communitos esse, ac silentio undique sese

[1] Isa., XXXVI, 12, 13, 14, 15, 16, 17, 18, 19 et 20. — [2] Ib., 21 et 22.

legere, veros apud se sermones occultantes, ac Dei contra blasphemos judicium exspectantes. Cum hæc jussa Rex prudenter dedisset, populi præfecti mandatum ejus exequebantur : quod item præstandum nobis est persecutionis tempore, necnon in communibus impiisque blasphemorum colloquiis.

CAPUT XXXVII.

« Et factum est cum audiret rex Ezechias, scidit vesti» menta, et saccum induit : et ascendit in domum Do» mini[1]. » Præter alia igitur Ezechiæ proba facinora, virtutis exercitium, majorisque religionis argumentum, Deo procurante, nactus ille est : qui bellico quidem apparatu, quo ille conspicuus erat, et omnibus ad bellum necessariis, ut præclarum ducem decebat, instructus, Deo tamen omnia commissit, ac subditæ sibi plebi religiosæ doctrinæ præcepta tradidit. Et saccum induit, luctus et afflictionis signa assumens, atque hoc habitu a regia domo ad Templum Dei, per mediam urbem incedens, se contulit, seseque humilem Deo sistens, vel ipso habitu misericordiam ejus provocabat. « Et misit Eliacim œconomum, et » Somnam scribam, et seniores sacerdotum indutos saccis, » ad Hesaïam filium Amos Prophetam[2]. » Alios quippe ex sacerdotibus Dei, loco sacerdotalium vestium saccis indutos, ad Hesaïam Prophetam mittit, dicereque jubet, Hæc di-

[1] Isa., XXXVII, 1. — [2] Ib., 2.

cit Ezechias; neque addidit, rex: neque enim temporis conditio id illi, præsenti calamitate dejecto, dicere permittebat.

« Et dixerunt ei, Hæc dicit Ezechias, Dies afflictionis » et opprobrii, et redargutionis, et iræ dies hodierna, quia » venit dolor parturienti, nec habet vires pariendi. Audiat » Dominus Deus tuus verba Rabsacis, quæ misit rex Assy- » riorum, ut exprobraret Deo viventi, et exprobraret ver- » bis, quæ audivit Dominus Deus tuus, et deprecaberis » Dominum tuum pro derelictis istis[1]. » Ideo ad te virum Dei legatos misimus, per te nobis Deum tuum adjutorem hoc tempore adesse obsecrantes, quem ne quidem Deum nostrum vocare audemus; sed Deum et Dominum tuum esse probe novimus. Huic ergo ipsi supplicamus, ne scelera nostra respiciat, neque peccatorum nostrorum memoriam retineat, sed impiis inimici vocibus et tantæ superbiæ attendat.

« Et venerunt pueri regis Ezechiæ ad Hesaïam, et dixit » illis Hesaïas, Sic dicetis ad Dominum vestrum, Hæc di- » cit Dominus, Ne metuas a sermonibus, quos audisti quos » exprobraverunt mihi legati regis Assyriorum. Ecce ego » immittam in eum spiritum, et audito nuntio revertetur in » regionem suam, et cadet gladio in terra sua[2]. Ubi primum autem accesserunt, sermonem eorum prævertens Hesaias, allatam prophetiam renuntiare jussit; qua spiritum, inquit, immittet in eum, a quo spiritu deceptus revertetur in terram suam, ubi, gladio vitam finiet « Et reversus est Rab- » saces, et deprehendit regem Assyriorum obsidentem Lob- » nam. Et audivit quod profectus esset de Lacthis et agres- » sus esset Tharaca rex Æthiopum, ut obsideret eum: et au- » diens reversus est. Et misit nuntios ad Ezechiam dicens, » Sic dicetis Ezechiæ regi Judeæ: Non te decipiat Deus tuus, » cui confidis, dicens, Non tradetur Jerusalem in manum regis

[1] Isa., XXXVII, 3 et 4. — [2] Ibid. 5, 6 et 7.

» Assyriorum. Tu non audivisti quæ fecerunt reges Assyriorum? Quomodo terram omnem perdiderunt, et tu erueris? » Num eruerunt eos dii gentium, quos perdiderunt patres mei, » Gozan, et Charran, et Rapheth, quæ sunt in regione Themath? Ubi sunt reges Embach et ubi Arphath? ubi civitatis » Eppharvaïm, Anagugana? Et sumpsit Ezechias librum a » nuntiis, et legit eum, et ascendit in domum Domini, et » aperuit eum coram Domino. Et oravit Ezechias Dominum, » dicens, Domine exercituum, Deus Israel, qui sedes super » Cherubim[1]. » Ezechias vero, quemadmodum et prius, nunc etiam maturavit ad domum Dei, unique Deo epistolam ostendit. Deinde vero supplicationem orando emisit, illum solum, et non alium, Deum esse dicens.

« Tu es Deus solus omnis regni terræ: tu fecisti cœlum et » terram. Inclina Domine aurem tuam: exaudi Domine: aperi » Domine oculos tuos, respice Domine, et vide sermones Sennacherim, quos misit, ut exprobraret Deo viventi. In veritate enim, Domine, vastarunt reges Assyriorum orbem » universum, et regionem eorum, et injecerunt idola eorum in ignem. Non enim dii erant, sed opera manuum » hominum, ligna et lapides: at pepulerunt eos. Nunc autem Domine Deus noster salva nos de manu ejus; ut cognoscat omne regnum terræ, quia tu es Deus solus. Et » missus est Hesaïas filius Amos ad Ezechiam[2]. » Rex quidem Ezechias, utpote religiosus, in domum Dei concessit, ubi jam descriptam orationem emisit; Deus autem misso ad eum Hesaïa Propheta, ipsi respondet: secundum vero ipsi oraculum dedit, docens se sermonem orationemque ejus exaudisse.

« Et dixit ei, Hæc dicit Dominus Deus Israël, audivi » quæ precatus es me super Sennacherim rege Assyriorum.

[1] Isa., XXXVII, 8, 9, 10, 11, 12, 13, 14, 15 et 16. — [2] Id., 17, 18, 19, 20 et 21.

» Hic est sermo quem locutus est de illo Deus, Contemp-» sit te, et subsannavit te, virgo filia Sion[1]. » Ego vero dico tibi ne temetipsum decipias : non enim virtute tua hos omnes superasti. Ego autem eram qui hæc contra eos definieram, etiamsi tu id minime agnosceres, atque ab initio consilium meum non audires. Atenim jam inde ab antiquis temporibus hæc contra irreligiosas et impias gentes per te effici decreveram. Nunc autem ipsis operibus consilium aperui meum, cum te ad eorum qui supplicio digni sunt, perniciem excitavi : atque te quasi signo usus sum ad vastandas gentes et ad pellendos eos qui munitas urbes incolunt, quas quidem urbes prius custodiebam et servabam; postquam autem illi servatorem non agnoscentes suum, impietati se dediderant, manus remisi meas, eosque tibi ad supplicium tradidi. Illi vero inspectione mea orbati, statim deserti sunt. Quare subdit. « In te caput » movit filia Jerusalem. Cui exprobrasti, et quem irritas-» ti? aut adversus quem sustulisti vocem tuam? et non le-» vasti in altum oculos tuos ad sanctum Israel, quoniam » per nuntios exprobrasti Domino. Tu enim dixisti, In mul-» titudine curruum ego ascendi in verticem montium, et » in ultima Libani, et succidi fastigia cedri ejus, et pul-» chritudinem cypressi : et ingressus sum in altitudinem par-» tis saltus[2]. » His porro subindicat sublimia illa et conspicua in reliquis gentibus regna. Magna quippe illa Libani multitudo in altissimis cedris et cypressis, sive secundum Symmachum, *juniperis ;* sive secundum Aquilam, *abietibus*, ad imaginem et figuram gentium tunc prospere agentium usurpavit.

« Et posui pontem, et vastavi aquas, et omnem con-» gregationem aquæ. Nonne ea audisti olim, quæ ego fe-» ci? Ab antiquis diebus constitui; nunc autem ostendi me

[1] Isa., XXXVII, 22. — [2] Id., 23, 24 et 25.

» vastare gentes in fortibus, et eos, qui habitant in civita » tibus munitis. Remisi manus, exaruerunt, et fuerunt tan- » quam fœnum aridum in tectis, et tanquam gramen. Nunc » autem requiem tuam, et exitum tuum, et ingressum » tuum ego novi. Ira autem tua, qua iratus es, amaritudo » tua, ascendit ad me. Et injiciam circulum in nares tuas, » et frenum in labia tua: et avertam te ea via, qua ve- » nisti[1]; » ut ne quocumque volueris abeas, sed vel invitus retrocedere cogaris: qua enim huc venisti, eadem te discedere via opus erit, ut ne talia loqui audeas. Verum etiamsi memorata de causa non cum multitudine perierit, ob quam etiam Pharao, reliquis Ægyptiis supplicio affectis, spectator reservabatur: attamen in terram reversus propriam, filios parricidas invenit.

« Hoc autem tibi signum: comede hoc anno, quæ se- » minasti; anno autem secundo, quod residuum erit; ter- » tio, seminantes metite, et plantate vineas, et comedite » fructum earum[2]. » Si vero ad sermonum meorum confirmationem signo tibi sit opus; scito te hoc anno sponte nascentibus ex terra fructibus victurum esse; quod non potuerit regio, inimicis irrumpentibus, pro more solito excoli. « Et erunt reliqui in Judea, producent radicem de- » orsum, et facient semen sursum, quia ex Jerusalem erunt » residui, et salvati de monte Sion. Zelus Domini Sabaoth » faciet hæc. Propterea sic dicit Dominus in regem Assy- » riorum, Non intrabit in civitatem hanc, neque jaciet » in eam sagittam, neque immittet in eam clypeum, ne- » que circumdabit eam vallo[3]. » Scientes, vos, post abductum in captivitatem Samariæ populum in Judæa derelictos, cum pace acturos esse, si ad placitum meum firmam pietatis radicem in anima vestra ponentes, fructum

[1] Isa., XXXVII, 26, 27, 28 et 29. — [2] Id., 30 et 31. — [3] Id., 31-33.

agricultura dignum, ad me spectantem, attuleritis. « Sed » qua via venit, eadem revertetur, et in hanc urbem non » ingredietur. Hæc dicit Dominus, Protegam civitatem hanc, » ut servem eam propter me, et propter David servum » meum [1]. » Id enim mihi, ut Deo, congruens est. Quare id propter me agam; sed non quod illi qui juvantur auxilio digni sint.

« Et egressus est Angelus Domini, et interfecit ex cas- » tris Assyriorum centum octogenta quinque millia : et sur- » gentes mane, invenerunt omnia cadavera. Et reversus » abiit Sennacherim rex Assyriorum, et habitavit in Ninive: » et cum adoraret in domo Nasarach patronum suum, » Adramelech et Sarasar filii ejus percusserunt eum gladiis. » Ipsi vero confugerunt in Armeniam, et regnavit Asor- » dan filius ejus pro eo [2]. » Nec multo post has editas voces res perhorrenda divinitus accidit, non humanæ facultatis, myriades virorum unius Angeli manu cæsæ repertæ sunt: tantus enim ille Angelus erat, ut judicio Dei ministraret, et tantam hostium multitudinem interficeret, ut rex illorum experimento disceret se contra Deum blasphema protulisse. Ea de causa, tot tantisque pereuntibus aliis, ipse cum illis non periit, ut gestæ rei spectator effectus, impiam linguam frænaret.

[1] Isa., XXXVII, 34 et 35. — [2] Id., 36, 37, 38.

CAPUT XXXVIII.

« Contigit autem eo tempore, ut ægrotaret Ezechias » usque ad mortem : et venit ad eum Hesaïas filius Amos » propheta, et dixit ei, Hæc dicit Dominus, Dispone domui » tuæ : morieris enim tu, et non vives. Et convertit Eze- » chias faciem suam ad parietem, et oravit Dominum di- » cens, Memento, Domine, quomodo ambulaverim coram » te in veritate, in corde sincero, et placita in conspectu » tuo fecerim. Et flevit Ezechias fletu magno [1]. » Qui dixit Deus, « Ego occidam, et ego vivere faciam; percutiam et » ego sanabo [2]; » cum per unum Angelum hostes justo judicio percussisset, religiosum regem ad incoluminatem et vitam revocat, ac per se eum a morte eripit. Pulchre igitur isthæc enarrat dicens, « Eo tempore ægrotavit Ezechias » usque ad mortem; vel ut Aquila habet, *ad moriendum;* » aut ut reliqui interpretes, *ad mortem.* » Nam eo tempore, quo jam recensita perpessi sunt Assyrii, Ezechiæ mortis tempus adfuit. Cum porro vellet Deus ipsum incolumem servare, non in obscuro reliquit, qui finis infirmitatis ejus futurus esset. Quapropter adipiscendæ salutis occasionem præbens, infirmitatis exitum ei per Prophetam declaravit, ut, accepto rei nuntio, precaretur, precibusque vitæ suæ additamentum impetraret, etiam post definitum sibi mortis tempus : ut hinc edoceamur, non necessitate et fato

[1] Isa., XXXVIII, 1, 2 et 3. — [2] Deut., XXXII, 39.

duci vitam humanam, neque immutabile mortis tempus hominibus destinatum esse. Deus enim, qui omnia moderatur, et vitæ mortisque causa est; qua ratione ipse novit singulos qui ad vitam accedunt, hoc vel illo tempore producit, annos vitæ pro libito assignat, et alio sive alio mortis genere tollit. Ipsiusque tantum facultatis est, vel eos, qui ad ipsam, ut ita dicam, mortis januam devenerunt, ad sanitatem revocare; ita ut jam Ezechiam ex mortali ægritudine eruerit, ac quindecim annorum accessionem attulerit: qui etiam alios post mortem reviviscere fecit, ut divina Scriptura testificatur. Hinc itaque fati ratio et necessitas penitus solvitur; quippe cum Deus universorum necessitatem ac substantiam et naturam omnem moderetur. His conspectis Ezechias, ubi corpore sanus fuit, ad templum Dei maturavit, ibique Deum rogavit, ut sui et populi et civitatis servator esset. Cum autem jam premente morbo id præstare non posset, ex ipso lecto orationem Deo emisit, persuasum habens, Deum ubique esse, ac religiosum quemque virum exaudire.

« Et factum est verbum Domini ad Hesaïam dicens, » Vade, et dic Ezechiæ, Hæc dicit Dominus Deus David patris tui[1]. » Patrem autem ejus Davidem vocabat Deus, supremum de illo testimonium ferens, quod scilicet ob morum similitudinem dignus esset, qui sibi talem religiosum patrem ascriberet. « Audivi orationem tuam, et vidi lacry- » mas tuas. Ecce adjicio ad tempus tuum annos quindecim » et de manu regis Assyriorum eruam te et civitatem » hanc[2].» Quia orationis non loquacitatem præferentis verba divinis auribus digna erant; et quia lacrymarum vis congruenti et necessario tempore emissa, inspectionis divinæ oculos ad ipsum alliciebat; ideo Deus ipsi annuit, accessionem vitæ concedens, opereque declarans, non ex inor

[1] Isa., XXXVIII, 4 et 5. — [2] Ib., 6

dinata naturæ lege, neque ex inevitabili necessitate, mortem hominibus destinatam esse. Non modo autem annos vitæ, sed etiam ex munificentia, utpote Deus, tranquillam ipsi et pacatam vitam pollicetur, ac tum ipsum, tum populum ejus et civitatem de manibus inimicorum crepturum se promittit: ut vero dictis fidem adderet, signum alterius stupendæ rei ipsi præstitit.

« Hoc autem tibi signum a Domino, quoniam facturus est » Dominus verbum istud. Ecce ego vertam umbram gra- » dum, quos ascendit sol decem gradibus domus patris tui. » Avertam solem decem gradibus: et ascendit sol decem » gradibus, quibus descendit umbra[1]. » Et signum quidem illud etiam admirabile erat, quod Ezechias ab occasu vitæ ad aliam vitam remigraret.

Oratio Ezechiæ regis Judææ, cum ægrotavit et ex morbo convaluit[2].

« Ego dixi in excelso dierum meorum, Vadam ad portas » inferi: relinquam annos residuos[3]. » Cum me jam mortis januis proximum esse sciam de vita mea inter homines desperavi. « Dixi, Non amplius videbo salutare Dei in terra, non amplius videbo hominem[4]. » Anxius de iis quæ decessum ex hac vita consequentur, jure pietatem erga Deum suam ipsi Deo in memoriam revocat; fletibus autem ne e regione viventium excideret, precabatur. Illud etiam præter cætera Ezechiam dolore afficiebat, quod nullus ex semine suo successor adesset, quandoquidem quo tempore istæc proferebat, nullum adhuc filium susceperat. Quia igitur filiis orbus moriturus, nec successorem relicturus erat, ex quo salutare Dei hominibus venturum expectaretur, merito Christi ex semine David ortu privatus, lamentabatur.

[1] Isa., XXXVIII, 7 et 8. — [2] Ibid., 9. — [3] Ibid., 10. — [4] Ib., 11.

« Defecit a cognatione mea : defecit quod reliquum est » vitæ meæ. Abiit et recessit a me, sicut solvit tabernaculum, qui construxit. Sicut tela spiritus meus factus est » apud me, mox a texente succidenda [1]. » Tabernaculum vocat corpus, inhabitantem dicit animam, qua recedente, corpus soluto tabernaculo simile est. Tabernaculum vero corpus appellat, quia divinus item Apostolus tabernaculum ipsum vocavit. Verum etiam sicut tela quæ a texente succiditur, sic et vitæ meæ textura ad finem vergit, mox succidenda. Singuli igitur homines per gesta et opera sua vestem sibi texunt, et ornatum animæ suæ circumponunt.

« In de illa traditus sum usque mane veluti leoni, sic » contrivit omnia ossa mea. A die enim usque ad noctem » traditus sum [2]. » Traditus sum ceu leoni cuidam homines devoranti, qui quasi per illatam mihi infirmitatem, tota die et nocte contrivit omnia ossa mea; parumque abfuit, quin me totum devoraret. « Sicut hirundo, sic clamabo, et sicut » columba, sic meditabor. Defecerunt enim oculi mei, ut » ne aspicerem celsitudinem cœli ad Dominum.» Attamen in hac rerum conditione, non infirmatus sum, nec a Deo meo recessi, sed fide speque bona meipsum confirmans fletibus et orationi me dedi; me vero assidue orante, atque precibus apud Deum insistente, ipse eruit me, et abstulit dolorem animæ meæ. Ille, inquam, nihil cunctatus, eruit me, et sustulit dolorem animæ meæ: ac si videlicet promissis fidem adderet quæ sanctis suis dedit his verbis, » Adhuc te loquente, dicam, Ecce adsum, Domine, de » ipsa quippe renuntiatum est tibi: et excitasti spiritum » meum, et consolatus vixi [3]. » Non quod iis dignus essem : nam peccatis multis plenus eram, sed ex misericordia et clementia tua hæc adfuerunt.

[1] Isa., XXXVIII, 12. — [2] Id., 13. — [3] Id., 14 et 55.

« Eruisti enim animam meam, ut non periret, et pro-» jecisti retro me omnia peccata mea. Neque enim qui in » inferno sunt laudabunt te, neque qui mortui sunt, benedi-» cent tibi, neque sperabunt, qui in inferno sunt, misericor-» diam tuam : qui vivunt benedicent tibi, sicut et ego. Ab » hoc enim die filios edam, qui annuntiabunt justitiam » tuam [1]. » Impiorum siquidem locus est infernus : quapropter cum anima mea illo erepta sit, Deo lætus gratias refero. Regio autem eorum qui apud Deum vivunt, eos qui ipsum laudant excipiet : ubi me demum futurum esse confido, gratia tua id mihi concedente. « Deus salutis meæ, neque » desinam laudare te cum psalterio cunctis diebus vitæ meæ » in conspectu domus Dei [2]. » Tibi semper adstans, et a sanctuario nunquam recedens, te assidue laudabo.

« Et dixit Hesaias Ezechiæ, Sume tibi massam ficuum, » et tere, et emplastrum impone vulneri, et sanus eris [3]. » Docens non prorsus respuenda esse illa, quæ ab hominibus ad medelam corporis excogitantur : itemque illis utendum esse, quandoquidem Propheta id agendum esse monuit. Reliqui vero omnes, *ulcus* vocarunt, quod a massa ficuum curatum est : at non ulcus erat primùm, sed infirmitas et ægritudo ad mortem. Quare pro illa quidem ægritudine, fletus, preces et Dei visitatio in remedium assumebatur; pro ulcere autem speciatim, corporea quædam medela, quam Propheta subministravit. « Et dixit Ezechias : Hoc » signum ad Ezechiam, quod ascensurus sim in domum » Dei [4]. »

[1] Isa., XXXVIII, 16, 17, 18 et 19. — [2] Ib., 20. — [3] Id., 21. — [4] Id., 22.

CAPUT XXXIX.

« In tempore illo misit Marodach Baladan, filius Baladan » rex Babyloniæ, epistolas et legatos et munera ad Eze- » chiam: audierat enim quod ægrotasset usque ad mortem, » et quod convaluisset. Et gavisus est super his Ezechias, et » ostendit eis domum Nechotha, et argenti, et auri, et » stactæ, et thymiamatum, et unguenti, omnes domos va- » sorum gazæ, et omnia quæcumque erant in thesauris suis. » Neque quidquam fuit, quod non ostenderet ei Ezechias » in domo sua, et in omni potestate sua [1]. » Percontantibus nobis, ac disquirentibus ea, quæ ad hæc loca pertinent, dixit Judæorum Doctor, ideo ægrotasse Ezechiam, quod canticum Deo non cecinisset in gratiarum actionem, ob Assyriorum cædem; quemadmodum Moyses cecinit super exitio Ægyptiorum, et Debora de pernicie Sisaræ, et Anna de ortu Samuelis; Ezechiam vero, cum id non præstitisset, in morbum incidisse: tuncque Babylonium, accepto restitutæ valetudinis ejus nuntio, ad eum legatos misisse, non sine causa; sed quod dies illa qua solis retrogressio contigit, horas duplicasset: neque id latuisse Babyloniis, in astronomiæ disciplina peritissimis. Qui quoniam, cum solem pro Deo haberent, animadvertebant eum a potentiore quadam virtute retrocedere coactum fuisse; ideo hujusce rei causam sciscitatum venerunt. Hinc quia re cu-

[1] Isa., XXXIX, 1 et 3.

riosius perquisita edidicerunt magnum esse Deum Hebræorum, universique mundi conditorem, et regis Ezechiæ morbum noverunt, cujus causa tantum miraculum editum fuerat; tanto prodigio, ut consentaneum erat, perculsi, fœdus et amicitiam cum Ezechia, utpote religioso viro, inire voluerunt. Hæc Hebræus ille. Ego vero compertum habeo hæc omnia uno eodemque anno contigisse; videlicet Assirii irruptionem contra Judæam, immissam ab Angelo Dei contra Assyrium plagam, Sanacherimi fugam, perpetratum a filiis ejus parricidium, ac demum filii et successoris ejus interitum, qui hic tacetur. Quod autem hæc uno eodemque anno contigerint, facile deprehendas, si animadverteris, Assyrii irruptionem anno decimo-quarto regni Ezechiæ accidisse, Ezechiam vero totos viginti novem regni annos emensum obiisse, ex quibus quindecim anni ipsi post morbum adjecti fuerant. Hinc porro consequitur, tum morbum, tum cætera, que morbum præcessere, anno eodem quarto decimo contigisse. Horum igitur omnium fama, ad fœdus et amicitiam cum Ezechia ineundam regem Babyloniorum induxit, ita ut ipsi et munera et legatos et epistolas mitteret.

« Et venit Hesaïas propheta ad regem Ezechiam, et di-
» xit ei, Quid dicunt homines isti? et unde venerunt ad
» te? Et dixit Ezechias, ex terra longinqua venerunt ad
» me Babylone. Et dixit Hesaïas, Quid viderunt in domo
» tua? Et dixit Ezechias, omnia quæ sunt in domo mea,
» viderunt neque est mihi quidquam domi, quod non
» viderint: sed etiam quæ in thesauris meis sunt. Et di-
» xit Hesaïas, Audi verbum Domini Sabaoth: Ecce dies
» veniunt, et sument omnia, quæ in domo tua sunt, et
» quæcumque congregaverunt patres tui in hunc usque
» diem, in Babylonem venient, neque quidpiam relinquent.
» Dixit autem Deus, Etiam ex filiis tuis, quos gignes, acci-

»pient, et facient eos spadones in domo regis Babylonio»rum. Et dixit Ezechias Hesaïæ, bonus est sermo Domini, »quem locutus est : Fiat vero pax et justitia in diebus »meis[1]. » Quibus auditis Ezechias, reverenter quidem et pie omnia quæcumque locutus fuerit Deus, quamtumvis tristia esse hominibus videantur, bona esse respondit. Qua de re iterum Hebræus, non Deo acceptum Ezechiæ propositum fuisse dicebat. Nam quod pro se tantum precaretur, populi vero rationem nullam haberet, id sane videri apud Deum non culpa vacare : quæ causa sit, ut Propheta mox subjungat, « Consolamini populum meum, dicit »Deus. » Etiamsi enim hic proprio ductus amore, de se tantum sollicitus precetur, nullamque populi mentionem faciat; at Deus suo prospiciens populo, præcipit ut qui huic negotio pares sint, populum suum consolentur.

CAPUT XL.

—

« Consolamini, consolamini populum meum, dicit Deus. »Sacerdotes, loquimini ad cor Jerusalem : consolamini »eam[2]. » Quinam ii sint, qui populum consolari jubentur, accurate disquirere operæ pretium fuerit : necnon quid sit cor Jerusalem, et quænam illa Jerusalem sit æstimanda, quæ ceu animal quoddam cor habeat. Nam hic animata et rationabilis esse declaratur, cum dicitur, « Loqui»mini ad cor Jerusalem. » Ac dici forte posset, Jerusalem populum ipsam incolentem significare, ut plerumque urbs

[1] Isa., xxxix, 3, 4, 5, 6, 7 et 8. — Id., xl, 1 et 2.

pro populo dicitur; verum hic ipse quoque populus memoratur his verbis, « Consolamini populum meum; » ac postea seorsim subjungit, « Loquimini ad cor Jerusalem. » Quinam porro sint qui consolari jubentur, et quis populus ille, quem consolantur, quid item sit cor Jerusalem, jam expendendum est. Consolatores sane fuerint, qui Spiritum consolatorem acceperunt, nimirum Apostoli, Discipuli Salvatoris nostri, Evangelistæ, et iis similes, quibus Servator dicebat, « Ego rogabo Patrem, et alium Paraclitum dabit » vobis, ut sit vobiscum in æternum, Spiritum veritatis; » ac rursum, « Cum autem venerit Paraclitus, Spiritus sanc- » tus, quem mittet Pater meus, ille vos docebit omnia, » et cetera. Quotquot igitur Spiritum sanctum acceperunt, populum Dei consolari jubentur; sed non Israelem, non Jacobum, non Judam Ut autem populum Dei intelligendum esse commonstratum est, ita et cor Jerusalem intelligatur oportet, pro populi scilicet ordine et parte præstantiore. Quemadmodum enim in corpore, cor præstantissimum omnium est; ita et in Ecclesiæ corpore, præstantissima portio jure dicatur esse eorum, qui ratione, prudentia, mente et cogitandi vi cæteris antecellunt. Cum ergo dicitur, « Loquimini ad cor Jerusalem, » sic dictum accipias, ac si clarius ita loqueretur, Loquimini iis e populo Dei, qui intelligentia et ratione præstantiores sunt. Hos itaque alloqui jubentur Sacerdotes; residuum vero populum consolari præcipiuntur, utpote qui consolatione opus habeat.

« Quia repleta est humiliatio ejus : solutum est pecca- » tum illius, quoniam suscepit de manu Domini duplicia » peccata sua. » Par est ut demum consolationem obtineat, ob illucescentem toti humano generi novi Salvatoris adventum. Duplex vero supplicium cordi Jerusalem inflictum

[1] Joan., xiv, 16.

dicas: tum quia secundum historiam memorati homines ab alienigenis gentibus oppressi, in partem calamitatis populi veniebant; tum quia secundum mentem de multitudinis abjectione flentes ac multorum perniciem et exitium lugentes, sese macerabant: quin etiam secundo obsessa Jerosolyma, ita ut templum ejus solo æquaretur, duplex scelerum ab se perpetratorum supplicium luit.

« Vox clamantis in deserto, Parate viam Domini, rectas » facite semitas Dei nostri[1]. » Aperte declarat ea, quæ in vaticinio feruntur, non Jerosolymæ, sed in deserto gerenda esse; nempe quod futurum sit, ut gloria Domini appareat, et salutare Dei in omnis carnis notitiam veniat. Et hæc quidem secundum historiam et ad verbum tunc impleta sunt, cum Joannes Baptista salutarem Dei adventum prædicavit in deserto Jordanis, ubi salutare Dei visum fuit. Nam tunc Christus ejusque gloria omnibus innotuit, cum ipso baptizato, aperti sunt cœli, et Spiritus sanctus in columbæ specie descendens, super eo insedit, paternaque vox delata est, Filio testimonium reddens, « Hic est Filius » meus dilectus, ipsum audite[2]. » Hæc quippe dicebantur, quia Deus in desertum, a sæculo impervium et inaccessum, adventurus erat. Erant porro gentes omnes, Dei cognitione vacuæ, a quarum aditu omnes justi Dei ac Prophetæ arcebantur. Quamobrem jubet vox illa, viam parare Dei Verbo, et inviam asperamque complanare, ut eo adveniens Deus noster progredi valeat. Parate viam Domini; ea est Evangelica prædicatio, novaque consolatio, quæ salutare Dei in omnium hominum notitiam venire exoptat.

Deinde vero, in profundo malitiæ depressas animas excitat, his additis verbis, « Omnis vallis implebitur[3]. » Superbis vero illis animabus, quæ contra Dei cognitionem sese erigebant, contrarium eventurum esse docet his ver-

[1] Isa., XL, 3. — [2] Matth. III, 17. — [3] Isa. XL, 4.

bis, « Et omnis mons et collis humiliabitur; » sed etiam, inquit, erunt « omnia tortuosa in rectam, et aspera in plani» ties. » Hic asperam animam planam effici jubet, ut adventum Dei excipere valeat. « Et videbitur gloria Domini, et » videbit omnis caro salutare Dei, quia Dominus locutus » est[1]. » Caro autem erant homines omnes, qui solummodo carnei, Spiritus sancti participes nullatenus erant quia Dominus locutus est : mentiri enim nequit is qui promisit.

« Vox dicentis, Clama. Et dixi, Quid clamabo? Omnis » caro fœnum, et omnis gloria hominis, sicut flos fœni. » Exaruit fænum, et flos decidit : verbum autem Dei nos» tri manet in æternum[2]. » Hæc quippe universæ carnis natura est, necnon hominis imaginem terreni ferentis, videlicet corpus animantis, et secundum carnem viventis : nam perinde atque fœnum terræ, ac speciosi flores, ad breve tempus floret, et decore nitescit, nec diu postea, ob infirmam et fluxam naturam marcessit, quod his verbis Scriptura docet, « Exaruit fœnum, et flos decidit. »

« Super montem excelsum ascende, qui evangelizas » Sion. Exalta in fortitudine vocem tuam, qui evangelizas » Jerusalem[3]. » Hæc præmissorum sententiæ apprime conveniunt, atque opportune Evangelistarum mentionem faciunt et adventum Dei ad homines annuntiant, postquam de voce in deserto clamante sermo habitus est. Etenim prophetiam de Joanne Baptista, Evangelistarum mentio congruenter sequebatur. Quænam igitur hæc Sion est, nisi quæ antea Jerusalem vocabatur? Nam et ipsa mons erat, quod declarat Scriptura illa quæ dicit, « Mons Sion hic, in quo habitasti[4]; » et Apostolus, « Accessistis ad Sion montem[5]. » Num forte chorus Apostolicus ex prisco populo ex circumcisione delectus, hac

[1] Isa. XL, 5. — [2] Id., 6, 7 et 8. — [3] Id., 9. — [4] Psal. LXXIII, 3. — [5] Hebr., XII, 22.

ratione significatur? Hæc enim Sion et Jerusalem est, quæ salutare Dei accepit, quæ et ipsa monti Dei, videlicet unigenito Verbo ejus, sublimis imponitur : quam jubet, conscenso monte sublimi, salutare verbum annuntiare. Quis autem ille est, qui evangelizat, nisi Evangelicus chorus? Quid est evangelizare? universis hominibus, et ante omnes, civitatibus Juda, Christi in terram adventum prædicare. « Attollite, nolite timere. Dic civitatibus Juda, Ecce »Deus noster[1]; » Judaïcis videlicet synagogis, advenisse eum, quem olim Prophetæ apud homines peregrinaturum annuntiabant, Deum, ipsumque Dominum, qui jamdiu ab illis expectabatur.

« Ecce Dominus, Dominus cum fortitudine venit, et »brachium ejus cum dominatione; »ac si apertius diceret, cum imperio et auctoritate. « Ecce merces ejus cum eo, »et opus in conspectu illius. » Hæc quidem de secundo Christi adventu, quo cum gloria venturus est, redditurus uniquique secundum opera sua. Id igitur, utpote dominator et dominus, cum fortitudine et cum memorato brachio suo præstabit. « Sicut pastor pascet ovile suum [2]. »Id in primo ejus adventu impletum est, quando « Humilians se»metipsum, et formam servi accipiens, » pascebat ovile suum, sive secundum Symmachum, « Gregem suum pas»cebat. » Non enim tanquam Dominus cum fortitudine, neque tanquam brachium proprio dominatu et auctoritate instructum; sed sicut pastor, ait, pascet gregem suum. Quod etiam ipse testificabatur in Evangeliis, hæc dicens, « Ego sum pastor bonus, et cognosco meas, et cognoscunt »me meæ, et animam meam pono pro ovibus [3]. »

« Et brachio suo congregabit agnos, et prægnantes con»solabitur. » Agnos, recens natos, et in Christo regeneratos appellat. Alio autem modo, Apostolorum ipsius animæ

[1] Isa., XL, 10. — [2] Ib., 11. — [3] Joan., XI, 14.

prægnantes et parturientes eos, qui ipsorum opera in Christo regenerabantur, ipsum consolatorem habebant : quod ex unius testimonio intelligas, sic loquentis, « Filioli » mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in » vobis [1]. » Viden' quomodo Paulus pro discipulis suis dolores partus subierit; sic et reliqui Apostoli. Quemadmodum enim matres in utero gestant, sic illi eos, qui ipsorum opera in Christo nascebantur, parturiebant, anxii ne quis abortivus esset, atque ex immaturo partu excideret a Christi conformatione et perfectione. Quapropter præfatus ille pastor ipsos consolaturus dicitur.

« Quis mensus est manu aquam, et cœlum palmo, et » omnem terram pugillo? Quis libravit pondere montes, » et valles statera [2]? » Nam cum sapientes hujus sæculi omnia spontaneo cuidam rerum motui ac fortuito naturali casui, et fato adscribant; necessario præsens sermo nullam rerum fortuito casu existere, sed omnia cum mensura et numero a Domino, qui Deus prædicatur, constituta fuisse declarat. Tropice vero, vulgarium apud nos mensurarum exemplo est usus; ut ex rebus nobis cognitis, et ex assuetis vocabulis, ad rei traditæ doctrinam accedamus. Deinde quoniam ex magnitudine et pulchritudine creaturarum, proportione quadam opifex dignoscitur, jure ea quæ penes nos maxima habentur, collata cum Deo extenuat, ad conditoris omnium notitiam nos evocans.

« Quis novit mentem Domini? et quis ejus consiliarius » fuit, qui instruat eum? aut quem consuluit qui instruxerit » eum? aut quis ostendit ei judicium, aut viam prudentiæ » quis monstravit ei [3]? » Quia enim interrogaverat, quis esset qui hæc existere fecisset, et quis cum mensura et pondere hæc adornasset, consequenter tradit neminem, nisi unam tantum omnibus incomprehensibilem mentem :

[1] Galat., IV, 19. — [2] Isa., XL, 12. — [3] Ibid., 13 et 14

quare subdit, « Quis novit mentem Domini? » quæ prædicta omnia condidit, quæ nullo egens consiliario, neque alicujus sententia usa, suapte sapientia, quæ nullatenus existebant ad essentiam traduxit.

« Si omnes gentes tanquam gutta situlæ, et tanquam » momentum stateræ reputatæ sunt, tamquam saliva habe» buntur. Libanus autem non sufficit ad comburendum, » et omnia quadrupedia non sufficient ad holocaustum [1]. » Quænam hæ gentes, nisi quæ Deum non noverunt, sed idololatriæ errori addictæ sunt? Quæ tanquam stilla situlæ, tanquam momentum stateræ, et tanquam saliva reputandæ dicuntur. « Et omnes gentes quisi nihil sunt, et in » nihilum reputabuntur. Cui assimilastis Dominum? et cui » imagini eum assimilastis [2]? » Quæ consequenter induxit, postquam Dei theologiam in medium attulit, et postquam gentibus enuntiavit, quantus esset is, qui aquam manu mensus est, palma cœlum, et terram omnem pugillo, quique montes pondere, et valles statera constituit. His itaque apposite confert errorem illum, quo gentes detinebantur: ab eoque illas avertens, ad notitiam ejus, qui Deus esse prædicatur, evocat.

« Annon imaginem fecit faber, et aurifex conflato auro » inauravit eam? similitudinem fecit eam. Lignum enim, » quod non putrescat, eligit faber, et sapienter quæret » quomodo statuat imaginem ex eo, et ut non commovea» tur. Nonne scietis? nonne audietis? Annon annuntiatum » est vobis a principio? non cognovistis fundamenta terræ: » qui continet gyrum terræ, et habitatores ejus quasi lo» custæ. Qui statuit cœlum quasi fornicem, et extendit ut » tabernaculum ad habitandum: qui dat principes ut ni» hilum ad imperandum: terram autem tanquam nihil » fecit [3]. » Etiamsi a patribus eruditi non estis; at vel nunc

[1] Isa., XL, 15 et 16. — [2] Id., 17 et 18. — [3] Id., 19, 20, 21, 22 et 23.

saltem ad sapientiam revocati, ejus ope ediscite, quis sit qui continet fundamenta terræ. Nam si non potuistis, inquit, mentem ad cœlum erigere; at saltem in terram cogitationes et ratiocinia vestra flectite, in iisque moramini. Quærite in quo illa fundetur, quis ille sit qui tantum elementum, immotum et inconcussum detinet. Quis, ait, est ille, qui tot gentes in terra disseminavit, ut locustis parvitatis corporeæ causa comparentur? Deinde sermonem e terra erigens, ad cœlestem fornicem, et ad hæmisphærium, cameræ instar elatum omnibusque imminens, admirandum, et ad eum qui cœlum condidit (quantæ nempe sit virtutis) contemplandum invitat, et ad considerandum, non sine causa cœlum ab eo tabernaculi instar constitutum fuisse, superne quidem expansum, super omnia, quæ intra cœlum continentur; iis vero qui supra cœlum sunt substratum ad domicilium. Quemadmodum autem tabernaculo, ita et iis, qui intra tabernaculum sunt, providit. Quapropter variis temporibus hominibus in terra viventibus principes constituit, congruentes subditis moderatores procurans. Quare subdit, « Dans principes in nihilum ad » imperandum. » Nihilum porro dixit mortalem vitam, sive ipsam terram; ut etiam docet inferius his verbis, « Terram » autem in nihilum fecit. » Hæc omnia ait de iis, qui variis temporibus imperarunt, et tyrannidem obtinuerunt, utpote qui talem finem et exitum habuerint.

« Siquidem non plantabunt, neque seminabunt, neque » radices aget in terra radix eorum. Flavit super eos, et » exaruerunt et procella tanquam stipulas apprehendet eos. « Nunc igitur cui me assimilastis, et exaltabor? dicit sanc» tus : Attollite sursum oculos vestros, et videte, quis os» tendit hæc omnia? Qui effert in numero ornatum suum : » omnes nomine vocabit a multa gloria et in robore forti-

» tudinis suæ; nihil tibi latet [1]. » Quamobrem eos sic alloquitur; Cur apud te talia cogitas, et dicere audes, quod scilicet Deo lateat via tua, et quod tu judicium non subiturus sis, quia ipse gesta tua ignorat?

« Ne dixeris enim, Jacob, et quid locutus es, Israël? » Abscondita est via mea a Deo, et Deus meus judicium » abstulit et recessit. Et nunc an nescis? Annon audivisti? » Deus æternus, Deus qui fabricatus est terminos terræ, » non esuriet, non laborabit, neque est investigatio sapien- » tiæ ejus qui dat esurientibus virtutem, et non dolenti- » bus dolorem. Esurient enim juvenes, et laborabunt ado- » lescentes, et electi infirmi erunt [2]. » Incomprehensibilis quippe est ejus sapientia, qua omnia moderatur : atque ita singulatim minutatimque omnia curat, ut illo dispiciente, et ratione quadam divina res hominum discernente, singulis quæ sibi propria ad vitam sunt distribuantur; ita ut iis qui ex cibi penuria fame laborant, robur ac naturalis corporis valetudo plerumque adsit; iis vero qui non esuriunt, sed divitiis abundant, sollicitudines et dolores adsint, queis eorum voluptas castigetur. Eademque ratione juvenes et adolescentes, quos vegetos et fortes esse convenit, infirmos reddit, ægritudinibus et morbis subjiciens. Innumeros autem juventute florentes, quam celerrime e vita decedere fecit. Vice versa autem, qui persecutionum tempore Deum expectantes, infirmi miserabilesque in præsenti vita erant, divina mutatione dignati sunt, ut non modo dimissionem ac libertatem assequerentur; sed etiam instar aquilarum ceu pennis sublimes volarent, ita ut ascenderent, exaltarentur, ac demum in cœlos cursum dirigerent. Hæc quippe aquilarum natura est.

« Qui autem exspectant Deum, mutabunt fortitudinem,

[1] Isa., XL, 24, 25 et 26. — [2] Ib., 27, 28, 29 et 30.

» assument pennas ut aquilæ; current, et non laborabunt; » ambulabunt, et non esurient [1]. » Ingentibus perfuncti doloribus, demum visitatione Dei dignati, in pace vitam egerunt, aquilarum instar pennis instructi, ac in sublime elati. Quod si contigerit eos qui pro pietate concertarunt et vicerunt, martyrio consummatos esse, multo magis illis memorata promissio competat.

CAPUT XLI.

« Innovamini ad me, insulæ, principes enim mutabunt » potentiam : accedant et loquantur simul; tunc judicium » annuntient [2]. » Jubet nimirum insulas, « obmutescere et » tacere, » secundum Theodotionem, ut divinum sermonem et salutarem prædicationem audire valeant. Insulas vero frequenter vocat Ecclesias omnibus ex gentibus constitutas, quia illas nequitiæ salsugo ceu mare circumfluit, « Principes enim mutabunt potentiam, » ut mores mutent et a pejoribus ad meliora convertantur. « Accedant et lo» quantur simul; » nimirum gentes, inquit, ad me Deum suum accedant, et verba mea loquantur, quæ simul et in cœtu recitabuntur, videlicet in Ecclesia mea. « Tunc judi» cium annuntient. Quis excitavit ab oriente justitiam? » vocavit eam ad pedes suos et vadet [3]. » Peroptat enim ut gentes, quem didicerunt Dei sermonem aliis annuntient.

[1] Isa., XL, 31. — [2] Id., XLI, 1. — [3] Ib., 2.

Justitiæ namque opus erat ut non domestici tantum, sed etiam reliquæ gentes, ad Dei notitiam evocarentur.

« Dabit in conspectu gentium, et reges obstupefaciet : » et dabit in terram gladios eorum, et sicut stipulas expul» sas arcus eorum. » Subdidit illi multos, ut Babylonem, quod jus postulabat, dirueret. Ipse namque erat, qui et priscis illis olim religiosis hominibus notus fuit, et qui post priscum illum populum Ecclesiam gentium sibi concreditam habuit.

« Et persequetur eos : transibit in pace via pedum ejus. » Quis operatus est et fecit hæc? Vocavit eam, qui vocat » eam a generationum principio[1]. » Testificatur non vulgarem utilitatem gentibus obventuram, si a pristina cæcitate et deorum multitudine translatæ, videant eum qui dixit, « Ego Deus primus, et in ventura tempora ego sum. » Quem cum viderent extimuerunt, ad initium sapientiæ profectæ; « nam initium sapientiæ timor Domini[2]. Termini » terræ accesserunt, et venerunt simul, judicans unusquis» que proximo suo, et fratri auxiliari. Et dicet, prævaluit vir » artifex, et ærarius percutiens malleo : simul cudens, ali» quando quidem dicet, solidatio bona est. Corroborarunt » ea clavis, ponent ea, et non movebuntur[3]. » Nam quod per quidem mirum est, Barbaræ nationes, et longissime remotæ à Judaïca regione, in qua sola Deus olim notus esse putabatur, ad pietatis et religionis notitiam accesserunt; ita ut de gratia divinæ justitiæ obstupescerent, atque maturarent et venirent, prædicationi obsequentes, quæ ait, « Accedant et loquantur simul. » Vult enim ut secundum humanitatis leges, qui vocati sunt, non suæ tantum, sed proximi etiam saluti consulant. Fuit olim tempus, quo faber idolorum opifex, et ærarius malleo cudens Deos suos, in nos prævalerent : at jam novimus eos nihil esse,

[1] Isa., XLI, 3 et 4. — [2] Psal. CX, 10. — [3] Isa., XLI, 5, 6 et 7.

et paternum errorem damnamus, quod vos ad utilitatem vestram ediscere opus est. Imbecillitatis autem eorum qui a nobis olim pro diis habebantur, argumentum est, quod ne stare quidem possint, nisi palis et clavis defigantur.

« Tu autem, Israël puer meus, Jacob, quem elegi, semen Abraham, quem dilexi [1]. » Puerum primo vocat, hinc electum, postea dilectum. Puerum quidem, quasi in primis initiis degeret, ac metu servitutis institueretur; qualis erat Apostolicus chorus, qui primo vitæ suæ tempore sub lege quasi sub pædagogo fuit: eumdem porroe lectum nuncupat, utpote qui profectu auctus salutari vocatione et electione dignatus sit. Semen autem Abraham alius et distinctus ordo est ab electis, qualis erat multitudo Judæorum, quos alloquens Salvator dicebat, Scio quia semen » Abrahæ estis [2]. » At illi diversi erant a filiis Abrahæ, de quibus hæc edocebat, « Si Abrahæ filii essetis, opera Abrahæ » faceretis [3]. » Abraham ergo dilectus et amicus Dei erat, quare dictum est: « Semen Abraham, quem dilexi; » sive secundum Symmachum, « Semen Abraham amici mei; » secundum Aquilam vero, « Semen dilectum meum. » Et vero semen ejus non perinde atque Abraham amari dicitur. Attamen per electos suos semen ejus vocat; nam ait illis: « Ite ad oves, quæ perierunt, domus Israël [4]. Quem assumpsi » ab extremis terræ, et a speculis ejus vocavi te, et dixi tibi, » puer meus es : elegi te, et non dereliqui te [5]. » His porro significat eos in dispersione Judaïci populi, quos primos vocatione sua dignatus est. Apostolicis quippe temporibus ex Judæis multi verbum Christi susceperunt; non modo ex iis qui Judæam incolebant, verum etiam ex iis qui penes reliquas gentes habitabant.

« Noli timere, tecum enim sum : ne erres [6]. » His ab se

[1] Isa., XLI, 8. — [2] Joan., VIII, 37. — [3] Id., 39. — [4] Matth., X, 6. — [5] Isa., XLI, 9. — [6] Id., 10.

electis fiduciam addit, ut Evangelium in omnibus gentibus sine formidine prædicent; quod ipsum declarabat in Evangeliis Servator his verbis: »Ecce ego vobiscum sum omni-»bus diebus, usque ad consummationem sæculi[1]. Ego enim »sum Deus tuus, qui confortavi te, et auxiliatus sum tibi. »Erunt enim quasi non sint, et peribunt omnes adversarii »tui[2]. » Cave, inquit, putes te tua virtute posse tantæ prædicationi ministrare. Nihil quippe eras, nec quidquam agere potuisses, nisi ego tecum existens tecumque ambulans, apud omnes gentes te corroborassem, teque patientia, perseverantia, et virtute muniissem, ut tibi Evangelium omnibus prædicanti impedimentum nullum occurreret. « Quæres eos, et non invenies homines, qui debacchentur »in te. Erunt enim quasi non sint, et non erunt adversarii »tui[3]. » Etiamsi enim quo tempore te impugnabant et divexabant, aliqui ad breve temporis spatium viderentur esse, at tu quidem subsistes ac permanebis, eorumque perniciem videbis; illi vero quamprimum esse desinent, ex hac vita deleti. Quamobrem perseverare te oportet, et ab iis illatas ærumnas sustinere.

« Quoniam ego Deus tuus, qui teneo dexteram tuam, »qui dico tibi, ne timeas Jacob, perexigue Israël[4]. » Nam paucissimi sane numero erant Discipuli Salvatoris nostri; nimirum duodecim Apostoli, et post illos septuaginta alii. « Ecce feci te quasi plaustri rotas triturantes, recentes, »in serrarum modum[5]. » Sic enim virtus corroborantis eos ostendebatur, dum ipsi nihil a verme different, sed etiam paucissimi essent, ac mortui cadaveraque Israëlis viderentur. Hujusmodi tamen cum essent, rotarum et currus instar, ceu quamdam paleam diffindebant, diabolicum impiarum gentium cultum et idololatriam triturantes et

[1] Matth. XXVIII, 20. — [2] Isa., XLI, 11. — [3] Ib., 12. — [4] Ib., 13 et 14. — [5] Ib., 15.

secantes. « Et triturabis montes, et comminues colles, et » tanquam pulverem pones, et ventilabis; et ventus auferet » eos, et turbo disperget eos. Tu autem lætaberis in sanctis, » Israël [1]. » Per montes et colles adversarias potestates, olim contra Dei cognitionem insurgentes subindicans; ita ut error ille diabolicus apud gentes non ultra subsistat. His porro montibus et collibus de medio sublatis ac deletis, tu ipse, servus meus electus, per quem hæc perpetranda sunt, lætaberis in Domino, et in sancto Israël laudaberis.

« Et exultabunt pauperes et inopes. Quærent enim » aquam, et non erit : lingua eorum præ siti exaruit. Ego » Dominus Deus : ego exaudiam Deus Israël, et non dere- » linquam eos [2]. » Qui autem isthæc ad finem deducta sint, et etiamnum peragantur in Ecclesiis Dei, quæ per Discipulos Salvatoris nostri omnibus in locis fundatæ sunt, intelliges, si animum adhibueris. Animæ igitur quæ olim in gentibus inopes ac Dei cognitione egentes erant, nec vel stillam vivifici potus habebant; ita ut lingua earum, et sermo ea prolatus, exaresceret, quod ne guttæ quidem salutaris verbi participes essent; eædem ipsæ per cœlestem gratiam inexspectatum beneficium acceperunt, fontibus, fluminibus et omnimodis aquis vivificis repletæ, utpote quæ ea ipsa fruerentur aqua de qua superius dicebatur, « Et bibent aquam ex fontibus salutaris [3]; » sive ex fontibus Israëlis, quos memorat sermo ille qui ait, « In » Ecclesiis benedicite Deo Domino de fontibus Israël [4]. » Hæc porro aqua fuerit Spiritus sanctus, in Ecclesia Dei scaturiens, et aquas viventes instillans, modo ex veteri Testamento, modo ex nova et Evangelica doctrina.

« Sed aperiam in montibus flumina et in medio cam-

[1] Isa., XLI, 16. — [2] Ibid., 17. — [3] Id., XXII, 13 — [4] Psal. LXVII, 27.

» porum fontes. Faciam desertum in paludes aquarum, et
» sitientem terram in aquæductus. Ponam in terra inaquosa
» cedrum, et buxum, et myrtum, et cupressum, et popu-
» lum [1]. » Hæc omnia, quæ nonnisi in aquarum copia aluntur et accrescunt, ad similitudinem animarum in Ecclesia Dei florentium, quæ ex divinarum et rationabilium aquarum abundantia in altum excreverunt, usurpantur. Cum igitur Scriptura fructus Ecclesiæ repræsentare cupit, imagine utitur olivæ, aut palmæ, aut vitis; cum vero florentem, sublimem, vegetum, et prosperum eorum, qui in Ecclesia proficiunt, statum significat, prædictarum arborum similitudine utitur, quæ nonnisi ex aquarum copia atque in terra firma solidaque consistere solent : quod sane pro re stupenda et mirabili usurpavit, quod videlicet in inaquosa, arida, et misera terra, tantam fore aquarum abundantiam polliceatur, ut tales arbores, quales enumerantur, proferre valeat. Eodem autem modo eventurum dicit in illa olim deserta et inaquosa alienarum et impiarum gentium terra : nam ut salutare beneficium exprimat, tantam in illa fore mutationem vaticinatur, « Ut videant
» et cognoscant, et cogitent et sciant simul, quoniam ma-
» nus Domini fecit hæc, et sanctus Israël ostendit [2]. » Nisi enim Deus et manus Domini esset, quæ per Apostolos suos tantam in gentibus mutationem induxit, quomodo in tanto gentium deserto Ecclesiæ Dei constitissent, et rationabiles ejus aquæ ubique terrarum largiter manassent, ita ut illæ olim desertæ et immites gentium animæ, piæ religionis verbo excoli possent, ac celsas sublimesque plantas emittere : quarum aliæ in terra, scilicet in mortali humanaque vita, radices posuere; aliæ vero sursum erectæ sunt, ita ut ad usque regnum cœlorum extenderentur, atque ibi

[1] Isa., XLI, 18 et 19. — [2] Ib., 20.

spem suam reponerent? quamobrem suave olentibus, ac celsissimis arboribus comparantur.

« Appropinquat judicium vestrum, dicit Dominus Deus: » appropinquarunt consilia vestra, dicit rex Jacob [1]. » Inexcusabiles quippe estis ait, o idololatræ, qui post tantam taliaque operantem gratiam, in multorum numinum errore mansistis: non cogitantes, manum Dei esse quæ tam multa edidit, et antequam fierent, hæc futura prænuntiavit. « Appropinquent et annuntient vobis quæ ven» tura sunt aut priora erant. Dicite, et mentem adverte» mus, et cognoscemus quæ ultima, et quæ ventura. » Renuntiate nobis quæ ventura in novissimo, et cognosce» mus quia dii estis [2]. » Nam Dei prophetæ quidem, divini consortes Spiritus, novissima prænuntiarunt, inaquosi, sterilis et infructuosi soli in meliorem statum mutationem vaticinantes, necnon Christi adventum, Apostolorum ejus prædicationem, cæteraque omnia in eorum prophetiis enuntiata: unde revera Deus esse is, qui hæc in illis et per illos vaticinatus est, agnoscitur. Maligni vero dæmones qui potuerint universorum Dei consilium et cogitationem, ac ejus de Christi adventu, deque ipsorum pernicie et exitio decretum, cognoscere? Quapropter cum futura, atque ea quæ in extremis temporibus circa gentium vocationem, solitudinemque suam eventura erant, ignorarent, consequenter neque prius edita noverant: quare nullus eorum Prophetis suis ista suggerere potuit, quæ scripto consignarunt ii, qui Spiritu Dei digni habiti fuerant.

« Bene facite et male facite, et mirabimur, et videbimus simul. » Etiamsi enim malis inferendis pares sitis, utpote dæmones maligni, attamen divinæ operandi virtutis hinc indicium non habebitis: quare opus est vos quod Deo proprium est, primum exhibere; id est, bene facere:

[1] Isa., XLI, 21. — [2] Ib. [2] 22 et 23.

hinc autem justo judicio uti, ac dignos supplicio plectere. Ita ut hinc probe commonstretur, operationes illas, ut putant ipsi, sive oracula, præstigiatorum hominum fallacias esse, qui multorum simplicitate abutuntur. « Quoniam » unde estis vos? et unde opus vestrum? De terra in abo» minationem elegerunt vos. Ego vero excitavi eum, qui » ab Aquilone est, et eum, qui ab ortu solis : vocabuntur » nomine meo [1]. » His porro significat per eum qui ab ortu solis venit, Christum ejusque justitiam : id vero indicabat superius his verbis, « Quis excitavit ab oriente justitiam? » quam ipsis gentibus datam testificabatur; per eum vero qui ab Aquilone, populum ex gentibus, qui olim in Aquilone degebat; secundum illud, « A facie Aquilonis accen» dentur mala in omnes inhabitantes terram. » Hunc itaque gentium populum, ait, excitavi ab Aquilone, ut ne ultra ibi maneat : vocabo autem eum, qui ab ortu solis venit, scilicet Christum.

« Veniant principes, et tanquam lutum figuli, et tan» quam figulus conculcans lutum, sic conculcabimini. » Sic vocat eos qui satellitum instar regnum ejus stipant, Angelos videlicet : per quos impium errorem sublatum iri prænuntiat; vel principes ac præsules Ecclesiæ suæ. Vos scilicet quibus dicebatur, « Unde estis vos, et unde opus » vestrum? ex terra in abominationem elegerunt vos. Quis » enim annuntiabit nobis ea quæ sunt a principio, ut co» gnoscamus et ea, quæ prius fuerunt, et dicamus vera » esse? non est qui prædicat, neque qui audiat sermones » vestros [2]. » Hæc duplici more intelligi possunt; ut neque illi sermonem, quem proferant, habeant, quod nihil valeant, nihilque sciant; neque illi, olim his in rebus errantes, in errore maneant, sed verbo veritatis adjuti, nul-

[1] Isa., XLI, 23. — [2] Ibi, 26 et 25.

latenus ipsis aures præbeant, quod priscum errorem deprehenderint, et damnarint.

« Principatum Sion dabo, et Jerusalem consolabor in » via [1]. » Hæc est dicti sententia, Heus vos homines, agnoscite, me Ecclesiæ meæ, quæ prius Sion et Jerusalem vocata fuit, principatum in omnes daturum esse, ac Ecclesiam meam consolaturum, positurumque in via. « A » gentibus enim ecce nullus est, et de idolis earum, non » erat qui annuntiaret. Et si interrogavero eos, Unde estis? » non respondebunt mihi. Sunt enim qui faciunt et qui » frustra seducunt vos [2]. » Nihil eos esse, et ideo nihil posse, comprobatum est : quare si interrogavero eos undenam sint, eorum nemo respondebit.

CAPUT XLII.

« Jacob puer meus, suscipiam eum : Israël electus » meus, suscepit eum anima mea. Dedi Spiritum meum » super eum [3]. » Hæc consona deprehendas iis, quæ superius de eo, qui ex radice Jessæ proditurus erat, prænuntiantur. Electus autem, non sicut Apostoli, quandoquidem de illo tantum dicitur, « Elegit eum anima mea : » Verum etiam Spiritus Dei in ipso solo requievit : in illo quippe « Habitavit omnis plenitudo divinitatis corporaliter [4]. » Quamobrem, ut qui solus paternum Spiritum in se receperit, omnia sub hæc enarrata peragit, gentibus annun-

[1] Isa., XLI, 27. — [2] Ib., 28 et 29. — [3] Id., XLII, 1. — [4] Col. II, 9.

tians ea, quæ ad illud universale judicium pertinent, ut omnes ad futurum Dei judicium præparet.

« Non clamabit, neque dimittet, neque audietur foris » vox ejus : calamum conquassatum non conteret, et linum » fumigans non extinguet; sed in veritate feret judicium [1]. » Solet Scriptura divina mentis oculo uti, cum de Deo loquitur : quandoquidem pedes, manus, digitos et oculos Dei solet humano more proferre. De Christo autem hæc ideo dicuntur, quia ille placide et quiete humanam emensus est vitam, ita ut ne illis quidem, queis medelam attulit, permitteret, ut ipsum omnibus palam facerent. Usque adeo, inquit, sine strepitu, ac quiete humanam transiget vitam, ut ne vel minimo ex hominibus molestiam pariat, etiamsi ille humillimus et debilissimus omnium sit, ac imbecillitatis causa calamo comparetur. Linum vero fumigans dixeris eum esse, qui mente carnis suæ elatus, temere inflatur, quem non ab elatione cohibiturus esse dicitur is, qui in prophetia enuntiatur. Idque sane Christus in mortali vita peregrinatus, opere complevit : neque enim humilem quempiam et apud homines infirmum constristavit unquam, neque ullum ex arrogantibus et superbis adortus est : sed sese omnibus prorsus hominibus mansuetum et humilem corde exhibuit : cum veritate autem et fiducia omnibus aperiens ea, quæ ad Dei judicium spectabant, non prius cessavit, quam lucis instar splendesceret per resurrectionem ex mortuis, quam propheticus sermo his verbis subindicavit, « Resplendebit et non conteretur. » Siquidem illum conterere et extinguere tentabnt ii, qui necem ipsi moliti sunt : etenim id universo hominum generi natura proprium est, ut morte conteratur. At non illum mors contrivit; sed unus eorum, qui a sæculo fuere, morti superior evasisse jure declaratur a

[1] Isa., XLII, 2 et 3.

prophetia dicente, « Resplendebit, et non conteretur, do-
» nec ponat in terra judicium; et in nomine ejus gentes
» sperabunt [1]. » Quocirca post resurrectionem ex mortuis, lucis instar in toto orbe resplendens, non prius cessavit, quam in terra et in Ecclesia sua regimen ac judicium ordinaret, quod etiam Discipulis suis tradidit.

« Sic dicit Dominus Deus, qui fecit cœlum, et fixit illud,
» qui firmavit terram, et quæ in ipsa sunt, qui dat flatum
» populo suo in ea, et spiritum calcantibus eam [2]. » Admodum consequenter : nam opus est nos ediscere ex cujus persona dicta sint quæ de Christo præmittuntur. Quia enim confertim initio dixerat propheticus sermo, « Jacob puer
» meus, suscipiam eum : Israël electus meus, suscepit eum
» anima mea : dedi spiritum meum super eum; » nec indicaverat quis hæc dixisset, hujus vaticinii auctorem jam necessario enuntiat : quamobrem subjungit, « sic dicit Do-
» minus Deus : » ipse quippe erat, qui et prima protulit, et sequentia adjecit. Quamvis enim vos homines, invisibili et incorporeæ Dei substantiæ videndæ pares non sitis; at hujus tanti cœli magnitudinem speculantes, vobiscum reputate quantus qualisve sit is, qui tantam fixit molem; hinc terram ipsam respicientes, ac considerantes, quanta, quam immobilis a sæculo fundata, et ceu radicibus firmata sit, ita ut ne vel tantillum moveatur; cogitate quam inenarrabilis virtus sit ejus, qui firmavit eam, et ita fœcundam fructuumque feracem condidit, ut tot animalia, tot plantas proferat. Is ergo, qui tantam pulchritudinem et tantam molem condidit, Dominus et Deus universorum, etiam ea, quæ superius dicta sunt, de Christo prænuntiavit.

« Ego Dominus Deus vocavi te in justitia : et apprehen-
» dam manum tuam, et corroborabo te, et dedi te in testa-
» mentum generis, in lucem gentium, ut aperires oculos

[1] Isa., XLII, 4. — [2] Id., 5.

» cæcorum, et educeres vinctos ex vinculis et ex domo » custodiæ et sedentes in tenebris[1]. » His compellat eum, quem superius puerum suum dixit, cui se spiritum suum daturum esse dicebat. Primo autem ipsum in justitia vocat, vocationem ejus pro dignitate et justitia peragens: deinde vero se manum ejus apprehensurum, ipsumque corroboraturum, ac tertium ipsi donum collaturum, et ceu lucem magnam omnibus gentibus oblaturum esse pollicetur, dicens, « et dedi te in testamentum generis, in lucem » gentium. » Olim itaque per Moysem vetus Testamentum Judaïco populo dedit : hic autem eum, qui in prophetia fertur in Testamentum generis hominum, et in lucem gentium dandum ait; ut eo illuminati eorum oculi, qui olim mente cæci erant aperirentur, ac visu recepto Dei cognitionem assequerentur; ut ne ultra lignis, lapidibus et inanimatarum rerum materiæ Dei honorem ascriberent. Etenim eos qui peccatorum vinculis constringebantur, atque in tenebris et malitiæ compedibus erant, per Dei gratiam peccatorum venia donaturus, ceu ex carcere liberos soluturus, ac e diaboli custodia erepturus erat.

« Ego Dominus Deus : hoc mihi nomen est, et gloriam » meam alteri non dabo, neque virtutes meas sculptilibus. » Quæ a principio ecce venerunt, et nova quæ ego annun» tio, et antequam annuntientur declarata sunt vobis[2].» Animadvertas velim non dictum fuisse, gloriam nemini dabo : nam Filium Patris gloriam habere ostensum est: quod enim nemini detur, id quemlibet excludit; quod autem alteri non detur, hinc uni solum concessam fuisse declaratur, scilicet ei, qui in prophetia fertur. Hic porro erat cui dicebatur, « vocavi te in justitia, et apprehendam » manum tuam, corroborabo te, et dedi te in Testamentum » generis, in lucem gentium.» His porro, ut æstimo, ser-

[1] Isa., XLII, 6 et 7. — [2] Id.[2] 8 et 9.

monibus gentes omnes erudit, ne Deum ullum celebrent eorum, qui olim apud eas dii vocabantur; sed solum Christum Dei, et Patrem, qui misit illum, gloria afficiant.

« Cantate Domino canticum novum, principatus ejus [1]. » Id ab omnibus hominibus præstandum ait. « Glorificate » nomen ejus ab extremo terræ, qui descenditis in mare, » et navigatis ipsum, insulæ et habitatores earum : » ita ut a Christi nomine, universa terra Christianis repleta sit. His porro Apostolos Servatoris nostri perspicue significat, quos ad littus maris vidit jacientes rete in mare : erant enim piscatores; similiterque alios. Hi vero ipsi mare nostrum circum navigantes; modo in insulis Evangelium prædicabant; modo in Hispaniam et Italiam trajiciebant, ita ut brevi regiam ipsam urbem doctrina Christi replerent. Alio item modo indicari videntur ii, qui in humanæ vitæ mari navigantes, apud omnes gentes in mediis Ecclesiis Evangelium prædicabant : quandoquidem et ipsi hymnum novum per omnem terram annuntiabant, et in medio Ecclesiarum hominibus prædicabant et docebant. « Et habi» tatores earum, » His significat eos, qui in Ecclesiis cœtus agunt.

« Lætare desertum, et vici ejus [2]; » sive secundum reliquos interpretes, « et civitates ejus. » Multæ quippe urbes secundum diversa vitæ instituta in Ecclesia Dei intelliguntur, ut in visione Ægypti declaratum est, ubi dicebatur, quinque urbes in Ægypto fore, quæ lingua chananitide loquerentur. « Villæ et habitatores Cedar. Lætabuntur qui » habitant petram, de vertice montium clamabunt. » Cedar in ulteriori Arabia sita est ad extremum deserti, quam dicunt obtinere Saracenorum gentem. His omnes deserti et finium terræ incolæ significantur, ita ut rationabilis illa Dei lætitia per Christi gratiam ad nos usque perventura

[1] Isa., XLIII, 10. — 2? Ib., 11.

sit. Petra vero urbs quædam Palæstinæ est, superstitiosis viris plena, et in profundum diabolici erroris demersa : cujus item incolas gratiæ consortes fore dicit his verbis, « Lætabuntur qui habitant Petram. » Cujus sermonis veritatem ipse rerum eventus comprobavit, cum in ipsa Petrensium civitate, et in agro ejus, necnon in solitudinibus Saracenorum, Christi Ecclesiæ nostris temporibus fundatæ sint. Alia vero Cedar significat tenebras, eorum causa, qui a tenebris ad annuntiatam gentibus lucem translati sunt. Pari lætitia afficiendos ait eos qui inhabitant Petram : Petra autem erat Christus.

« Dabunt Deo gloriam : virtutes ejus in insulis nuntia» bunt [1]. » Ita et superius dicebatur, « supra montem excel» sum ascende, qui evangelizas Sion : exalta in fortitudine » vocem tuam, qui evangelizas Jerusalem. Dominus Deus » exercituum egredietur, et conteret bellum, excitabit ze» lum, et clamabit super inimicos suos cum fortitudine [2]. » Non sine causa enim ipsis bellum illaturus est; sed postquam causam illam protulit, id magna voce declarabit, ut docet is verbis, « Tacui, non semper tacebo ? » Nam dum illi scelerate et impie agerent, patienter ferens ille, ipsosque longanimitate sua tolerans, neque confestim iram et ultionem inferens, tacebat. Et alias tempore passionis suæ dum calumniis impeteretur tacebat, et dum falsa testimonia audiret, nihil respondebat. « Tacui : num semper » tacebo, et sustinebo ? Sicut pariens patienter egi. Dimo» vebo et arefaciam simul : desertos faciam montes et colles, » et omne fœnum eorum exsiccabo. Et ponam flumina in » insulas, et stagna arefaciam [3] ; » videlicet doctrinam, quæ illis olim fluviorum instar suppeditabatur.

« Et ducam cæcos in via quam non noverunt, et in » semitis, quas ignorabant, ambulare eos faciam. Reddam

[1] Isa., XLII, 12 — [2] Id., 13. — [3] Ibid., 14 et 15.

» illis tenebras in lucem, et tortuosa in rectam. Hæc verba » faciam, et non derelinquam eos [1]. » Quinam hi essent superius docuit, de persona Christi dicens, « Dedi te in » testamentum generis, in lucem gentium, ut aperias ocu- » los cæcorum. » Hos itaque ipsos olim cæcos in gentibus, qua non noverant via ambulare se facturum pollicetur. Quo pacto enim eam secundum Deum viam nosse poteramus, nisi per divinam ejus gratiam. « Faciam ipsis tenebras in lucem : » Propheticas videlicet Scripturas, et vitam illam, qua divina doctrina suggeritur, nos intellecturos esse ait. Ignorantiam enim Dei quæ olim animas obtegebat nostras, in cognitionis lucem mutandas ait : et ea, quæ olim a nobis tortuosa et obscura esse putabantur, se plana facturum promittit. Eos autem qui ex circumcisione sunt subindicans ait : « Ipsi autem conversi sunt retrorsum [2]. » Deinde gentium mutationem, et quanto ex errore illæ reductæ sint, ex tenebris in lucem venientes, ipsis aperit, ac eorum idololatriam vituperando subjungit, « Confun- » dimini qui confiditis in sculptilibus, qui conflatilibus di- » citis, Vos estis dii nostri. » Ne vero quis putaret hæc de gentibus, olim cæcis et surdis, dicta fuisse, necessario mentem suam aperit et explicat, hæc adjiciens, « Et quis » cæcus, nisi pueri mei? et quis surdus, nisi qui dominan- » tur eis? Et obcæcati sunt servi Dei. Vidistis sæpe, et non » cavistis : apertæ sunt aures, et non audistis. Dominus » Deus deliberavit ut justificaretur, et magnificaret lau- » dem [3]. » Viden' hæc omnia de populo ex circumcisione dicta fuisse. « Sed Dominus deliberavit, ut justificaret eum, » et magnificaret laudem ; » illi vero gloriati sunt in iis, qui impugnabant animam suam.

« Et viderunt, et fuit populus vastatus atque direptus : » laqueus enim in cubilibus ubique, et in domibus simul,

[1] Isa., XLII, 16. — [2] Ib., 17, — [3] Ib., 18, 19, 20 et 21.

» ubi absconderunt eos. Facti sunt in vastationem, et non » erat qui erueret rapinam, et non erat qui diceret : » Redde [1]. » Nam occultas in mentibus suis Christo insidias molientes, in iisdem ipsis laqueum sibi invenerunt, nec erat qui eriperet eos, neque qui diceret, Redde. « Quis est » in vobis, qui hæc audiat? auscultate futura [2]. » Si quis autem quærat quis hæc fecerit, inveniet non alium ipsos in prædam dedisse, quam eum in quem peccaverant, et in cujus viis ambulare renuerant. Nam ad Evangelicas vias evocati, non obtemperarunt, neque legem novi Testamenti audire voluerunt. « Quis dedit in direptionem Jacob, et » Israël vastantibus eum? Annon Deus, cui peccaverunt, » et noluerunt in viis ejus ambulare, neque audire legem » ejus [3]? » At enim olim quidem cum ad tempus aliquod bello impeterentur, iterum resipiscebant, ita ut Jerusalem et regia ibidem posita consisteret; nunc autem bello oppressi sunt, non exteriore tantum, sed eo quod ab obsidentibus animas suas inferebatur. « Et induxit super eos » iram furoris sui, et invaluit in eos bellum, et qui com- » burebant eos in circuitu : neque cognoverunt unusquisque » eorum, neque animum adhibuerunt [4] : » Etsi enim ii, qui apud vos infideles, cæci et surdi effecti sunt, et talia perpetrarunt, iræ Dei traditi sint; at vos vel nunc tandem audite; vos dico, qui conditorem et creatorem vestrum non ignorastis, sed qui opificium in vobis exsitens salvum et incolume servastis.

[1] Isa., XLII, 22. — [2] Ib., 23. — [3] Ib., 24. [4] —Ibi. 25.

CAPUT XLIII.

« Et nunc sic dicit Dominus Deus, qui fecit te, Jacob, » et qui formavit te, Israël : Ne timeas, quoniam redemi » te : vocavi te nomine tuo, Meus es tu [1]. » Ego Dominus Deus, qui feci et formavi te ; feci quidem secundum animam ad imaginem Dei factam ; formavi autem secundum corpus, de terra sumptum, et a me constructum. Sanguinemque meum in pretium pro salute tradens tua, redemi te, et vocavi te : verum etiam te possessionem meam effeci; ita ut tu mihi populus, ego tibi Deus essem. Confide igitur, tot a me dignatus bonis, et ea qua jussus es via incede : fiduciaque plenus omnibus per orbem gentibus prædica Evangelicum sermonem. Quamvis enim ignis ardens eruperit, quamvis aquæ, quamvis flumina inundaverint, hæc nihil te lædent, quod ego tecum ubique sim. Nam illud sine mendacio enuntiavi, « Ecce ego vobiscum sum » usque ad consummationem sæculi [2]. »

« Et si transieris per aquam, tecum sum, et flumina non » operient te : et si transieris per ignem, non combureris, » flamma non comburet te ; quia ego Dominus Deus tuus » sanctus Israël, salvans te. Feci commutationem tuam » Ægyptum, et Æthiopiam et Syenem pro te [3]. » Ita quippe pretiosus mihi fuisti, tanta in conspectu meo gloria donatus es, et usque adeo dilexi te, ut salus divina, quæ

[1] Isa, XLIII, 1 et 2. — [2] Matth., XXVIII, 20. — [3] Isa., XLIII, 3.

per te omnibus hominibus parta est, usque ad extrema terræ pertingeret : et ut illi hominum superstitiosissimi Ægyptii per te vocatione dignarentur. Per Ægyptios igitur superstitiosos et idololatras omnes designavit : per Æthiopas Syenem, eos qui extrema terræ nostræ incolebant. Nec ignorandum est esse quamdam Sabaïtarum gentem, unde Salomonis tempore regina Saba profecta est.

« Ex quo honorabilis factus es in conspectu meo, glori- » ficatus es, et ego dilexi te : et dabo homines pro te, et » principes pro capite tuo. Ne timeas, quoniam tecum sum. » Ab oriente ducam semen tuum, et ab occidente congre- » gabo te [1]. » Multos filios a me secundum Deum genitos, in cœlesti mea civitate congregabo, ipsosque per aërem sublimes agam, quasi volucres ventis, videlicet angelicis virtutibus, sustentatos. « Dicam aquiloni, Age; et austro, » Age, noli prohibere. Age filios meos de terra remota, et » filias meas ab extremis terræ [2]. » Ego enim angelicas virtutes hæc agere præcipiam, quia filii mei et filiæ meæ sunt, per vos sati et regenerati in Ecclesia mea, « Omnes, quot- » quot vocati sunt nomine meo [3]. » Unde constitutum est Christianorum nomen, nisi ex Christi nomine? Ipse autem erat, qui per Prophetam hæc vaticinabatur. « In gloria » enim mea edidi eum, et finxi eum, et feci eum, » minime fictum moribus. « Et eduxi populum cæcum, et » oculi sunt pariter cæci, et surdi aures habent. Omnes » gentes congregatæ sunt simul, et coïbunt principes ex » eis [4]. » Per apostolica quippe semina et per doctrinam eorum mutati, qui olim cæci et surdi erant, congregati sunt in Ecclesia Dei : jamque principes ex iisdem gentibus in populum Dei constituti sunt.

« Quis annuntiabit hæc, et quæ ab initio quis enarrabit » vobis? Adducant testes suos, et justificentur, et audiant

[1] Isa., XLIII, 4 et 5. — [2] Ib., 6 — [3] Ib., 7. — [4] Ib., 8 et 9.

» et dicant quæ vera sunt. Estote mihi testes, et ego testis, » dicit Dominus Deus, et puer meus, quem elegi [1]. » Quoniam ego Deus testis eorum ero, et puer meus, quem elegi : de quo superius dicebat, « Ecce puer meus, quem » elegi, electus meus, suscepit cum anima mea. » Ego itaque ipse Deus, et hic puer electus meus, testificabor testibus meis, quod nimirum Salvator in Evangeliis declarabat his verbis, « Quicumque confitebitur me coram ho» minibus, confitebor et ego eum coram Patre meo, qui » in cœlis est. Ut cognoscatis, et credatis et intelligatis, » quia ego sum. Ante me non fuit Deus alius, et post me » non erit [2]. » Nam Christi adventus, et testimonii per Apostolos ejus per omnes gentes exhibiti non propter aliud erat, quam ut prædicarent Dei cognitionem, fidem in eum, et intelligentiam ejus, iis, qui prius insipientes, inordinati, et infideles erant, atque in ignorantia ejus versabantur ; ita ut propterea mentis oculis cæcutirent, et in errore impiæ idololatriæ volutarentur.

« Ego Deus, et non est præter me Salvator. » Nam cum unum sit principium, una fuerit et deitas, quacum assumitur Unigeniti ejus theologia (6). « Ego annuntiavi et sal» vavi : exprobravi, et non erat in vobis alienus. Vos mihi » testes, et ego Dominus Deus etiam ab initio : et non est » qui de manibus meis eruat. Faciam, et quis avertet » illud [3] ? » Etenim ut testis dicebatur, et puer quem elegerat ; ita et ipse quoque Deus Salvator fuerit. Quod si dicat, « Et non est præter me Salvator, » non tamen negat puerum, quem elegit, Salvatorem esse : ipsum enim Salvatorem agnoscit hic Propheta, cum ait, « Et mittet illis » Dominus Salvatorem, qui salvabit eos. » Pro illo autem, « exprobravi, » reliqui omnes interpretes, « et audire feci, » dixerunt.

[1] Isa., XLIII, 10 et 11. — [2] Ib., 12. — [3] Ib., 13.

« Sic dicit Dominus Deus, qui redemit vos, sanctus » Israël : Propter vos mittam in Babylonem : et suscitabo » fugientes omnes, et Chaldæi in navibus vincientur. Ego » Dominus Deus sanctus vester, qui ostendi Israël regem » vestrum. Sic dicit Dominus, qui dat in mari viam, et in » aqua vehementi semitam : qui eduxit currus et equita- » tum, et multitudinem robustam : Sed dormierunt, et » non resurgent; exstincti sunt ut linum exstinctum [1]. » Horum sensus hic est : Olim quidem Judaïco populo beneficia contuli : ac cum, ut ipsos castigarem et ad bonam mentem reducerem, Babyloniis tradidissem, non diu postea eos a Babylonica captivitate liberos dimisi, utpote Deus et Dominus universorum. Ipsosque Babylonios, qui contra Jerosolymam irruperant, extorres feci; ita ut Chaldæi, qui penes eos erant, in fugam se verterent, ac quidam eorum vincti ab aliis se fortioribus in naves conjicerentur in mari sibi adjacente. Hæc ego feci Deus, ut regnum meum hominibus ostenderem.

« Ne memineritis priorum, et vetera ne recogitetis. Ecce » ego facio nova, quæ nunc orientur, et cognoscetis ea [2]. » Indicat rursus Ecclesiam in gentibus constituendam, quæ Dei cognitione vacua erat, antequam adveniret Christus Dei, qui dixit, « Ego sum via. Et faciam in deserto viam, » et in inaquoso flumina. » Verum in illo, ait, quondam deserto viam faciam, quemodmodum prius in mari Rubro feci. Fluunt porro divinorum eloquiorum flumina ex doctrina sancti Spiritus, in illa olim inaquosa, quemadmodum et sub Moyse in deserto flumina emanarunt; sed illic quidem corporeæ aquæ erant, et natura sua fluxæ et corruptæ; nunc autem Deo subministrante, rationabilis e spiritualis aquæ flumina manant.

« Benedicent mihi bestiæ agri, sirenes, et filiæ stru-

[1] Isa., XLIII, 14, 15, 16, 17. — [2] Ib., 18 et 19.

» thionum : quia dedi in deserto aquam, et flumina in ina-» quosa, ad potandum genus meum electum [1]. » Efferatæ animæ, fluminis virtute conversæ, a ferino illo statu mutabuntur, ita ut ipsæ feræ benedicant mihi. Quod si etiam Sirenæ fuerint, voluptate et diabolicis canticis hominum animas demulcentes, poëticis carminibus eleganti sermone concinnatis, illæ etiam immutatæ benedicent mihi : insuperque filiæ struthionum; sive secundum reliquos interpretes, « Et struthocameli ; » estque illud animal in solitudine et desertis locis degens, quod et ipsum ad mansuetudinem reductum, mihi Deo benedicere docebitur. Horum autem causa erit aqua illa, quam in deserto dedi, necnon fluminum in solitudine manantium vis et copia. « Populum meum quem acquisivi ut virtutes meas narra-» ret : non nunc vocavi te, Jacob, neque laborare te feci, » Israël [2]. » Etiamsi enim futurum sit, ut agrestes feræ, Sirenæ, et filiæ struthionum benedicant mihi; tu sane Jacob nihil simile fecisti; sed neque dignatus es me invocare, « Defatigatus » autem « es in me, » secundum Symmachum, etiamsi ego non te laborare fecerim.

« Non obtulisti mihi oves holocausti tui : neque in sa-» crificiis tuis glorificasti me, neque servire te feci in victi-» mis, neque laborem tibi præbui in thure [3]. » Quemadmodum hic solitudini, ferisque eam incolentibus bonorum spem annuntiat, populumque ex circumcisione de impietate coarguit, quem nunc Jacob et Israël nuncupat; ita simpliciter allato ejus nomine, nec servum, nec electum vocat illum, quod tamen de præstantiori ordine loquens observat. « Neque argento emisti mihi thymiama, neque » adipem sacrificiorum tuorum concupivi; sed in peccatis » tuis ante me stetisti, et in iniquitatibus tuis. Ego sum, » ego sum, qui deleo iniquitates tuas propter me, et pec

[1] Isa., XLIII, 20. — [2] Ib., 21 et 22. — [3] Ib., 23.

»cata tua; et non recordabor. Tu autem memento, et ju-»dicemur simul [1]. » *Bona quippe est pristinorum peccatorum memoria cum confessione conjuncta :* quapropter infert, « Dic tu primus peccata tua, ut justificeris : » id agens justificaberis; quia justus in principio sermonis accusator est sui. « Patres vestri primi, et principes vestri inique »egerunt in me. Et contaminaverunt principes sancta mea. »Et dedi in interitum Jacob, et Israël in opprobrium [2]. »

CAPUT XLIV.

—

« Nunc autem audi Jacob puer meus, et Israël, quem »elegi. » His iterum Apostolicum chorum evocat. « Sic »dicit Dominus Deus, qui fecit te, et formavit te de »ventre : Adhuc habebis auxilium; noli metuere puer meus »Jacob, et dilecte Israël, quem elegi. Quia ego dabo »aquam in siti his qui ambulant in inaquosa, imponam »spiritum meum super semen tuum, et benedictiones meas »super filios tuos [3]. » Nam per Spiritum sanctum, rationabilem, fecundam et spiritualem aquam inaquosæ et solitudini elargiturus erat. Semen autem Apostolorum sunt Ecclesiæ Dei; filii vero eorum, quotquot in universa terra et in omnibus gentibus per Spiritum sanctum regenerati sunt : qui « producent, » ait, « in medio aquæ fœnum, et

[1] Isa., XLIII, 24, 25 et 26. — [2] Ib., 27 et 28. — [3] Ib., XLIX, 1, 2 et 3.

» sicut salix ad aquam fluentem [1]. » Hic quoque salicem assumit ob virorem et juvenilitatem arboris ad declarandam rationabilium aquarum in Ecclesia ejus manantium copiam.

« Hic dicet, Dei sum, et hic clamabit in nomine Jacob, » et alius describet in manu sua, Dei sum, et in nomine » Israël clamabit [2]. » Se Israëlem esse gloriando dicet. Mirari plane et stupere subit propheticorum semonum vim, et quam vere rei effectum et complementum perceperimus. Nam in persecutionibus nostro tempore concitatis, multos ex alienigenis gentibus vidimus, qui sanctorum virorum nomina usurparent; alius quippe sese Jacobum appellabat, alius Israëlem, alius Jeremiam; hic Hesaïam, iste Danielem : etenim his sibi adscriptis nominibus, ad martyrium pro Deo subeundum cum fiducia et constantia accedebant. Quæ prophetia indicat, dum ait : « Hic dicet, » Dei sum, et hic clamabit in nomine Jacob, alius in manu » sua describet, Dei sum, et alius in nomine Israël cla» mabit. »

« Sic ait Deus, rex Israël, et qui liberavit ipsum Domi» nus Sabaoth : Ego primus, et ego post hæc : præter me » non est Deus. Quis sicut ego? Stet, vocet, annuntiet et » præparet mihi : ex quo feci hominem in sæculum : et » ventura, antequam fiant, annuntient vobis[3]. » Dicat enim si quis est Deus, quod quantumque opus suum exhibeat in universo. Nam si unus est mundus, ipseque ejusdem naturæ, sibique prorsus conjunctus; unus sane ejus opifex fuerit. Sed hic ex magnitudine et pulchritudine creaturarum, utpote universi conditor, conspicitur. Quod si quis alium inducat, alium item huic similem mundum ostendat; at non est illius mundus, præter eum quem conspicimus : ergo nec alius Deus est. Si quis vero sit, *Stet*,

[1] Isa., XLIV, 4. — [2] Id., 5. — [3] Ib., 6 et 7.

inquit, primum; id est, existentiam ostendat suam, et quod in substantia subsistat, quodque in se maneat et stet: deinde vocem emittens rationabilem ac Deo dignam, annuntiet quæ postea futura in mundo sint, aut quæ olim et a principio contigerunt, ex quo hominem in terra posui, usque ad præsens tempus. Hinc enim agnoscemus, eum isthæc verbo constituisse.

« Nolite abscondi, nolite errare. Annon ab initio attendistis, et annuntiavi vobis? Testes vos estis, num sit Deus præter me. Et tunc non audierunt qui fingunt et sculpunt: omnes vani, qui faciunt desideria sua, quæ non proderunt eis. Sed confundentur qui Deum effingunt, et sculpunt omnes inutilia [1]. » Non ab initio, inquit, ita fuit; id est, ante diluvii tempora, cum animo expertium simulacrorum fabri nondum essent. Vosque testes estis, nondum, scilicet initio mortalis vitæ, extitisse conflatores sculptoresque deorum; cum sculptoria fabrilisque ars apud homines nondum reperiretur.

« Et omnes unde facti sunt exaruerunt, et surdi ab hominibus congregentur omnes, et stent simul, confundantur et erubescant simul: quia acuit faber ferrum: ascia operatus est illud, et terebrum admovit ei, et operatus est illud in brachio fortitudinis suæ: et esuriet et infirmabitur, et non bibet aquam. Electo faber ligno, adhibuit ipsi normam, et formavit illud in runcina, et fecit illud ad formam viri, et ad speciem hominis, ut statuat illud domi. Cecidit lignum ex sylva, quod plantavit Dominus, pinum, et pluvia auxit; ut esset hominibus in combustionem: et cum sumpsisset ab eo, calefactus est, et succendentes coxerunt panes illis: reliquum autem fecerunt in deos, et adorant ipsos: cujus dimidium combussit igne, et in dimidio ejus coxit in carbonibus panes,

1. Isa., XLIV, 8, 9 et 10.

»et in eo carnes assans comedit, et impletus est: et cale-
»factus dixit, Jucundum mihi quod calefactus sum, et vidi
»ignem. Reliquum autem fecit in deum sculptilem, et
»adorat et precatur dicens, Libera me, quia Deus meus es
»tu [1].» Quid vos quos nunc alloquor? Cur non vobiscum reputatis, quænam inanimatorum hujusmodi sculptilium, quæ ut deos colitis, natura sit? Annon propalam omnibus esse valeat, fabrorum opera esse, asciis et terebris atque aliis hujusmodi instrumentis adornata; pauperis scilicet inopisque hominis inventum, qui ob cibi penuriam, ac per otium parandi panis, erroris machinam reperit?

« Non noverunt sapere, quia retusa est acies eorum, ne
»viderent oculis suis, et ne intelligerent corde suo. Neque
»agitavit in animo suo, neque cognovit prudentia sua,
»quia dimidium ejus combussit igni, et coxit super car-
»bones ejus panes, et ubi assavit carnes, comedit, et resi-
»duum ejus in abominationem fecit, et adorant illud [2].»
Hæc illis, ceu oblitis, et ob mentis crassitiem tali admonitione egentibus loquitur. Quare oportet te dignitatis tuæ memorem esse; ac figmentum Dei cum sis, ne teipsum contumelia afficias, inanimatam materiem, artificum manibus in effigiem actam, tibi anteponens, illamque adorans. « Scito quod cinis cor eorum, et falluntur, et nemo
»potest eripere animam suam. Videte et ne dicatis, quo-
»niam mendacium est in dextera mea. Memento horum
»Jacob et Israël, quoniam puer meus es tu. Formavi te
»puerum meum: et tu Israël, ne obliviscaris mei [3].» Hæc ait illi, utpote qui aversus sit, et inimicis sese dediderit.
« Ecce enim delevi velut nubem iniquitates tuas, et velut
»caliginem peccata tua. Convertere ad me, et redimam te.
»Lætamini cœli, quoniam misertus est Deus Israël [4].» Quia

[1] Isa., XLIX, 11, 12, 13, 14, 15, 16 et 17. — [2] Ib., 18, 19 et 20. — [3] Ib., 21. — [4] Ib., 22 et 23.

in cœlis gaudium futurum est de iis, qui peccatorum pœnitentiam acturi sunt.

« Canite tuba fundamenta terræ : clamate montes lætitiam, colles et omnia ligna, quæ in eis sunt : quoniam » redemit Deus Jacob, et Israël glorificabitur. » Nam si quæ sunt divinæ virtutes, quæ terram sustentent, hæ quoque jubilationem et hymnum Deo emittant. Verisimile porro est fundamenta terræ dici ipsos Prophetas, atque omnes justos et religiosos viros : id namque docet Apostolus his verbis, « superædificati super fundamentum Apos» tolorum et Prophetarum. Clamate montes lætitiam [1]. » Hi similiter Deum celebrent, de prædictorum pœnitentia et salute. Per montes vero, elatas et sublimes animas subindicat; per colles autem, eas quæ mediocri in statu sunt; per ligna, fructiferas. Et alias universo mundo, ejusque partibus Deum celebrare præcipit, adjiciens, « Quia » redemit Deus Jacob, et Israël glorificabitur. »

« Sic dicit Dominus, qui redemit te et formavit ex » utero [2]. » Postquam superius idololatriæ confutationem adornavit, iis, qui ex prophetica disciplina fructum perceperant, ut qui jam idololatriæ finem fecissent, promissa effert; nempe reditum ex captivitate Babylonis. Quia enim ob idololatriam Babyloniis traditi fuerant; ipsaque Jerosolyma ob civium suorum ausus, Assyriorum tempore obsessa, ac funditus deleta fuerat; talia perpessis, si tamen errare desinant, ereptionem a malis vaticinatur. Hæc porro Cyri primi Persarum regis temporibus completa sunt. Quamobrem, quod permirum sane est, ipsum Cyrum nominatim memorat, qui tamen ducentis circiter postea annis fuit, ac Judaïcum populum a captivitate liberavit, templumque Jerosolymitanum restaurari jussit.

« Ego Dominus, qui perficio omnia : extendi cœlum

[1] Ephes., II, 20. — [2] Id., XLIX, 24.

» solus, et firmavi terram. *Nam* omnia per ipsum facta » sunt, et sine ipso factum est nihil [1]. » Extendit vero cœlum solus, et nutu Patris firmavit terram; « Ipse quippe » dixit, et facta sunt; ipse mandavit, et creata sunt. » Terra igitur, firma et solida cum sit, ut fundata est immota per omne sæculum, sic firmata esse dicitur : cœlum vero, utpote expansum, omnino extensum fuisse declaratur : quapropter alibi dicitur, « qui extendit cœlum sicut pellem [2]. » Quænam porro sint, quæ tantus ille Dominus docet, subinde infert his verbis : « Quis alius dissipabit signa engastrimythorum, et divinationes a corde ? avertens prudentes » retrorsum, et consilium eorum stultum faciens, et sta- » tuens verbum pueri sui, et consilium Angelorum ejus » verum faciens, dicens Jerusalem, Habitaberis, et urbibus » Idumææ, ædificabimini, et deserta ejus germinabunt : » dicens abysso, desolaberis, et flumina tua arefaciam : » dicens Cyro, ut sapiat, et omnes voluntates meas faciet : » dicens Jerusalem, ædificaberis, et domum sanctam meam » fundabo [3]. » Hæc igitur ita constituam : pueri vero mei dilecti et electi, Christi dico mei, de quo superius quamplurima dicta sunt, verba stabiliam; necnon Angelorum ejus, scilicet Apostolorum, Discipulorum et Evangelistarum consilia vera esse procurabo. Ego vero, qui hæc editurus sum, jam hinc prædico et polliceor me Jerosolymam, post primum ejus excidium a Babyloniis factum, renovandam et restaurandam curaturum esse; ita ut Judææ urbes incolantur, et quæ in illis deserta fuerant, iterum ut a principio constituenda sint. Quinetiam deorum multiplicitatem, quæ abyssus malitiæ vocatur, desertam faciam, ac flumina multiplicitatis deorum, quæ penes inimicos est, arefaciam; ita ut Babylon non ultra consistat, sed neque flumina ejus, vi multitudinis multum va-

[1] Joan., I, 3. — [2] Psal. CIII, 2. — [3] Isa., XLIV, 25, 26, 27 et 28.

lentia. Hæc porro omnia peragam ministro utens viro, qui primus Persarum rex erit. Quod si opus sit nomen ejus prophetice significare, Cyrus appellabitur is, qui in vaticinio fertur, quem verborum meorum ministrum constituam; piam ipsi mentem indens, ut mihi placita omnia exequatur, ac Jerusalem jubeat excitari, templumque ejus a fundamentis exstrui.

CAPUT XLV.

« Sic dicit Dominus Deus Christo meo Cyro, cujus ap» prehendi dexteram, ut subjiciam ante faciem ejus gentes, » et vires regum frangam. Aperiam coram eo portas, et » urbes non claudentur [1]. » Bonum autem consili mei ministrum inveni memoratum virum: jam hinc polliceor me dexteram ejus apprehensurum esse, ut non evertatur, neque superetur a quopiam fortiore. Ipsi vero multa subjiciam ex regum aliarum gentium ditione: per ipsum item omnem in reliquis gentibus potentiam perfringam, omnia plana et facilia parans ante pedes ejus: portas urbium, et ipsas integras urbes in manus ejus tradam, ita ut nulla ipsi adversetur.

« Ego ante te ibo, et montes complanabo: portas ære» as conteram, et vectes ferreos confringam [2]. » Dixerit quispiam ea, quæ tempore Zorobabelis, vel Cyri, quod ad

[1] Isa., XLV, 1. — [2] Id., 2.

historiam gesta sunt, imagines et symbola veritatis complecti; quæ autem ad veri Domini et Christi tempus spectant, spiritualiter impleta fuisse, ita ut in ipso magis verus deprehendatur sermo, qui ait, » Hæc dicit Dominus Christo » meo Cyro, » nam secundum obviam dictionem, neque Christus Dei videtur fuisse Persarum ille rex, qui Jerosolymam construxit, neque admodum ipso vivente promotum est ædificium: fundamenta quippe tantum ejus ævo ponere cœperunt: deinde, cohibito opere, desertus locus mansit usque ad Darii regnum. Quæ vero sub hæc feruntur Christo aptius quam Persarum regi competant, magisque Servatori nostro, quam Zorababeli.

« Et dabo tibi thesauros obsconditos, latentes, occul- » tos tibi aperiam; ut cognoscas, quia ego Dominus Deus » tuus, qui voco nomen tuum, Deus Israël: propter pue- » rum meum Jacob, et Israël electum meum, ego vocabo » te nomine tuo, et accipiam te. Tu autem non cognovisti » me [1]. » Intra urbes reconditos thesauros, latentes illos et occultos, pristinis regibus absconditos, aperiam tibi; ut ipsis operibus ediscas, quis ego sim, qui ante tot annos ipsissimum nomen tuum propheticis Scripturis meis, quasi cippis æternis, insculpsi. Sum autem Deus Israël, quod ne ignores oportet, ô Cyre: omnia quippe jam recensita tradam tibi; non aliam ob rem, quam propter populum meum, quem mihi elegi ex omnibus gentibus, quod Patres eorum in pretio habeam.

« Quoniam ego Dominus Deus, et non est alius Deus » præter me. Corroboravi te, et non cognovisti me; ut co- » gnoscant qui ab ortu solis, et qui ab occasu, quia non » est Deus præter me. Ego Dominus Deus, et non est præ- » terea. Ego qui præparavi lucem, et qui feci tenebras, qu » facio pacem, et creo mala. Ego Dominus Deus, qui fa-

[1] Isa., XLV, 3 et 4.

» cio hæc omnia [3]. » Ex his ipsis operibus ediscent : cum enim ærumnas populo meo ad conversionem et disciplinam infligere opus erat, inimicis ipsum tradidi, quasi tenebris et iræ impietatis causa dedens. Cum autem denuo conversum et ad meliorem se frugem recipientem, reducere opus est, consequenter pacis omniumque bonorum lumen ipsis oriri oportet. A me quippe et lumen et quæ ad pacem spectant omnia subministrantur; judicio item meo ultio quoque inducitur. Quapropter hanc a me doctrinam accipe; me scilicet et lucis conditorem, et pacis largitorem esse; similiterque tenebrarum et eorum quæ tristia reputantur, quæ pro malis penes multos habentur : et tamen horum auctor ego dici valeam, justo judicio promerita singulis inducens. Si itaque ego Deus, et non est præter me alius, qui hæc omnia faciat; etiamsi contraria videantur, attamen natura sua contraria non sunt. Nam quæ mala a me infligi existimantur, ea sane maxime conferunt ad utilitatem et salutem eorum, qui his ad sanam mentem reducuntur.

« Lætetur cœlum desuper, et nubes stillent justitiam : » aperiatur terra, et germinet misericordiam et justitiam » oriri faciat simul. Ego sum Dominus, qui creavi te[2]. » Quemadmodum enim tempus olim fuit, cum nubibus mandavi, « ut non pluerent super vineam pluviam; » ita et nunc suo tempore rationabilibus nubibus meis præcipiam, ut non sensilem aquam, sed justitiam desuper ex alto stillent iis, qui inhabitant terram. « Quid melius præparavi ut lu- » tum figuli? Num qui arat, arabit terram tota die? Num » dicet lutum figulo, Quid facis, quoniam non operaris, » neque habes manus? Num respondebit figmentum fictori » suo? Qui dicit patri, Quid generabis? et matri, Quid » paries [3] ? » Quasi eos alloquens, qui universali illi provi-

[1] Isa., 5, 6 et 7. — [2] Ib., 8. — [3] Ib., 9 et 10.

dentiæ et administrationi contradicunt, ait, Væ qui contradicit fictori suo. Nam quando castigatione et conversione opus erat, Jerusalem quasi testam contrivi, et Templum inimicis et hostibus tradidi; cum autem post sufficientem illatam pœnam, humanitatem exhibere oportuit, tunc et templum et urbem pristinis præstantiora construxi: quæ olim contrita fuerant, ceu lutum figuli, ad meliorem formam reducens et renovans.

« Quoniam sic dicit Dominus Deus, sanctus Israël, qui » fecit ventura, interrogate me de filiis meis, et de operibus » manuum mearum præcipite mihi [1]. » Erudiatur itaque quivis homo de terra sumptus, et terreno indutus corpore, nihil differens a luto si cum creatore suo comparetur, ne audeat Dei dispensationi contradicere, neque providentiæ rationem culpare. Nam multi queruli homines sunt, qui criminari et arguere audent his verbis : Quid necesse fuit a principio ad vitam transire? Cur hæc tali modo conduntur? Quid hujusmodi rebus opus? nam hoc fieri modo par erat. Verum ad eos spectat illud, « Væ. Interrogate me de filiis » meis, et de operibus manuum mearum præcipite mihi. » Filiorum nomine intellectu prædita et rationabilis substantia significatur; operibus autem manuum ejus, mundi partes declarantur.

« Ego feci terram, et hominem in ea : ego manu mea » firmavi cœlum, ego omnibus astris mandavi [2]. » Quænam igitur hic culpandi causa? Qualem pulchritudinem non superat, aut qualem magnitudinem non operit et excedit? Quomodo hæc non conferantur ad præsentis mundi ornatum, et ad commodam hominum vitam? Terram quippe non desertam condidi, neque inutile elementum, sed in domicilium hominibus. Quapropter reliqua animalia, et plantas ad usum et ministerium hominibus apparavi : cœ-

[1] Isa., XIX, 11. — [2] Ib., 12.

lumque firmavi, et astris exornavi : quibus præcipi ut concinno et harmonico motu procederent; cum ut terram incolentibus lucerent, tum ut essent in signa, in tempora, in dies, menses et annos.

« Ego excitavi eum cum justitia regem, et omnes viæ » ejus rectæ. Hic ædificabit civitatem meam, et captivita» tem populi mei reducet, non pretio, neque muneribus, » ait Dominus Sabaoth [1]. » Quem aut qualem hic memorat? Cyrum Persarum regem, dicet quispiam, cujus in præcedentibus meminit; ita ut de illo diceretur, « omnes viæ ejus » rectæ; » sive secundum Symmachum, « et omnes vias » ejus rectas faciam. Et hic ædificabit civitatem meam. » Nam hic quadam ratione civitatem Jerosolymam ædificavit, quia volentem quemque permisit Babylone proficisci, et locum restaurare. Hæc secundum historiam memoratus rex Persarum implevit. Alius vero quispiam dixerit, hæc de Zorobabele dici, qui ex regia stirpe oriundus, ex tribu Juda et ex successione Davidis erat. Imo vero solus Christus animarum captivitatem reduxit, atque a dæmonum errore servituteque liberavit : idque fecit, non pretio ac muneribus : quod etiam docet Apostolus, dicens, « Gratia » salvi facti estis. »

« Sic dicit Dominus Sabaoth, Laboravit Ægyptus, et » negotiatio Æthiopum, et Sabaim viri excelsi ad te tran» sibunt, et tibi servi erunt, et post te sequentur vincti ma» nicis : et transibunt ad te, et adorabunt te; et in te preca» buntur : quia in te Deus est, et non est Deus præter te [2]. » Ægyptum ait idololatriæ errore laborasse, quando diabolo et ministris ejus dæmonibus subjecta erat : attamen a labore recreandam Ægyptum esse pollicetur : qua totum idololatriæ genus subindicat. « Et Sabaim viri excelsi. » Queis significare videtur barbaras quasdam immanesque

[1] Isa., XL, 13. — [2] Id., 14.

gentes, extrema terræ incolentes, quas Christo subditas fore vaticinatur; quare subdit, « et post te sequentur » vincti manicis. Tu enim es Deus Israël salvator. Confun» dentur et erubescent omnes adversarii ejus : et ambula» bunt in confusione. Innovamini ad me insulæ [1]. » Quomodo confusione et pudore repleti sint omnes, qui variis temporibus adversarii fuere, ipsique populi ex circumcisione atque ex gentibus universi, qui contra Ecclesias ejus persecutionem excitarunt, ipsis operibus magis quam sermone declaratur.

« Israel salvatur a Domino, salute æterna : non confun» dentur, neque erubescent usque in æternum [2]. » Hæc porro conjunctim postea de Apostolis, Discipulis et Evangelistis Salvatoris nostri dicuntur : ipsi namque erant Israel ille, qui salute donatur : ac eorum opera plerumque memoratæ insulæ renovatæ sunt. Erant autem illæ Dei Ecclesiæ quæ ceu mari vitæ malitia ambiuntur. « Sic dicit » Dominus, qui fecit cœlum : iste Deus, qui ostendit ter» ram, et fecit eam, ipse distinxit eam. Non frustra fecit » eam, sed ut habitaretur plasmavit eam. Ego sum Domi» nus, et non est alius [3]. » His docetur, non ignorandum nobis, hominum genus magno apud universorum Dominum Deum in honore habitum esse : quare ipsum salutari vocatione dignatus est, necnon omnibus iis, quæ in præsenti prophetia promittuntur. Quemadmodum enim cœlum ad Angelorum sanctorumque spirituum domicilium necessario, atque ad universi ornatum constitui; ita et terræ elementum, non in vanum neque inutiliter condidi; sed ipsum ad habitaculum et commorationem eorum, qui ibi rationabili modo conversaturi erant, adornavi, qui sane cognoscendo Deo, ac religiose vivendo pares erant, utpote ad imaginem Dei conditi. Sicut igitur Angeli in cœlo mi-

[1] Isa., XLV, 15 et 16. — [2] Ib., 17. — [3] Ib., 18 et 19.

nistri Dei sunt; ita et homines in terra sub Dei cura degunt.

« Non in abscondito locutus sum, neque in loco terræ » tenebroso. Non dixi semini Jacob, vanum quærite. Ego » sum, ego sum Dominus, qui loquor justitiam, et an- » nuntio veritatem [1]. » Quoniam enim omnis terra, et qui in ea sunt homines, mei sunt; ideo, inquit, verba mea non occulta neque in tenebris latentia reliqui: sed palam efferens, omnibus nota feci; ita ut salutare Evangelium omnibus gentibus prædicaretur. Hac sane, ut palam est, Evangelicæ prædicationi tantum conveniant. Nam Moysis eloquia si quis expendere velit, ea occulte prolata deprehendat, Hebraïca scilicet lingua, characteribus propriis, neque apud omnes cognitis. Quinetiam si quis perpendat qua in solitudine, quam invia et inaquosa lex Moysis tradita fuerit, plane inveniat eam in loco terræ tenebroso pronuntiatam fuisse. At non pari modo Evangelium Christi: nam « in omnem terram exivit sonus [2] » Apostolorum ejus, « et in fines orbis terræ verba eorum. » Omnibus autem linguis, omni voce, characteribusque singularum gentium traditum est, ut in omnium gentium auditum veniret.

« Congregamini et venite: consulite simul, qui salva- » mini de gentibus. Non cognoverunt, qui portant lignum » sculpturam suam, et qui precantur deos non salvantes. » Si annuntient, accedant, ut cognoscant simul [3]. » Etenim ait, primum illos per Evangelicam prædicationem vocavi, ipsisque primis regnum cœlorum promisi, quasi in mercedem eorum erga me fidei pollicitus; ut ne putent se frustra piam religionem sectari. Quare vitam æternam promisi, et bona « quæ oculus non vidit [4], » et cætera. Quoniam vero Deus sum loquens justitiam, et annuntians veritatem, pro æqui et boni ratione, post illos universos etiam homines

[1] Isa., XLV, 20. — [2] Psal. XVIII, 5. — [3] Isa., XLV, 21.

ad me vocavi : et jam hinc omnibus prædico , » Congrega-» mini et venite, censulite simul, qui salvamini de gentibus[1].» Viden'quomodo illos ex gentibus , qui salutem exoptent , advocet. « Quis audita fecit hæc ab initio ? » Cum enim juxta accesserint, verum Deum cognoscent, cujus deitatis magnum argumentum illud est; quod hæc per Prophetas suos prænuntiarit, et ab initio id ad aures nostras declaraverit. «Tunc annuntiatum est vobis, Ego Deus, et non est alius præ-» ter me.» Iis qui in terra sunt laqueos parantes dæmones mali-gni, fraudis fallaciæque suæ officinam admovere satagebant , se futura nosse simulantes ac posse se illa enuntiare iis, qui ediscere velint, certo tempore multos dolo circumvenerunt. Nam in urbibus et regionibus oracula, divinationes item falsæ, ubique erant, ominationes, necromantes, et qui ex terra lo-quebantur, engastrimythi, alphitomantes, sive qui e farinis vaticinabantur, atque ut summatim dicam, mendacibus et impostoribus replebatur orbis. « Justus et Salvator non est » præter me.» Vaticinatus sum et prædixi, quoniam justus et Salvator sum, ideo secundum æquitatis rationem omnes gentes ad eam, quæ penes me est, salutem evoco. Viden' quomodo communem gentibus omnibus prædicationem an-nuntiet? In quo plane Christi gratiæ magnitudinem videas, quæ ad omnes terrigenas prevadat : at enim universa terra per fidem in eum, ad salutem et vitam , quasi sagena capta, deducta est.

« Per memetipsum juro , Si non egrediatur de ore meo » justitia : sermones mei non avertentur .» Qui sermones , nisi queis dicebat , « Convertimini ad me , et salvabimini , qui » ab extremo terræ estis , quia mihi curvabitur omne genu, » et jurabit omnis lingua per Deum[2]: » non Judæorum tan-tum, sed etiam reliquarum gentium , quo nihil beatius fuerit. Hujusque prophetiæ complementum in Christi Do-

[1] Isa., XLV, 22. — [2] Ibid , 23 et 24.

mini adventu fuit. Post illum enim, populi omnes in ejus Ecclesia per totum orbem congregati, Deo in precando genua flectere didicerunt: etsi id Judæi faciendum esse ignorent. Et jurabit. Nam qui me Deum noverunt in omnibus gentibus, quavis lingua et sermone, sive barbaro, sive Græco in juramentis me in testem assument, qui eorum dictis fidem faciam. « Dicens, justitia et gloria ad eum venient, » et confundentur omnes qui separant se [1]. » Omnes hominum virtutes talem nanciscentur finem : et omnis fortitudo hominum, qui pro pietate concertaverunt, ad ipsum accedet : atque tunc illi fructum laborum, et virtutis prœmium accipient. « A Domino justificabuntur, et in Deo glorifi» cabitur omne semen filiorum Israël [2]. » Et vide mihi, quæso, sermonis accuratam rationem: non enim Israël, dixit, neque semen Israël; sed semen filiorum Israël. Filii porro Israël erant primi salutaris Evangelii præcones, quorum semen et successionem justitia et gloria donandam esse dicitur.

CAPUT XLVI.

—

« Cecidit Bel, contritus est Dagon. Facta sunt sculptilia » eorum in bestias et in jumenta [3]. » Bel idolum erat, sic a Græcis dictum, eumdem, ut aiunt, quem ipsi Saturnum appellant, quem tanta stoliditate veteres colebant, ut ipsi carissima sibi jugularent, ac sexcentas alias hominum vic-

[1] Isa., XLV, 25. — [2] Ib., 26. — [3] Id., XLVI, 1.

timas ipsi omnibus in locis offerrent. Dagon item simulacrum erat alienigenarum, Ascalonitarum scilicet et Gazensium : quos ubi speciatim memoravit, deinde generatim de omnibus ubique diis hæc subjungit, « Facta sunt sculptilia » eorum in bestias et in jumenta. » Quod videre est in tota Ægypto, ubi omnia ferarum ac jumentorum genera ut deos venerari solent.

« Portatis ea alligata, quasi onus laboranti, deficienti, » et sitienti; nec valenti simul : qui non poterunt salvari a » bello. Ipsi vero captivi abducti sunt [1]. » Hæc reipsa nostris temporibus ad litteram evenerunt : ac secundum intelligendi rationem grave, durum et diabolicum onus; idolorum scilicet erroris, hominum animis impositum erat. « Audite me domus Jacob, et omnes reliquiæ Israël, qui » portamini ex utero, et erudimini a parvulo usque ad » senectutem [2]. » Sed neque Jacob ipsos vocat, neque Israël nominat; sed solummodo domum Jacob, ob carnis cognationem, et reliquias, scilicet supervacaneum quidpiam, et fæcem Israëlis.

« Ego sum, et donec senescatis ego sum : ego sustinebo » vos, ego feci, et ego dimittam, ego suscipiam et salvabo » vos. Cui me assimilastis? Videte, excogitate qui erratis, » et qui confertis aurum ex marsupio, et argentum in sta- » tera : statuent in pondere, et conducentes aurificem, fe- » cerunt simulacra, et inclinantes se adorant illa. Tollunt » humero et ambulant. Si vero ponant illud in loco suo, » manet, non movebitur : et si quis clamaverit ad ipsum, » non exaudiet : a malis non liberabit eum [3]. » Vos vero cogitate in quantam Dei inimicitiam et impietatem decideritis, dum iis, qui vere dii non sunt, me similem facere, et deitatem meam nihili pendere ausi estis, ac commenti estis me inanimatæ materiæ parem esse : aurum et

[1] Isa., XXIII, 2. [2] Ib., 3. — [3] Ib., 4, 5, 6 et 7.

argentum ex pacto congregantes, hominumque manibus idola fabricantes, quæ adorare non erubescitis; cum tamen neque ambulare, neque se loco movere valeant; sed humeris gestentur, et ab aliis agantur, ita ut neque audiant, neque sese tueri possint. His me quoque similem esse cogitastis, utpote animis obcæcati.

« Mementote istorum, et ingemiscite. Pœnitentiam agite » qui erratis. Convertimini corde, et mementote priorum a » sæculo : quia ego sum Deus, et non est alius præter me : » annuntians novissima antequam sint; et simul complen- » tur [1]. » Hoc maximum hominibus testimonium per Prophetas meos præbui, cum futura vaticinatus sum, et quæ diuturnis postea temporibus ventura erunt prædixi, et operibus executus sum.

« Et dixi, omne consilium meum stabit, et omnia quæ- » cumque deliberavi faciam ; » atque iterum ea complebo in futuris temporibus; et quæcumque deliberavi ac decrevi, congruenter evenient; me dictis meis finem et complementum statuente : idque quo tempore lubebit, evocans ministros meos, qui avium volucrumque instar per aërem feruntur, angelicas dico virtutes, et administratorios spiritus, in ministerium missos. « Vocans ab oriente volu- » crem, et a terra longinqua, de quibus deliberavi locutus » sum : et adduxi, creavi et feci. Duxi eum, et prosperum » feci iter ejus. Audite me qui periistis corde, qui longe » estis a justitia. Admovi justitiam meam, et salutem, quæ » a me est, non tardare faciam. Dedi in Sion salutem Is- » raëli in gloriam [2]. »

[1] Isa., XLV, 8, 9 et 10 — [2] Ib., 11 12 et 13.

CAPUT XLVII.

« Descende, sede super terram, virgo filia Babylonis [1]. » Hic ceu personam quamdam regnum eorum alloquitur, quod etiam filiam Babylonis vocat : virginem item vocat, quod virginis instar, ornamentis et decore fulgeat, velitque juvenis et puella videri ac existimari. Hinc eam, ceu in sublimi loco sedentem, surgere jubet ac de throno suo descendere, atque humi sedere, ac turpitudinem revelare suam, quam ex illa in deterius mutatione patietur. « Sede » in terra, filia Chaldæorum : accipe molam, et mole fa- » rinam. Revela operimentum tuum, detege canos, denuda » tibias, transi fluvios [2]. » Deposita, *inquit*, regia illa voluptate, ancillæ instar ærumnosæ ac molæ servientis, ad serviendum dominis tuis te apparato. Acceptaque mola, mole ibi, hac dura et laboriosa servitute cum pristina voluptate commutata ****.

« Iratus sum contra populum meum, contaminasti hæ- » reditatem meam. Ego dedi eos in manum tuam : tu vero » non dedisti eis misericordiam [3]. » Hæc quippe erat disciplina tua, qua erudiebaris a principio temporis, et a juventute tua****.

[1] Isa., XLVII, 1. — [2] Ib., 2 et 5. — [3] Ib., 6.

CAPUT XLVIII.

« Audite hæc domus Jacob, qui vocamini nomine Israël, » et existis ex Juda, qui juratis in nomine Domini Dei » Israël, qui recordamini, non cum veritate, neque cum » justitia : qui adhæretis nomini civitatis sanctæ, et super » Deum Israël constabiliti estis : Dominus Sabaoth nomen » illi[1]. » Postquam ea quæ Babyloni, ac incolis regibusque ejus eventura sunt prænuntiavit, Judaïcum populum præmissis verbis coarguit dicens : quod penes me justitia sit, hæc Chaldæis inferam, non quod tu auxilio dignus sis. Et hæc prædicere occupavi, antequam res eveniant, præscientia divina vaticinatus; ut postquam ad rem et terminum deducta fuerint ea, quæ contra Chaldæos prædicta fuere, ne horum causam iis, quos deos arbitraris, adscribas.

« Priora adhuc annuntiavi, et ex ore meo exierunt, et » auditum factum est : repente feci, et venerunt. Scio quia » durus es, et nervus ferreus collum tuum, et frons tua » ænea. Et annuntiavi tibi vetera, antequam veniant in te. » Auditum tibi feci, ne forte dicas, sculptilia et conflatilia » mandaverunt mihi[2]. » Ne forte rebus evenientibus, te ipse decipiens, putes eos quos errando deos arbitraris, hæc effecisse. Verum hæc præscientiæ meæ non latent, te ne ex his quidem verbis quidpiam utilitatis percepturum esse. Verumtamen clementia motus mea, etiam nunc testificor,

[1] Isa., XLVIII, 1 et 2. — [2] Id., 3, 4 et 5.

ac annuntio tibi ea, quæ Babyloni et Chaldæis te oppugnaturis eventura sunt.

«Audistis omnia, et vos non cognovistis. Sed audita tibi » feci nova ab hoc tempore, quæ futura sunt. Et non dixisti, » nunc fiunt et non olim, et non in pristinis diebus audisti » ea. Ne dicas, etiam cognosco ea. Neque novisti, neque » scivisti, quando a principio aperui tibi aures; novi enim » quod prævaricans prævaricaberis, et iniquus adhuc ab » utero vocaberis [1]. » Ne teipsum decipias: ne dicas te etiam ante prophetiam meam hæc scivisse: nam unde tibi hæc notitia? Cæterum persuasum habeo te ex hisce verbis utilitatis nihil accepturum. « Propter nomen meum ostendam » tibi iram meam, et gloriosa mea inducam super te; ut non » destruam te [2]. » Attamen non propter te, sed ob clementiam meam jam hinc prædixi et ostendi tibi futura, atque perniciem inimicis tuis obventuram, omni modo occasioneque utens ad salutem tuam.

«Ecce vendidi te, non propter argentum: erui autem te » de fornace mendicitatis: propter me faciam tibi, quia » nomen meum profanatum est, et gloriam meam alteri » non dabo. [3] » Non ob argentum vendidi te, sed ad utilitatem tuam id effeci, ut hoc modo ad sanam mentem reducaris: quoniam verbis et monitis allatam institutionem non admisisti. Inimicis autem non argenti gratia vendidi te; sed peccatorum et impietatum tuarum causa: nam peccatis vestris venditi estis. Attamen ne ita quidem vos inimicis servire permittam; sed iterum redimam, et, ceu ex fornace mendicitatis, ex illa calamitate Babylonica iterum eripiam.

«Audi me, Jacob, et Israël quem ego voco. Ego sum » primus, et ego sum in sæculum, et manus mea fundavit » terram, et dextera mea firmavit cœlum: vocabo eos, et

[1] Isa., XLVIII, 6, 7 et 8. — [2] Ib., 9. — [3] Ib., 10 et 11.

» stabunt simul [1]. » In his eos evocat, qui bene se gerunt, postquam in præcedentibus alios, qui apud ipsos male audiebant, evocaverat. Verum hic præstantioribus loquitur, quos «voçatos» appellat. Nam tunc quoque erant multi vocati, pauci electi : memorati porro homines non electi, sed tantum vocati erant. « Et congregabuntur omnes, et au» dient. Quis ipsis hæc annuntiavit [2]? » Nam prædictæ virtutes ut jubenti Domino parent; quinetiam in unum congregatæ, stant ut ejus sermonem audiant. Id sane initio libri declarabat his verbis, « audi cœlum, et auribus percipe » terra, quia Dominus locutus est [3]. »

« Diligens te feci voluntatem tuam super Babylonem, ut » auferrem semen Chaldæorum. Ego locutus sum, et ego » vocavi. Adduxi eum, prosperam feci viam ejus. Adducite » ad me, et audite hæc, non ab initio in abscondito locu» tus sum : cum fierent, ibi eram. Et nunc Dominus Domi» nus avertit me, et spiritus ejus. Sic dicit Dominus, qui » eruit te, sanctus Israël : Ego sum Deus tuus, ostendi tibi, » ut invenires viam, in qua ambulares. Et si audisses man» data mea, fuisset et quasi fluvius pax tua, et justitia tua » ut fluctus maris : et fuisset quasi arena semen tuum, et » fructus ventris tui sicut pulvis terræ : neque nunc exter» minaberis, neque peribit nomen tuum in conspectu meo. » Egredere ex Babylone, fugiens a Chaldæis. Vocem jucun» ditatis annuntiate usque ad extremum terræ : dicite, libe» ravit Dominus servum suum Jacob [4]. » Quamobrem, cum jam hinc pollicear me non exterminaturum te, neque nomen tuum deleturum esse, dixi tibi, ut exires de Babylone, dimissus ac liber ab inimicorum metu. Accepta autem ad propria revertendi potestate, ne supine et oscitanter viam capesse, sed cum omni diligentia. Nam occurret

[1] Isa., XLII, 12 et 13. — [2] Ib., 14. — [3] Ib., I, 1. — [4] Ib., XLVII, 15, 16, 17, 18, 19 et 20.

tibi vox lætitiæ, quam vel jam hinc audias : quinetiam omnes qui sermones meos audierint, de salute tua una gaudebunt. Et hæc quidem secundum historiam, non reditus ex captivitate Babylonica tempore gesta sunt, cum ii, qui a Cyro et Dario Persarum regibus libertate donati fuerant, reverterunt. Ac secundum intelligendi rationem, cum in historia ad litteram reperiri nequeat petra illa aquas emittens in reditu populi, dicemus in iis qui a spirituali captivitate in perpetuum liberati sunt, de quibus Christus dicebat, « Evangelizare pauperibus misit me, prædicare « captivis dimissionem, » veram deprehendi promissionem. His quippe ipsis Apostolicus ex vera petra potus instillatur : « Petra autem erat Christus, » secundum Apostolum. « Quod » si sitierint, per desertum ducet eos : aquam ex petra edu- » cet illis. Scindetur petra, et fluet aqua, et bibet populus « meus. Non est gaudium impiis, dicit Dominus[3]. » Etenim pie agentibus, omnis a Deo adest voluptas, gaudium et lætitia, necnon alia omnia, quæ in promissis habentur; impiis vero nulla promissorum ratio habetur.

CAPUT XLIX.

—

« Audite me insulæ, et attendite gentes [4]. » Aperte significat se non Judæos in præsenti compellare, neque ad quasvis obvias insulas verba facere, sed ad gentes et ad Dei Ecclesias in medio gentium positas. Quapropter secundum Symmachum, sic legitur, « Audite me insulæ, et auscul-

[1] Luc, IV, 18. — [2] I Cor. X, I. — [3] Isa., XLVIII, 21 et 22. — [4] Id. XLIX, I.

» tate gentes. » Quid igitur Ecclesiæ suæ declarare expetat, ita subdit. « Per multum tempus stabit Dominus. » Ac primo observandum est, hæc et quæ postea subsequuntur, ex persona Domini proferri. Ubi ipse Dominus, qui sermonem exorsus est, quæ adjiciuntur quasi de alio dicta declarat: imo etiam sese genitum esse fatetur, et multa alia in sequentibus aperit. Ne jam, inquit, dum hæc eloquor, verborum effectum vos visuros esse sperate: nam diuturnum intercedet tempus, antequam ea quæ in prophetia enuntiantur eveniant. « Ex utero matris meæ vocavit nomen » meum. » Id ediscite, gentes et vos insulæ. Quidnam illud, nisi quod Dominus omnium dominator, vel antequam ego Dominus ad homines accederem, et dum in utero gestarer, me vocaverit, mihique nomen indiderit? Quia quemadmodum ipsi soli jam notum illud est; sic et vobis ipsis, omnibus nempe gentibus, suo tempore manifestum erit.

« Et posuit os meum ut gladium acutum [1]. » Sed etiam idem Deus et pater, mei ista loquentis Dom. os posuit ut gladium acutum, ac tenui ad separandos et sequestrandos eos, qui Deo digni sunt, ab iis, qui non pari modo se habent. Quod etiam ipse in Evangeliis testificabatur dicens, « Nolite putare quoniam venerim pacem mittere super » terram [2], et cætera. Et sub tegumento manus suæ abscon» dit me; posuit me quasi sagittam electam, et in pharetra » sua abscondit me. » Occultam ac multis hominibus latentem œconomiam sui in carne adventus his subindicat. Sicut autem linguam suam gladium acutum vocavit; ita et se a Patre sagittam electam positum fuisse testatur; ut quoties vellet feriret eos, qui hujusmodi spiculo digni essent, qualis erat anima illa, quæ dicebat, « Quia vulnerata » amore ego [3]. » Cæterum hanc sagittam, quasi in pharetra et sagittarum theca Deus Pater reposuit; ne illam omnes

[1] Isa., XLIX, 2. — [2] Matth., X, 34. — [3] Cant., II, 1.

viderent ac æstimare possent, dignis tantum exceptis. Consentaneæ autem ad sagittæ vocabulum, pharetræ nomine usus est. Pharetram vero et sagittarum thecam neutiquam aberres, si dicas esse carnem, quam Dei Verbum apud homines peregrinans assumpsit. His modis instructo mihi, qui hæc loquor Domino, Deus et Pater dixit, « Servus meus » es tu, Israël, et in te gloriabor[1]. » Quia enim ex utero matris prodiisti, et ortum ex semine Israël tulisti; non alio in genere, neque in alienigenis gentibus, incarnationem edidisti; sed in Israële ex semine David ex tribu Juda secundum carnem ortus, jure et ipse quoque Israël vocaris, et servus, quia servi formam accepisti, et si unigenitus sis Deus. At hic, ut in præcedentibus, filii quidem vocat : filii nomen tacet, servumque nomen adventui suo, et gratiæ per ipsum hominibus omnibus revelatæ, reservans. Deinde, quod nemini unquam servorum concessum est, id per te, inquiet, peragetur : nam in te gloriabor. Hæc quidem Deus et Pater : Ego vero, qui hæc dico, Dominus, his auditis verbis, ita respondi, Et quomodo in me gloriaberis, o Pater! cum multis laboribus doloribusque pro salute hominum perfunctus, nihil perfecerim? multi namque ex illis in incredulitate manserunt; atque in primis Judæi: quare dico, « Sine causa laboravi, » in vanum et in nihilum dedi fortitudinem meam. Propterea judicium meum a Domino, et labor meus in conspectu Dei mei. Et nunc sic dicit Dominus qui formavit me » ex utero servum sibi, ut congregarem Jacob ad eum, et » Israël; congregabor et glorificabor in conspectu Domini, » et Deus meus erit mihi fortitudo[2]. » Etiamsi enim homines non recte agant, nec ex laboribus meis, quos ipsorum causa perpessus sum, dignam utilitatem accipiant; at ego iis, quæ penes me erant, perfunctus, in conspectu Dei

[1] Isa., XLIX, 3. — [2] Ib. 4 et 5.

mei paternam explevi voluntatem: quamobrem iis, qui ex circumcisione sunt, primum salutarem et paternam gratiam prædicavi. Nam qui formavit me ab utero servum sibi, et ex Israële corpus meum concinnavit, is voluit ut ipsis prioribus gratiam meam prædicarem ut Jacob et Israël ad eum congregarem. Jure itaque hæc monita tradit, « In viam gentium ne abieritis, et in civitatem » Samaritanorum ne intraveritis: ite potius ad oves, quæ » perierunt, domus Israël [1]. » Patri ergo placuit, ut ad congregandum Jacob et Israël, ad homines transitum facerem unde ait, « In te gloriabor. » Ego vero incredulitatem et duritiem Israëlis conspicatus, jam pridem dixi: « Sine causa » laboravi: in vanum et in nihilum dedi fortitudinem me» am. » In aliis quoque idipsum declarat his verbis, « Quæ » utilitas in sanguine meo dum descendo in corruptionem [2]? » Sola quippe mihi ea, quæ ab ipso est, gloria servatur, et ipse quidem est fortitudo. Admiranda enim et stupenda ejus opera, virtutis ejus argumentum erant.

« Et dixit mihi, magnum est tibi ut voceris puer meus, » ut statuas tribus Jacob, et dispersionem Israël convertas [3]. » Nam revera maximum erat Salvatoris nostri opus, quod formam servi acceperit, et humanam generationem subierit. Causa porro cur Salvator servus effectus sit, hæc erat; uti scilicet tribus Jacob statueret, et dispersiones Israëlis converteret. Ideo ipsis primum prædicabat, qui animis captivi erant, dimissionem, et cæcis visus restitutionem. Quoniam illi gratiam non susceperunt, consequenter dicitur postea: « Ecce posui te in testamentum generis, in lu» cem gentium; ut sis in salutem usque ad extremum terræ. »

« Sic dicit Dominus, qui eruit te, Deus Israël [4]. » Ipse namque, qui olim Israël eruit de manu Ægyptiorum, vobis quoque gentibus hæc annuntiat, et præcipit dicens,

[1] Luc., IX, 2. — [2] Psal., XXIX, 10. — [3] Isa., XLIX. — [4] Ib., 7.

« Sanctificate eum, qui despicit animam suam; » quanto enim magis ille sese humiliavit usque ad mortem et mortem crucis, tanto magis vos ipsum celebrate. « Qui est » abominationi gentibus, servis principum. Reges videbunt » eum, et consurgent principes : et adorabunt eum prop- » ter Dominum, quia fidelis est sanctus Israël, et elegi te » e servis principum; » id est, malignorum dæmonum : nam ii qui ab ipsis in servitutem redacti sunt, in Christum Dei blasphema dicta proferunt. Ipsum autem abominationi habent, traducentes, irridentes ac vilipendentes mortem ejus. At vos quos sermo compellat, eumdem ipsum sanctificate et gloria afficite, quoniam ipsi « omne genu flectetur cœ- » lestium, terrestium et infernorum : et omnis lingua con- » fitebitur, quia Dominus Jesus Christus in gloria est Dei » Patris [1], » quando veniet in gloria Patris sui cum Angelis ejus, et sedebit in throno gloriæ ejus judicans vivos et mortuos. Tunc enim omnes ipsum adorabunt, propter Dominum Patrem ejus, quia fidelis est sanctus Israël, qui elegit eum. Pro illo autem, « et elegi te, » Symmachus habet, Elegit te. » Hæc itaque gentibus tradita sunt; quæ vero subjiciuntur, de persona Salvatoris prænuntiantur : cui etiam propheticus Spiritus ex persona Patris ait, « Tem- » pore accepto exaudivi te, et in die salutis adjuvi te. » Mirum autem in modum dicitur, « Tempore accepto exau- » divi te; » illud porro erat tempus resurrectionis ejus. Nam passionis tempore clamavit Servator his verbis, « Eli, Eli, » lamma Sabacthani [2]? » id est, « Deus meus, Deus meus, » ut quid dereliquisti me? » Quin etiam precatur his verbis, « Pater, si possibile est, transeat a me calix iste [3] : » deinde ut abnuentem Patrem vidit, ait, « Pater, si non potest hic » transire, fiat voluntas tua. » Hanc itaque orationem ad tempus accipiens Pater, post passionem, et post descen-

[1] Philipp., II, 10. — [2] Matth., XXVII, 46. — [3] Id., XXVI, 39 et 41.

sum in infernum, ipsum resurrectionis ejus tempus significans, ait illi: « Tempore accepto exaudivi te, etc. Et formavi te, et dedi te in testamentum, ut constitueres terram, et possideres hæreditates desertas. » Tales erant impiorum, et multis numinibus deditorum hominum animæ, desertæ a Deo, ac vere destructæ, secundum reliquos interpretes.

« Dicentem iis qui vincti sunt, Exite, et iis qui in tenebris, ut revelentur[1]. Eramus enim aliquando filii iræ, et » eramus aliquando tenebræ; nunc autem lux in Domino[2]. » Bona nuntia profert iis qui ex pristinis illis vinculis, exque priscis tenebris liberi evaserant, dicens: « In omnibus viis » pascentur, et in omnibus semitis pascua eorum. » Viæ semitæque quas pertransierunt illi olim Dei viri, sunt Scripturæ divinitus inspiratæ, ubi pascentes ii, qui promissa tenent, divino et rationabili cibo fruuntur, hæc bona pascua nacti, etc. « Non esurient, neque sitient, neque » percutiet eos æstus, neque sol. Sed qui miseretur eorum » consolabitur eos, et per fontes aquarum ducet eos[3]. » Æstum et solem, humanæ vitæ ardorem vocat, ac temporariam ejus, quæ apud homines lux æstimatur, usuram. Sed hæc, inquit, non comburent eos. Multi vero sunt fontes Israël et fontes salutaris; alii veteris, alii vero novi Testamenti. « Et ponam, ait, omnem montem in viam, » ut nihil ipsis acclive, nihil arduum asperumque superesset. Quinetiam omnem semitam in pascua ipsis se positurum esse pollicetur his verbis, « et ponam omnem montem in » viam, et omnem semitam in pascua ipsis [4]. » Jam prius diximus tribus oportere modis Sion et Jerusalem intelligere; uno quidem humili et Judaïco; altero autem modo accipitur pro toto piæ religionis instituto ex coalitione et conjunctione animarum intellecto; alio demum, qui super-

[1] Isa., XLIX, 9. — [2] Ephes., II, 2. — [3] Isa., XLIX, 10. — [4] Ib., II.

nus est, pro cœlesti et angelica conversatione, de qua ait Apostolus, « Illa autem, quæ sursum est Jerusalem, libera » est, quæ est mater nostra[1]; et, accessistis ad Sion montem » et civitatem Dei viventis, Jerusalem cœlestam[2]. » Quibus ad istum modum se habentibus, præsens sermo, piæ religionis instituto, quod olim apud Judæos erat, sed penes ipsos destructum, et ceu in exitium deductum, in gentium Ecclesiam mutatum fuerat, hæc vaticinatur. Montes igitur, utpote rationabiles, de hominum salute gaudere et exultare jubet. Montes autem illi fuerint animæ, quæ adhuc quidem in terra vivunt, sed virtutum exercitio admodum sublimes sunt; sive divinæ et cœlestes virtutes, queis gaudere et lætari præcipit.

« Ecce hi de longe venient : hi ab Aquilone et mari; alii » de terra Persarum [3]. » Quinam hi erant, nisi superius memorati, nimirum qui e quatuor universi climatibus vocati fuerant. « Lætamini cœli; et exultet terra, erumpant » montes in lætitiam; quia misertus est Deus populi sui, » et humiles populi sui consolatus est [4]. » Neque enim Deus cœleste illud institutum oblivisci potest, exemploque utitur naturali : Quemadmodum enim non potest mater filium suum oblivisci, et sicut non potest quæ genuit, uteri sui prolem non miserari; ita fieri nequit, ut ego, qui rationabiles hominum animas pro filiis meis constitui, piæ religionis institutum in hominibus stabilitum obliviscar : quare ait, « Dixit Sion, Dereliquit me Dominus, et Dominus obli- » tus est mei. Numquid obliviscetur mulier filii sui, ut non » misereatur partus uteri sui? Etiamsi autem horum oblita » fuerit mulier; ego tamen tui non obliviscar, dicit Domi- » nus [5]. » Queis aperte significat veram Sionem ruinæ et exitio obnoxiam non esse, sed semper manere et consis-

[1] Gal., IV, 26. — [2] Heb., XII, 22. — [3] Isa., XLIX, 12. — [4] Id., 13 — [5] Id., 14 et 15.

tere. Itaque si quis eam contemplari cupiat, ne deorsum respiciat, neque illam in Palæstinorum regione perquirat; sed audiat Deum sic eam alloquentem : « Ecce super ma» nus meas depinxi muros tuos, et in conspectu meo es » semper [1]. » Nam manus Dei revera hujusmodi urbem ædificant, imo potius ipsam delineant et depingunt, quasi in tabella quæ depingitur, ac divini instituti in animabus hominum stabiliti positionem et loca, lineamentis designant. Quod etiam ipse quoque civitatis fundator et opifex, videlicet Dei Verbum, docuit his verbis, « Supra petram ædi» ficabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalebunt » adversus eam [2]. »

« Citoque ædificaberis, a quibus destructa es, et qui te » desolaverunt egredientur ex te [3]. » Quemadmodum enim Judæi hujus excidii auctores fuere, sic rursum ex illa prodierunt novi ædificii artifices; Apostoli videlicet Salvatoris nostri, Disciipuli et Evangelistæ, quorum opera Ecclesia Dei excitata fuit. « Leva in circuitu oculos tuos, et vide omnes : » Ecce congregati sunt, et venerunt ad te. Vivo ego dicit » Dominus, quoniam omnibus illis, tanquam ornamento » indueris, et circumpones illos tanquam ornatum sponsæ : » quoniam deserta tua et dissipata tua, et quæ ceciderunt, » nunc angustiora fient præ habitatoribus, et longe arce» buntur a te qui absorbent te [4]. » Mirari subit quo pacto hæc tum quoad spiritualem intelligendi rationem, tum quoad historiam completa sint; nempe cum gens Judaïca, post fundatam Ecclesiam ex gentibus, a sensili illa urbe Palæstinæ expulsa est, quod a piæ religionis cultu delapsa esset.

« Dicent enim ad aures tuas filii tui, quos perdidisti, » Angustus mihi locus est : fac mihi locum ut habitem. Et

[1] Isa. XLIX, 16. — [2] Matth., XVI, 18. — [3] Isa., XLIX, 17. — [4] Ib., 18 et 19.

» dices in corde tuo, Quis genuit mihi istos? At ego absque » liberis, et vidua. Hos autem quis enutrivit mihi? Ego au- » tem derelicta sum sola : hi vero ubi erant mihi [1]? » Vice populi ex circumcisione, multitudo magna totum per orbem in Ecclesiam ex omnibus gentibus inducetur. Olim quippe in pernicie erant ii, qui per salutarem gratiam ad divinæ religionis institutum accurrerunt : quibus conspectis Ecclesia Dei admirabunda dicet, « Quis mihi hosce ge- » nuit? » ad novam et insolentem gentium vocationem attonita : ac sterilitatem sibi a Judaïca gente inductam fatebitur. « Sic dicit Dominus, Dominus, Ecce elevo super gentes » manum meam, et ad insulas levabo signum meum : et » adducent filios tuos in sinu, et filias tuas humeris porta- » bunt [2] : » docens se filios et filias ejus, de quibus dixit, « Hi vero ubi erant mihi? » ex electione gentium ad Ecclesiam deducturum esse. Quinam vero id acturi sunt, nisi qui alios ad Ecclesiam Dei accedentes manu ducunt ob eorum mentis imbecillitatem et infantiam?

« Et erunt reges nutritii tui, et reginæ eorum nutrices » tuæ [3]. » Quod ad litteram impletum ipsis oculis cernimus, dum ii, qui supremum imperium obtinent, Ecclesiam Dei nutritiorum instar gestant et fovent : ac reginæ gentium, id est, singularum gentium et provinciarum præfecti et magistratus, superno regno ministrantes, tanquam nutrices, pauperibus Ecclesiæ Imperatorio nutu annonam suppeditant : quare nutrices ejus vocantur, sive secundum Symmachum, « Lac præbentes, » sic enim habet, « Et re- » ginæ eorum lac præbebunt. » Quis autem memoratos præfectos cernens in Ecclesia Dei genua flectere, ac in frontem humi procumbere, non fateatur hanc prophetiam ad litteram completam esse, quæ diserte ait, « Super faciem » terræ adorabunt te, et pulverem pedum tuorum lingent.

[1] Isa., XLIX, 20 et 21. — [2] Ib., 22. — [3] Ib., 23.

»Et scies quia ego sum Dominus, et non confundentur, »qui exspectant te?» Par est enim non in segnitiem delabi, neque spem promissorum amittere ante rerum eventum.

« Num accipiet quis a gigante spolia? et si quis captivum »duxerit injuste, salvabitur [1]?» Gigantem vocat diabolum et adversariam potestatem. Numquid igitur, ait, contra gigantem quivis congredi, ac tanti roboris viro spolia eripere valeat? Quod si quis talem hominem captivum addu cere tantaverit, etsi juste agat, an pro insonte habebitur? Annon a gigante, utpote a fortiore, correptus, de salute periclitabitur? Pro illo autem, *injuste* Hebraïca lectio *juste* habet. Nam qui gigantem captivum duxerit, juste sane agat, pariterque qui ejus spolia diripuerit. « Quoniam sic »dicit Dominus, Si quis ceperit gigantem, accipiet spolia: »qui autem acceperit a forti, salvabitur. Ego autem judi-»cium tuum judicabo, et filios meos eruam [2].» Aperte declarans nobis, id solum fieri posse, ut prædicti hominis spolia auferantur; filios suos his significans, quare subdit, »Filios meos eruam:» quibus ereptis qui ipsos violenter abstulerant, suas ipsi carnes comedent. Cum enim aliorum carnes non ultra comedere possint, suas comedent, et cum animarum hominum sanguinem ebibere non valeant, sanguinem suum bibent, ut illo inebrientur. »Et comedent »qui tribulaverunt te carnes suas, et bibent, quasi vinum »novum, sanguinem suam, et inebriabuntur [3].» Hæc possunt ad persecutores Ecclesiæ Dei, qui per tempora fuerunt, referri, hisque eorum finis et exitium describitur, quomodo scilicet futurum sit, ut carnes suas comedant, et sanguinem suum bibant.

« Et sentiet omnis caro, quia ego Dominus, qui erui te, »et adjuvi fortitudinem Jacob [4].» Incorporeum numen est, materiæ expers, intactile et simplex; nec quispiam, si qui

[1] Isa., XXIX, 24. — [2] Ib., 25. — [3] Ib. 27. — [4] Ib., 27.

dem uti fas est egerit, speciem de illo corpoream imaginetur. Attamen sacra Scriptura hos alloquens, humano more de ipso edisserit. Neque enim alias eum intelligere possent ii qui in corpore, ipsoque crasso et materiali, degunt, nisi ea quæ penes nos sunt, ad exemplum usurparentur; ut ex iis quæ divinam substantiam spectant, saltem ex parte, cogitare possemus.

CAPUT L.

« Sic dicit Dominus, Qualis hic liber repudii matris vestræ, » quo dimisi eam? aut cui debitori vendidi vos? Ecce peccatis » vestris venumdati estis, et in iniquitatibus vestris dimisi » matrem vestram. Quid quia veni, et non erat qui obediret? » Annon potest manus mea liberare? Annon possum eruere? » Ecce comminatione mea desertum faciam mare: et ponam » fluvios desertos, et arescent pisces eorum, eo quod non sit » aqua et morientur siti. Induam cœlum tenebris, et quasi » saccum ponam indumentum ejus. Dominus, Dominus dat » mihi linguam disciplinæ, ut sciam quando oporteat loqui » verbum. Posuit mihi mane: addidit mihi aurem ad au- » diendum, et disciplina Domini aperit aures meas. Ego » autem non renuo, neque contradico. Dorsum meum » dedi ad flagella, et genas meas ad alapas: faciem autem » meam non averti a probro sputorum: et Dominus, Domi- » nus meus auxiliator mihi factus est; ideo non sum confu-

»sus, sed posui faciem meam, sicut firmam petram [1]. » Ideo faciem meam tanquam firmam petram obtuli, confisus, meam erga Patrem obsequentiam, non dedecori mihi fore : quem e vicino mihi adstantem, concertanti præmia largientem, patientiamque meam approbantem, semper vidi. Quod si quis contumeliis ipsamque mortem, juste mihi ob scelera quædam illatam esse comprobare possit, in medium prodiens ostendat, si quam causam vel occasionem tantis contumeliis dederim; in medium, inquam, prodiens, stet meque arguat. Cum autem nemo mihi crimen offerre possit, neque de doctrina, neque de operibus in me editis, jure Dominus adjutor mihi aderit.

«Quia juxta est qui justificat me. Qui est qui litiget me-»cum ! Stet contra me simul. Et quis est qui litiget me »cum, accedat ad me [2]. » Nam ulciscente, inquit, Deo et Patre, omnemque molestiam a vobis illatam auferente, meamque gloriam constituente, quis in vobis erit, qui immutabili ejus consilio et voluntati obsistere valeat, et ejus auxilio fruentem opprimat? Itaque si qui in Scribarum et Pharisæorum grege prudentes homines fuissent, abstinuissent utique a machinamentis et conspirationibus adversus eum conflatis; cum sanctorum Prophetarum testimonio prospiceret, se non posse eum lædere, qui Christus Deus et Dominus, ac verus Patris Filius esset. « Ecce Do»minus, Dominus auxiliabitur mihi : quis lædet me? Ecce »vos omnes tanquam vestimentum veterascetis, et tinea »comedet vos [3]. » Queis significat antiquandum fore corporeum cultum : quidquid enim antiquatur et senescit, ruinæ proximum est. Pertineam vero ipsos comedentem, conscientiam scelerum ab ipsis perpetratorum significat, quæ instar vermis animam exedet. Gentium quippe conversionem ad Deum ac ruinam, quam impietatis suæ causa

[1] Isa., L, 1, 2, 3, 4, 5, 6 et 7. — [2] Ib., 8. — [3] Ib., 9.

sustinuerunt, conspicientes, a conscientia stimulantur et devorantur.

« Quis est in vobis qui timet Dominum? audiat vocem » pueri ejus. Qui ambulant in tenebris, et non est eis lux. » Confidite in nomine Domini, ei innitimini Deo [1]. » Neque enim volo mortem peccatoris, sicut pœnitentiam ejus. Quare etiam nunc vos evoco, qui in tenebris ignorantiæ versamini. Cum autem puerum Dei sese nuncupat, intelligendum præbet se, qui homo factus est, verum Dei et Patris filium esse : quod vero vocem ejus audiret, id nequaquam legis transgressio erat, sed confirmatio legis, quæ per figuram et umbram veritatem delineabat : quæ est ipse Deus et ejus vaticinia.

« Ecce vos omnes ignem accenditis, et corroboratis flam- » mam : ambulate in lumine ignis vestri, et in flamma, » quam succendistis. Propter me facta sunt hæc vobis, et » in mœrore dormietis [2]. » Solum accedite, et obedite, ac salutem pollicenti vobis credite. Sed, ut video, vos ab omni bona spe seclusistis : vestrum autem ignem augetis et roboratis in incredulitate vestra, et in blasphemiis vestris perseverantes : illumque æterni supplicii ignem qui vos expectat, magis magisque accenditis : quamobrem « in » mœrore dormietis; » sive secundum Symmachum, « in » dolore dormietis. »

[1] Isa., L, 10. — [2] Ib., 11

CAPUT LI.

—

« Audite qui persequimini quod justum est, et qui quæ-»ritis Dominum [1]. » Quia immani stultitia obcæcati Judæorum populi, Unigenitum Dei Verbum in forma nostra, id est, hominem factum videntes, ejus mysterium non intellexerunt : sed amentia ducti sua, plerumque ipsum blasphemis dictis impudenter incessebant. Nam, ut paulo ante dixi, eximiam gloriam et virtutem suam ipsis perspicue declarat, atque eorum quosdam ne se parvi æstimarent, deterret his verbis, « confidite in Domino. » Apertissime igitur se Dominun et Deum esse dicit, qui uti jam dixi, homines deterret, ne de se humiliore modo sentiant et loquantur. « Respicite in firmam petram, quam exci-»distis, et in foveam lacus, quam effodistis. » Videtur his subindicare illam ipsam petram, quæ Salvatoris corpus excepit, in qua Joseph speluncam excavavit in novo monumento suo.

« Respicite in Abraham patrem vestrum, et in Saram »quæ parturivit vos : quia unus erat, et vocavi eum, et »benedixi ei, et dilexi eum, et multiplicavi eum [2]. » Quemadmodum igitur in Abrahamo feci, sic ne desperetis ex hac petra, quam vos excidistis, quamdam salutis spem omnibus hominibus futuram esse; quod illi non privandi sint illa ad Abraham facta, et per me omnibus gentibus

[1] Isa. LI, 1. — [2] Ib., 2.

per hujus petræ gratiam danda, promissione. Petra itaque erat illa, et spelunca, quam Joseph in monumentum excavavit. At Christum etiam divinus Apostolus petram appellare novit, dicens, « Petra autem erat Christus[1]. » Quia injectis manibus corpus Christi tempore passionis deformarunt, qui mortem ejus machinati sunt, merito dicitur ipsis, « respicite in firmam petram, quam excidistis, et in » foveam lacus, quam effodistis. » Num etiam per foveam lacus latus corporis ejus vulneratum subindicat, ex quo sanguis et aqua profluxerunt?

« Et te nunc consolabor, Sion, et consolatus sum omnia » deserta ejus : et ponam deserta ejus tamquam paradisum, » et quæ sunt ad occasum ejus tamquam paradissum Do» mini. Lætitiam et exultationem invenient in ea, confes» sionem et vocem laudis[2]. » Quasi ad discrimen ejus quæ olim virum habebat, nunc Ecclesia ex gentibus desertum denuo vocatur, quemadmodum idem Propheta vaticinatur, « lætare sterilis, quæ non paris : erumpe et clama » quæ non parturis, quia multi filii desertæ, magis quam » ejus quæ habet virum. » Quænam erat illa quæ virum habebat, nisi quæ libellum repudii edidit?

« Audite me, audite me, popule mi, et reges ad me at» tendite[3]. » Novo enim populo, ac ex gentibus constituendo, novam dare legem opus erat. Nam quæ per Moysem data fuerat, gentium instituto incongruens erat, utpote quæ totum corporeum cultum uno loco, scilicet Jerosolymis, circumscriberet : quapropter novum Testamentum et Evangelicam prædicationem subindicans, necessario ait, « quia lex a me egredietur, et judicium meum » in lucem gentium : » hic rursum lucem gentibus, non vero Israëli promittens. « Appropinquat cito justitia mea, » et egredietur quasi lux salutare meum, et in brachium

[1] I Cor., x, 1. — [2] Isa., LI, 3. — [3] Ib., 4.

» meum gentes sperabunt : me insulæ expectabunt, et in » brachium meum sperabunt[1]. » Ad promissionis confirmationem promissa iterat : nam justitiæ plena erat gratia omnibus gentibus æqualiter distributa; ea erat Christus Dei, quem accipiens Symeon in ulnas suas, dixisse scribitur, « Nunc dimittis servum tuum, Domine, quia vide- » runt oculi mei salutare tuum[2], » et cætera.

« Elevate in cœlum oculos vestros, et respicite in terram » deorsum, quoniam cœlum tanquam fumus firmatum est; » terra autem sicut vestimentum veterascet : qui autem in- » habitant eam sicut ista morientur : Salutare vero meum » in sæculum erit; justitia autem mea non deficiet[3]. » Deitatem Verbi significat prophetia : sicut enim per illud, « Salutare, » humanitatem indicabat; sic isto modo deitatem adumbrat. « Audite me, qui scitis judicium, popule, » cujus lex mea in corde vestro[4]. » Videbat enim eos, qui pie vivere voluerint in Christo, persecutionem passuros, contumeliis afficiendos, ac contemptui ab hominibus habendos esse; itemque omnis generis vexationes tentationesque perpessuros esse. Quamobrem, ut ipsos muniat et firmet jam hinc præcipit, « Ne timeatis opprobrium homi- » num, et contemptu eorum ne vincamini. » Etenim, inquit, finem eos excepturum consideratum oportet.

« Nam sicut vestimentum, a tempore consumetur, et » sicut lana, comedetur a tinea : justitia autem mea in sæ- » culum erit : salutare vero meum in generationes genera- » tionum. Exurge, exurge, Jerusalem, et induere fortitu- » dinem brachii tui. Exurge sicut in principio diei, sicut » generatio sæculi[5]. » Hoc additamentum, « Jerusalem, » ut in Hebraïca lectione fertur, in reliquis interpretibus non comparet; sed omnes sic ediderunt, « Exurge, ex-

[1] Isa., LI, 5. — [2] Luc. II, 29. — [3] Isa., LI, 6. — [4] Ib., 7. — [5] Ib., 8 et 9.

» urge, induere fortitudinem, brachium Domini. » Secundum omnes igitur non Jerusalem sermo compellat, sed brachium Domini; hinc consequenter par est ut etiam nos ad brachium Domini, ipsius Domini compellationem referamus, de quo superius dictum est, « Et in brachium » meum gentes sperabunt. »

« Nonne tu es, quæ desertum fecisti mare, aquas abyssi » multas? Quæ posuisti profundum maris viam transitus » iis, qui liberati et redempti fuerunt? A Domino enim re- » ducentur, et venient in Sion cum lætitia et exultatione » sempiterna. In capite enim eorum laus, et lætitia appre- » hendet eos : fugit dolor et mœror et gemitus [1] : » quando omni timore exempti, non ultra inimicos et adversarios reformidabunt. Nam ex « cœlesti Sion abscessit dolor, mœ- » ror, et gemitus. Ego sum, ego sum, qui consolor te. » Scito quæ fueris, et timueris ab homine mortali, et a » filio hominis, qui quasi fœnum arefacti sunt [2]. » Ipse namque est propitiatio nostra, qui consolatur humiles. Tu enim ad imaginem meam a me facta, maximo donata es honore, quod me consolatorem haberes : quapropter dico, « Ego sum, qui consolor te. » Ignoro autem quo pacto, dignitatis immemor tuæ, formidini et terrori subjecta fueris. Hæc porro dicit quasi formidolosos et infirmiores, qui in Ecclesia sunt, alloquens : nam perfecti, et qui martyrii corona exornati sunt, ejus sunt gloriam consecuti. Siquidem cum par fuisset te metu et commotione vacuum manere, utpote populum meum, ad finem corruptibilis hominum vitæ respicientem, atque eosdem ipsos, quos ex timescebas, a futura pernicie eximere; tu contra illos reformidans, « Oblitus es Dei, qui fecit te, qui fecit cœlum, » qui fundavit terram : et timuisti semper omnibus diebus faciem iræ tribulantis te [3]. » Ideo ad probationem athleta-

[1] Isa., LI, 10 et 11. — [2] Ib., 12. — [3] Ib., 13.

rum meorum persecutiones contra Ecclesiam meam excitari permitto.

« Sicut enim cogitavit tollere te, et nunc ubi est furor » tribulantis te ? Cum enim salvaberis, non stabit, neque » diu permanebit : quia ego Deus tuus qui conturbo mare, » et sonare facio fluctus ejus, Dominus Sabaoth nomen » mihi. Ponam verba mea in ore tuo, et sub umbra manus » meæ protegam te, in qua statui cœlum, et fundavi » terram [1]. » Ne quid adversi patiaris ab oppugnantibus; imo ut confidentior, imperterrita et inconcussa perstes, discas me manu mea, qua statui cœlum et fundavi terram, et universum mundum ex nihilo ad existentiam produxi, te protecturum esse polliceri. Quid ergo angeris, aut hominum formidine occuparis, cum ad umbram meam confugere, nec ab ea recedere oporteat, atque sermones meos semper in ore ferre opus sit ?

« Et dicet Sion, Populus meus es tu. Excitare, excitare, » exurge, Jerusalem, quæ bibisti de manu Domini calicem furoris ejus : calicem enim ruinæ, et poculum furo» ris ebibisti et evacuasti [2]. » His videtur significare extremam ejus ruinam, quam post perpetrata ibidem contra Salvatorem nostrum facinora perpessa est : quare iram Dei experta est. Cum autem hic sermo mansuetudine et humanitate plenus sit, neque velit Deus mortem peccatoris, sicut pœnitentiam ejus, hortatur ipsos ut ad pœnitentiam agendam maturent, bonam ipsis spem, si resipiscant, adscribens. Itaque Jerusalem est, quæ calicem iræ ebibit. Estque sane alia Jerusalem, de qua frequenter vaticinatur. Quapropter non oportet eas commiscere et confundere, neque putare de eadem contraria proferri. Nam alia in cœlo est, in qua regnare dicitur Deus, et adversus quam nec ira nec furor accenditur; ab ea namque dolor, mœror ac

[1] Isa., LI, 14, 15 et 16. — [2] Ib, 17.

gemitus abscessit; alia vero civitas Dei in terra consistens est, quam significare diximus religiosum apud homines vivendi institutum; præter hasce vero alia est, iram Dei experta ob civium suorum iniquitatem.

«Et non erat qui consolaretur te ex omnibus filiis tuis, »quos peperisti: et non erat qui apprehenderet manum »tuam, ne ex omnibus quidem filiis tuis, quos exaltasti. »Quare hæc contraria tibi: quis tecum contristabitur? »Ruina et contritio, fames et gladius; quis consolabitur »te[1]?» Tum quis calicem iræ et ruinæ ebibit, ac bibens guttatim haurit, cum omnia supplicia, omnes illatos cruciatus sustinet pro sceleribus admissis. Quemadmodum vero medici male habentibus acerba remedia offerunt, ut malignitatem in corpore existentem expurgent; ita et de Deo dicitur, «Calix in manu Domini, vini meri[2],» etc. At enim animarum ille medicus, morbis animæ insidentibus congruentes castigationes, quasi quamdam antidotum ad medelam et purgationem præsentis infirmitatis, profert. «Filii tui indigentes, dormientes in compitis omnium via»rum, sicut beta semicocta, pleni furore Domini, defi»cientes per Dominum Deum.[3]» Secundum reliquos interpretes pro illo, «sicut beta semicocta,» sic legitur, «tan»quam oryx irretitus.» Oryx autem est avis sic appellata, cui filios Jerusalem comparat, retibus diaboli irretitos: quamobrem iræ traditi sunt.

«Propterea audi humiliata et ebria, non vino: Sic dicit »Dominus Deus, qui judicat populum suum: Ecce accepi »de manu tua calicem ruinæ, poculum iræ meæ, nec ad»jicies ultra bibere illud[4].» Jerosolymæ pollicetur ablaturum se ab ea esse calicem furoris, si tamen pœnitentiam agat. Illud enim, «ecce tuli,» dicitur pro, «accipiam.

[1] Isa., LI, 18 et 19. — [2] Psal. LXXIV, 9. — [3] Isa., LI, 20. — [4] Ib., 21 et 22.

»Et dabo illud in manus eorum, qui te læserunt, et hu»miliaverunt; qui dixerunt animæ tuæ, inclinare, ut præ»tereamus : et posuisti æqualia terræ media tua foris »transeuntibus[1].» Verisimile porro est hæc, etiam de adversariis potestatibus pronuntiari, quibus se subjicit omnis anima, quæ a Deo transfugit. Nam quæ ad Deum accedit, erecta est et sursum aspicit, ad ipsumque elevatur : quæ vero sese malignis dæmonibus adjungit, iis utique subjicitur.

CAPUT LII.

—

« Excitare, excitare Sion : induere fortitudine tua Sion ; »et tu induere gloria tua Jerusalem civitas sancta. Non »ultra adjiciet transire per te incircumcisus et immundus[2].» Anima quippe rationalis maximam vim et fortiudinem, magnamque gloriam habet, utpote quæ secundum imaginem Dei facta sit : quam resumere, et civitas sancta fieri, expetit, ut non ultra per eam transeat incircumcisus et immundus. Per incircumcisum igitur alienigenam et extraneum significat; per impurum autem, idololatram. « Ex»cute pulverem, et exurge : sede Jerusalem, solve vin»cula colli tui, captiva filia Sion[3].» Nam penes illam erat pulverem quo circumquaque respersa erat abstergere, et a ruina quæ sibi contigerat emergere, vinculumque collo

[1] Isa., LI, 23. — [2] Id., LII, 1. — [3] Ib., 2.

suo impositum solvere, quo ceu laqueo animam catenis peccatorum alligaverant adversariæ potestates.

« Quoniam hæc dicit Dominus, Gratis venumdati estis, » et sine argento redimemini. Sic dicit Dominus, in Ægyp- » tum descendit populus meus prius, ut habitaret ibi, et » in Assyrios violenter acti sunt [1]. » Non enim corporea captivitas illa erat, ut corporeo pretio libertatem obtinerent, quandoquidem quoad animas venditi erant. Quamobrem non argento redimendi erant, sed Christi pretioso sanguine. « Et nunc quid estis hic? Hæc dicit Dominus, » quia ablatus est populus meus gratis, admiramini et ulu- » late. Hæc dicit Dominus, propter vos semper nomen » meum blasphematur in gentibus [2]. » His prophetia indicat blasphema contra Christum dicta, quæ principes Judaïcæ gentis quotidie evomunt. « Propterea sciet populus meus » nomen meum in die illa, quia ego sum : ipse loquens ad- sum[3]. » Qua die, nisi cum ego ipse, ait, qui nunc per Prophetas meos hæc loquor, ad homines adveniam?

« Sicut hora super montes, sicut pedes evangelizantis » auditum pacis, sicut evangelizans bona, quia auditam » faciam salutem tuam, dicens, Sion, regnabit Deus tuus[4]. » Beatitudines annuntiantes, quas Servator per Evangelicam doctrinam dedit. Prædicatio autem Sioni annuntiabatur, videlicet religiosæ vitæ cœtui et Apostolico choro : quapropter regnum cœlorum omnibus hominibus prædicabant. « Quia vox custodientium te exaltata est, et voce si- » mul lætabuntur : quia oculi ad oculos videbunt, quando » misertus fuerit Dominus Sion. » Secundum Theodotionem vero, « vox speculatorum tuorum edidit vocem : in » idipsum exultabunt, quia oculum in oculis videbunt. » Speculatores hic vocat Discipulos et Apostolos Salvatoris nostri. Quemadmodum enim speculatores populi ex cir-

[1] Isa., LIII, 3 et 4. — [2] Ib., 5. — [3] Ib., 6. — [4] Ib., 7.

cumcisione vocabantur Prophetæ, qui penes illos erant; ita et nunc novæ illius Sionis, videlicet Ecclesiæ Dei religiosique cœtus, Salvatoris nostri Apostoli speculatores effecti sunt, atque custodes : qui ejusdem Salvatoris oculati testes, et auditores, alta voce locuti sunt, ita ut etiam ab omnibus gentibus audirentur. Iidem vero ipsi omni spirituali lætitia replebantur, quia Sionem illam, de qua superius, miseratus est Deus, et quia illa olim deserta ejus, per salutarem redemptionem, salutem nacta sunt : quare ait :

« Erumpant in lætitiam simul deserta Jerusalem : quia » misertus est Dominus ejus, et eruit Jerusalem. Et revelabit Dominus brachium sanctum suum in conspectu omnium gentium. Et videbunt omnes fines terræ salutem, » quæ est a Deo nostro [1]. » Viden' quo pacto his etiam verbis Evangelicam prædicationem gentibus polliceatur? Etenim brachium sanctum suum, quod erat ipsum Dei Verbum, omnibus gentibus revelaturum esse Deum declarat. Cum itaque Sionem et Jerusalem sic alloquatur, hæc ad gentium vocationem referenda sunt. « Recedite, recedite, » egredimini inde, et immundum nolite tangere : exite de » medio ejus [2]; » videlicet ex incredulo et immundo populo. « Separamini, qui portatis vasa Domini. » Vasa Domini erant corpora ipsorum, a Domino electa, in sanctitate et honore Deo segregata; sive etiam vasa Domini erant novi Testamenti Evangelia : quæ qui gestabant, ab incredulitate Judæorum amovere se, ab iisque se segregare jubentur.

« Quia non cum tumultu exibitis, neque fugientes ibitis : » præcedet enim vos Dominus, et qui congregat vos Deus » Israël [3]. » Non enim quasi compulsi ad circumcursandas gentes accedebant Apostoli; sed cum omni alacritate et voluntatis affectu, jussi docere omnes gentes in nomine ejus. « Ecce intelliget puer meus, et exaltabitur, et glori-

[1] Isa., LII, et 10. — [2] Ibid., 11. — [3] Ib., 12.

» ficabitur valde[1]. » Queis resurrectionem a mortuis, assumptionem item in cœlum, et exaltationem significat. Servum porro, secundum Aquilam, sese jure nuncupat, ob servi formam, quam accepit. Nam Deus Verbum, « semetipsum exinanivit cum in forma Dei esset, » ut ait sacer Apostolus, « formam servi accipiens, et habitu inventus ut » homo[2]. » Verum ipse puer et servus Dei, omni sapientia et scientia replebatur, quod verbum Dei in se contineret.

« Sicut stupebunt super te multi, sic ingloria erit ab » hominibus species tua, et gloria tua a filiis hominum. Ita » mirabuntur gentes multæ super eo, continebunt reges os » suum: quia quibus non est annuntiatum de illo, vide» bunt, et qui non audierunt, intelligent[3]. » Id enim reges commovebat, nempe quod Evangelicum verbum ad remotissimas gentes pervaderet. Et hæc quidem olim verbo prænuntiabantur, re autem completa sunt in Salvatoris ad eos adventu: quem oculis cum viderent Judæi, vocemque ejus audirent, nec intellexerunt, nec loquenti aures præbuerunt; ita ut etiam prophetia illa jam præmissa in illis compleretur; « auditu audietis, et non intelligetis; et respi» cientes respicietis; et non videbitis.

CAPUT LIII.

—

« Domine quis credidit auditui nostro? et brachium Do» mini cui revelatum est[4]? » Mirantium more Dei Prophetæ,

[1] Isa., LII, 13. — [2] Phil., II, 6. — [3] Isa., 14 et 15. — [4] Ib., LIII, 1.

Judaïcæ gentis incredulitatem cernentes, ac gentium conversionem et obsequentiam videntes, hæc dicebant. Brachium porro Dei, unigenitum Filium vocari plerumque commonstravimus : qui consequenter ad prophetica dicta credentibus in ipsum gentibus cognitus est : « Annuntiavi-» mus : quasi parvulus in conspectu ejus, sicut radix in » terra sitienti. Non est species ei, neque gloria : et vidimus » eum, et non habebat speciem, neque decorem [1]. » Per terram inviam, Virginem subindicat, quam nemo adiit : per radicem vero, eamdem ipsam de qua dicebatur, « egre-» dietur virga de radice Jessæ, et flos de radice ejus as-» cendet. » Nam ibi quoque ascensurus esse dicebatur, sed de radice Jessæ; hic autem ex memorata terra invia.

« Sed species ejus inhonorata et deficiens præ filiis ho-» minum. Homo in plaga existens, et sciens ferre infirmi-» tatem : quia aversus est vultus ejus, despectus et non re-» putatus. Ipse peccata nostra portat, et pro nobis dolet : » et nos reputavimus eum esse in dolore, et in plaga, et in » afflictione [2]. » In communi Propheta loquitur, sese præ humanitatis affectu iis connumerans, qui Salvatorem non reputaverunt : non reputavimus eum, neque ipsum nobis adscivimus, neque cogitavimus quis esset. Ipse vero animarum nostrarum Servator erat, a vulneribus curans, et purgans ab omni peccato. Sed nos quidem, utpote infantes, eam de illo habuimus existimationem : ille vero hæc omnia per nos passus est, ut nos liberaret ab omni peccato.

« Ipse autem vulneratus est propter peccata nostra, et » infirmatus est propter iniquitates nostras. Disciplina pacis » nostræ super eum : vibice ejus sanati sumus [3]. » Tunc igitur contritus et profanatus est, secundum Aquilam, ac pessima quæque perpessus est, non ob proprium quod-

[1] Isa., II, 1. — [2] Id., LIII, 3 et 4. — [3] Id., 5.

dam peccatum, sed ob peccata nostra. Et fuit disciplina pacis nostræ super eum; cum ea quæ ob peccata nostra nos perpeti opus erat, hæc ipsi supervenerunt pro pace nostra cum Deo stabilienda. Quoniam et vibicibus et vulneribus toto corpore onustum fuisse verisimile est, utpote qui percussus, flagellatus, in facie colaphis cæsus, et in capite calamo percussus fuerit. Cæterum vibices hujusmodi saluti nobis erant: nam « Vibice ejus nos sanati su» mus. » Nos vero, quinam, nisi qui olim erravimus nec reputavimus eum, neque cognovimus qui esset?

« Omnes quasi oves erravimus: homo in via sua erravit. » Et Dominus tradidit eum peccatis nostris: et ipse propter » afflictionem non aperuit os suum. Sicut ovis ad occisio» nem ductus est, et sicut agnus coram tondente sine voce, » sic non aperit os [1]. » Alius aliam iniit viam erroris, quia de illo varia et contraria sentiebat; at illi non sine scopo et fine quodam hæc evenerunt. Ipse namque Dominus sese tradidit pro peccatis nostris, ut pro animarum nostrarum redemptione pretium esset. Sic enim et agnus Dei factus est, qui tollit atque purgat peccatum mundi. Symmachus autem, « Oblatus est, ait, et ipse obedivit. » Cui vero oblatus est, nisi Pilato? Et quia accusatus tacuit, et falsis testibus nihil respondit, « In afflictione judicium ejus latum » est. Generationem ejus quis enarrabit? Quia tollitur de » terra vita ejus. Ab iniquitatibus populi mei ductus est ad » mortem [2]. » Postquam cruciatus ejus recensuit, auditorum mentem ad generationis ejus cogitationem transmittit, hæc adjiciens, « Generationem ejus quis enarrabit? » Nam tum maxime quivis majori ob patientiam ejus admiratione capietur, cum secum reputaverit quis et qualis ille sit, et quod ex Deo natus unigenitusque talia sustinuerit.

« Et dabo improbos pro sepultura ejus, et divites pro

[1] Isa., LIII, 6 et 7. — [2] Ib., 8.

» morte ejus : quia iniquitatem non fecit, neque dolum in » ore suo [1]. » Quis dabit, nisi universorum judex? et quos dabit, nisi eos, qui prius memorata perpetrarunt, quos statim, nec diu postea, inimicis et hostibus obsidentibus tradidit? Ac etiam confestim accidit, ut memoria eorum ex hominibus auferretur, qui olim apud Judæos multum auctoritate valebant, Pharisæorum scilicet, Scribarum et Sadducæorum; ad hæc vero, Sacerdotum, et summorum Pontificum, necnon eorum, qui regia penes ipsos dignitate fulgebant. Nam hi sunt, qui hoc loco divites appellantur: quos non diu postea ira Dei invasit, quia impeccabilem Christum, tali supplicio dediderant. « Quia iniquitatem non » fecit, neque dolum in ore suo. » De ejus seu verbo seu opere impeccabilitate loquor, quam in omni vita sua obtinuit. « Nemo igitur purus fuit a sorde, etiamsi unius diei » fuerit vita ejus [2], » nisi ipse.

« Et Dominus vult mundare ipsum a plaga [3]. » Pro omnibus ergo ille mortuus est, ut purgaret et tolleret peccatum mundi; quamobrem e re fore æstimavit Deus et Pater, si eum a plaga, sive ab illata passione purgaret. « Si dede- » ritis pro peccato, anima vestra videbit semen longævum. » Quod ait hujusmodi est: Post ea, quæ superius memoravimus, si quis ex iis qui contra ipsum impie egerunt, voluerit hostiam offerre; id est, confessionem et pœnitentiam peccatorum exhibere, is a spe bona in eum reposita nequaquam delabetur. Etiamsi enim dictum fuerit, « Dabo » impios pro sepultura ejus, et divites pro morte ejus; » attamen si vos, qui talia ausi estis, donum pro peccato obtuleritis, veniam consequemini, anima vestra salutem obtinebit; quinetiam semen longævum videbit: hoc ipsum videlicet, quod ab ipso in hominibus sparsum fuerat, de quo in parabolis docens, aiebat, « Exiit qui seminat semi-

[1] Isa., LIII, 9. — [2] Job. XIV, 4. — [3] Isa., LIII, 10.

» nare [1]; » et rursum, « Simile est regnum cœlorum ho-
» mini seminanti bonum semen in agro suo [2]. »

« Et vult Dominus auferre de labore animam ejus, ostendere ei lucem, et formare intelligentia, justificare justum bene servientem multis [3] » Id de uno Salvatore nostro dici par est : nam semper in manu ejus Patris voluntas recte procedebat. Dedit autem ipsi lucem, ut eos qui justitiam per ipsum assequerentur, illuminaret : intelligentiam item ipsi contulit; nam requievit super eum spiritus sapientiæ et intelligentiæ, ut prudentes justosque redderet eos, qui justificatione digni erant. « Et peccata eorum ipse portabit. Ideo ipse possidebit multos, et fortium dividet spolia : pro eo quod tradita est in mortem anima ejus, et inter iniquos reputatus est : et ipse peccata multorum tulit, et propter iniquitates eorum traditus est [4]. » Siquidem illorum olim peccatorum, et eorum qui impie egerant, mensuram, videlicet iniquitates, in se recipiens, eosque peccati tunica exuens, justos efficit. Quod enim multorum in se peccata receperit, ideo potuit etiam omnes sortem suam et hæreditatem efficere. Nisi enim peccata condonare potuisset, in suis illi sceleribus permansuri, nec salutem consecuturi erant. Nunc vero quia peccata eorum ipse suscepit, ideo ipsos a Patre in hæreditatem accepit; ereptis videlicet e manu adversariarum potestatum et malignorum dæmonum illis olim captivis animabus, eas in spolia sua vertit; quæ spolia Discipulis suis distribuit, ut varias ex eis constitueret Ecclesias. Nam ceu quamdam mercedem id a Patre acceperat; videlicet peccata delinquentibus dimittendi atque ipsos in sortem suam reducendi facultatem. Quo pacto autem inter iniquos reputatus sit, docet Evangelium; eo quippe tempore quo ex

[1] Luc., VIII, 5. — [2] Matth., XIII, 17. — [3] Isa., LIII, 11. — [4] Ib., 12.

utroque ejus latere crucifixi latrones sunt, eodem impletam dico prophetiam.

CAPUT LIV.

« Lætare sterilis, quæ non paris : erumpe et clama quæ » non parturis : quia plures filii desertæ, quam ejus quæ » habet virum [1]. » His Ecclesiæ ab se per totum orbem constitutæ bonum nuntium affert : quæ quidem olim deserta, infœcunda et infructuosa erat, ideoque ipsam sterilem appellat Nam hujusmodi quondam erant infidelium gentium animæ. Siquidem Ecclesia ex gentibus olim, cum cœlestem sponsum nondum obtineret, desolata et deserta erat. Verum fœcunditatem ipsi et liberorum frequentiam majorem pollicetur, quam ei, quæ virum habebat. Quænam illa erat, nisi gens Judaïca, et ea, quæ olim penes ipsos ut civitas Dei in honore habebatur, Jerusalem [2]? Quæ cum virum haberet, cœleste videlicet Verbum, ipsi libellum repudii dedisse comprobatur. Ad comparationem igitur illius, quæ olim virum habebat, anima illa quæ olim in gentibus deserta a Deo erat, promissione optima donatur, dum ipsi fœcunditas et liberorum multitudo annuntiatur, ita ut filiorum numero populum ex circumcisione, cui comparatur, longe antecedat.

« Dixit enim Dominus, dilata locum tabernaculi tui, et » pelles aulæorum tuorum fige : ne parcas : protende funi-

[1] Isa., LIV, 1.

» culos tuos, et clavos tuos consolida [1]. » Hæc dicuntur quasi de tabernaculo a Moyse constructo : nam hoc exemplo usus Propheta Ecclesiæ ex gentibus edicit ; ut ne ad modum illius angustam structuram suam faciat, sed tentoria sua extendat in longitudinem latitudinemque immensam. Nam quod a Moyse structum tabernaculum est, centum longitudine cubitorum erat, latitudine vero quinquaginta. Hic vero ait, Ne parce egas, neque te in angustam mensuram redigas ; sed longe lateque te extendas ac construas, et cætera. Novi porro hujusce tabernaculi, quod fixit Dominus et non homo, longitudinem, latitudinem et amplitudinem intelligas, si perpendas, quantum esset illud sub Moyse constructum tabernaculum ; quanta esset Jerusalem templum habens longitudine quidem quadraginta cubitorum, latitudine viginti. Quod si Templum illud in una Palæstinæ urbe admiratione dignum erat ; quanto magis mirabilis illa frequentia, magnitudo et pulchritudo Ecclesiarum Dei in omni loco excitatarum [2] nam totus orbis plenus Ecclesiis est.

« Adhuc a dextris et a sinistris dilata, et semen tuum » possidebit gentes, et urbes desertas habitabis [2]. » Semen autem Ecclesiæ Dei fuerit Evangelicus sermo, de quo dicitur, « Exiit qui seminat seminare [3], » et, « Nonne bo» num semen seminasti in agro [4] ? » Potest item semen Ecclesiæ esse Apostolorum et Discipulorum Domini nostri doctrina, quorum opera pia religio in illis olim devastatis Deoque vacuis solitudinibus constituta est.

« Noli timere, quia confusa es : neque erubescas, quia » exprobratum tibi est : quia confusionis perpetuæ oblivis» ceris, et opprobrii viduitatis tuæ non recordaberis am» plius [5]. » Nam cum sterilis esset, neque pareret, neque

[1] Isa., LIV, 2. — [2] Ib., 3. — [3] Luc., VIII, 5. — [4] Ib. — [5] Isa., LIV, 4.

parturiret, neque virum haberet, contumeliis obnoxia et confusione plena erat; at nunc, sic eam compellat, Etiamsi olim confusione et opprobrio digna gesta edideris; confide, « Quia confusionis perpetuæ oblivisceris, et op» probrii viduitatis tuæ non recordaberis. » Viduitatem autem hic vocat Verbi sponsi privationem : cujus, inquit, non recordaberis, « Quia Dominus virtutum est, qui fecit te, » Dominus nomen illi, et qui eruit te; ipse Deus Israël » tota terra vocabitur [1]. » Non enim ex hominibus, neque per hominem hæc constituta sunt, sed per ipsum Dominum.

« Non quasi mulierem derelictam et pusillanimem voca» vit te Dominus, neque ut mulierem ex juventute odio » habitam. Dixit Deus tuus, Tempore modico reliqui te, » et cum misericordia magna miserebor tui, dixit qui eruit » te Dominus. Ab aqua quæ sub Noë fuit, hoc mihi est, » quemadmodum juravi ei in tempore illo, terræ me non » succensurum super te amplius, neque in comminatione » tua montes transferendos esse, neque colles meos trans» movendos : sic neque misericordia mea tibi deficiet, ne» que testamentum pacis meæ auferetur : dixit enim, Pro» pitius est tibi Dominus [2]. » Cito enim montes a propriis locis transferentur, et colles turbabuntur potius, quam misericordia mea a te removeatur. Et hæc piæ religioni sermo pollicetur, imo etiam olim penes Judæos illa erat, sed ab ipsis decidit, et ad Ecclesiam ex gentibus coactam translata est.

« Humilis et instabilis, consolationem non adepta es. » Ecce ego præparo tibi carbunculum lapidem tuum, et » fundamenta tua sapphirum [3]. » Erat enim revera penes Judæos abjectus ille corporeus cultus; in corporis circumcisione, in substantiis animalium, et sacrificiis eorum,

[1] Isa., LV, 5. — [2] Ib., 6, 7, 8, 9 et 10. — [3] Ib., 11.

necnon in aliis similibus, positus : quapropter humilem et instabilem vocat illum. Deinde adjicit, « Non consolatio-» nem adepta es : » nemo enim Prophetarum, neque religiosorum virorum erat, qui illam suscipere et restaurare posset. « Ecce ego præparo tibi carbunculum lapidem » tuum, et fundamenta tua sapphirum[1]. » Pro quo Symmachus, « ecce ego compono stibio lapides tuos; » Theodotio autem, « ecce ego immittam stibium lapidibus tuis. » Quemadmodum enim cum mulier, ut formæ decorem addat, stibio linit oculos; ita et ego, inquit, omni specie ac decore formosiores ponam structuræ tuæ lapides.

« Et ponam propugnacula tua jaspin, et portas tuas » lapides crystalli, et muros tuos lapides electos[2]. » Tales in Ecclesia Dei fuerint ii, qui rationabili structuræ apparatu fide roborati sunt; utpote qui piæ religionis propugnacula sint, quod possint omnem sublimitatem, contra Dei cognitionem sese exerentem, de medio tollere, et omnem falsum sermonem veritatis inimicum eliminare et confutare. Sicut enim adornatæ in muris pinnæ, propugnacula sunt, ad instruendum contra hostes bellum concinnata; sic et ii, qui in Ecclesia sermone et sapientia potentes sunt, jure propugnacula dicantur. « Et portas tuas lapides crys-» talli, » quibus lapidibus ad portas urbis constituendas usus, sanæ fidei splendorem et puritatem vaticinatur, declaratque primam elementarem, atque initialem rerum, quæ ad fidem pertinent, doctrinam, « Et muros tuos lapi-» des electos. » Hujusmodi fuerint ii, qui circumquaque munimenti loco sunt, et quasi vallum, totam urbis structuram per orationes ad Deum emissas tutantur : magna sane, pretiosa et honorabilia ædificia.

« Et omnes filios tuos, discipulos Dei, et in multa pace » filii tui[3]. » Discipulos Dei vocat illius olim sterilis filios :

[1] Isa., LV, 12. — [2] Ib., 12. — [3] Ib., 13.

ac in multa pace versaturos ait filios ejus : id enim ipsis pollicitus his verbis est, « pacem meam do vobis, pacem » meam relinquo vobis[1]. Et in justitia ædificaberis. Abstine » ab iniquo, et non timebis, et tremor non appropinquabit » tibi[2]. » Siquidem humani illi apparatus, humana cura editi, hujusmodi sunt : quare in corruptionem et exitium deveniunt. Opus autem meum corruptione vacuum est : neque tale quidpiam in opere meo reperiatur, quod corrumpat et disperdat illud.

« Ecce proselyti accedent ad te per me, et incolæ tui » erunt, et ad te confugient. Ecce ego creavi te, non sicut » ærarius sufflans prunas, et educens vas in opus : ego autem » creavi te, non ut interitu perderem. Omne vas, quod » factum est contra te, non prosperare faciam : et omnis » vox insurget super te in judicium. Omnes eos vinces, et » erunt obnoxii tui in eo[3]. » Post præmissos Ecclesiæ ordines, proselytos eos esse dixeris, qui germani et sinceri non sunt, neque pure in multitudine procedunt : quos peregrinaturos, non autem habitaturos esse ait in ea, quia quasi in transitu eam adibunt. « Est hæreditas servientibus » Domino, et vos eritis mihi justi, dicit Dominus. » Idque admodum congruenter : nam post præmissa omnia, illam in futuro sæculo repositam hæreditatem memorare opus erat. Quænam illa fuerit, nisi regnum cœlorum, et vita æterna?

[1] Joan., XIV, 27. — [2] Isa., LIV, 14. — [3] Ib., 15, 16 et 17.

CAPUT LV.

« Sitientes ite ad aquam, et qui non habetis argentum, » euntes emite, et comedite absque argento vinum et adi- » pem. Quare expenditis argentum, et laborem vestrum, » non in saturitatem? Audite me, et vivet in bonis anima » vestra, et constituam vobis testamentum sempiternum, » sancta David fidelia [1]. » In alia studium confertis vestrum, ex quibus non potest anima enutriri, neque cibo ad saturitatem frui. Præter enim superius dicta, bonorum operum spem, divinumque cibum, obsequentium animis repositum dicit. Non enim corporibus, sed, ut perspicuum est, animabus, futurorum bonorum munus porrigit.

« Ecce testimonium in gentibus dedi eum, principem » et præcipientem gentibus. Gentes quæ nesciebant te, in- » vocabunt te; et populi qui ignorant te, ad te confugient » propter Dominum Deum tuum, sanctum Israël, quia glo- » rificavit te [2]. » Ecquis non stupeat sermonis eventum, videns a Christo Dei per totum orbem Christianos nuncupari? Et hoc erit illis æternum salutis, quæ a Deo est, signum, quod nomen Domini sibi adscribent, in æternum perseveraturum, nec unquam desiturum: nam dona Dei sine pœnitentia sunt.

« Quærite Dominum, et cum inveneritis eum, invocate. » Quando autem appropinquaverit ad vos, derelinquat im- » pius vias suas, et vir iniquus consilia sua; et convertatur

[1] Isa., LV, 1, 2 et 3. — [2] Ib., 4, 5.

» ad Dominum, et misericordiam consequetur : quia multus » erit in dimittendis peccatis vestris. Neque enim sunt con- » silia mea, sicut consilia vestra, nec viæ meæ, sicut viæ » vestræ, dicit Dominus. Sed quantum distat cœlum a terra, » tantum via mea a viis vestris, et cogitationes vestræ a » cogitatione mea. Ut enim si descendat pluvia de cœlo, et » non revertatur donec inebriet terram, et pariat et germi- » net, et det semen seminanti, et panem ad vescendum; sic » erit verbum meum, quodcumque exierit de ore meo, non » revertetur, donec perficiantur quæcumque voluerim. Et » prosperas faciam vias tuas et præcepta mea. In lætitia enim » egrediemini, et in gaudio docebimini. Montes enim et » colles exsilient excipientes vos cum gaudio[1]. » Queis existimo significari virtutes, quæ de pœnitentibus in terra lætantur. « Et omnia ligna agri applaudent ramis. » Ligna agri ramis applaudentia, fortasse fuerent, animæ fructiferæ, quæ de animabus impiorum ad Dominum revertentibus, lætitia replentur.

« Et pro stæba ascendet cyparissus, et pro conyza ascendet myrtus. Et erit Dominus in nomen et in signum » sempiternum, neque deficiet[2]. » His allegorice subindicat animarum a pessimis ad meliora revertentium fœcunditatem : quæ quidem olim omnes in impietate versabantur, ac nihil ad productionem, nihilque ad escam utile ferebant; sed quasi in deserta et arida neque culta regione, stœbam inutilis materiæ, et conyzam impiissimam, prorsusque futilem herbam germinabant. Nunc vero postquam divinæ gratiæ consortes fuerunt, myrtum suaveolentem, necnon celsissimam et odore fragrantem cyparissum emittebant; secundum Symmachum autem dicitur, « pro stœba » ascendet brathy, et pro urtica ascendet myrtus; » ac si clarius diceret, pro malitia ascendet justitia, et pro

[1] Isa., LV, 6, 7, 8, 9, 10, 11 et 12. — [2] Ib., 11

lascivia temperantia, pro audacia virtus, pro amentia, prudentia; atque in summa, pro malitia, virtus.

CAPUT LVI.

—

« Hæc dicit Dominus, Custodite judicium, et facite » justitiam : appropinquavit enim salutare meum, ut veniat, » et misericordia mea, ut reveletur. Beatus vir qui facit » hæc[1]. » Qui non beatus fuerit, qui tales promissiones acceperit? « Et homo qui adhæret eis, et qui observat Sabbata, ut non profanet ea, et servat manus suas, ne fa» ciat iniqua. » Nam qui hæc fecerit, illa quæ a Deo est beatitudine dignus sane fuerit. Ad hæc idem necessarium est Sabbata non violare : quod utique erit, si manus vestras ab omni indigna actione puras servaveritis; si vero hæc non egeritis, atque in otio et vacatione Sabbati diem transegeritis, vos nihil facere certum habete.

« Ne dicat alienigena, qui appositus est Domino, num » separabit me Dominus a populo suo[2]? » Docens Judæos ne de genere suo altum sapiant, neque de proavis suis glorientur. « Et ne dicat Eunuchus, Lignum aridum ego » sum. Hæc dicit Dominus Eunuchis : quicumque custodie» rint Sabbata mea, et elegerint quæ ego volo, et adhæse» rint testamento meo, dabo eis in domo mea, et intra » murum meum, locum nominatum, meliorem filiis et » filiabus; nomen sempiternum dabo eis : et non deficiet[3]. »

[1] Isa., LVI, 1 et 2. — [2] Ib., 3. — [3] Ib., 4 et 5.

Quoniam Judæi liberorum multitudinem benedictionem Dei esse putabant, mercedemque ac fructum pietatis numerosam prolem esse existimabant; talem eorum sententiam reprimens, ac falsam esse comprobans, sterilibus et iis qui, quod exsecti fuerint, filios procreare non valent, parem promissionem affert, ac Eunuchis nihil impedimento fore ait, quominus bona a Deo consequantur, dum secundum Deum vivere in proposito habeant. Nam si multæ mansiones sunt apud Patrem, et si est civitas Dei Jerusalem cœlestis, locus illis intra domum Dei in multis illis mansionibus, ac etiam ipsis mansiones dabuntur, et portionem habebunt intra murum cœlestis Dei civitatis.

« Et alienigenis, qui addicti sunt Domino, ut serviant ei, » et diligant nomen Domini, ut sint ei in servos et ancillas: » et omnibus qui servant Sabbata mea, ne profanent ea, » et qui observant testamentum meum; inducam eos in » montem sanctum meum [1]. » Ait quippe domum suam non talem esse, quæ hos quidem spectet, alios vero minime; sed ex humanitatis vi omnibus gentibus apertam esse; ut etiam Eunuchi et paralytici ibi recipiantur. « Et lætificabo » eos in domo orationis meæ. Holocausta eorum et sacrifi» cia eorum accepta super altare meum. Nam domus mea, » domus orationis vocabitur cunctis gentibus [2]. » His arbitror ad litteram dici, Deum per reversionem populi ex Babylone, quæ sub Cyro, Dario et Artaxerxe contigit, ipsum reducere, quare subdit, « Dixit Dominus, qui congregat » dispersos Israël, congregabo ad eum congregationem [3]. » Quo tempore verisimile est multos ad eum confluxisse ex alienigenis gentibus, quos ob pristinum statum, et ob alienos extraneosque mores, bestias agri vocat.

« Omnes feræ bestiæ adeste, comedite omnes bestiæ » saltus [4]. » Bestiæ illæ, quæ cum Israële congregantur, ii

[1] Isa., LVI, 6 et 7. — [2] Luc, XIX, 46. — [3] Isa., LVI, 8. — [4] Ib., 9

ex gentibus fuerint, qui ad verbum accesserunt, quos evocat his verbis, « Adeste, comedite, omnes bestiæ saltus. » Plerumque vero observatum nobis est, saltum dici, alienigenarum gentium multitudinem. Has porro bestias Dei vocatione dignatur et ad convivium evocat. « Videte quo-» niam excæcati sunt omnes : non noverunt : canes muti » sunt, non valebunt latrare, somniantes cubile, et aman-» tes dormitationem [1]. » Et hujusmodi quidem erant Judæorum principes, erga extraneos, queis advigilare opus erat et excubare, atque contra inimicos latrare : erga domesticos vero, impudentes erant, devorantes pecora sub eorum regimine posita. « Et canes impudentes animo, nescientes » saturitatem. Et sunt mali, nescientes intelligentiam : uni-» versi vias suas secuti sunt : unusquisque secundum id, » quod suum erat [2]. » Non in viis Dei, sed in suis, quod concupiscéntias suas explerent.

CAPUT LVII.

—

« Videte quomodo justus periit, et nemo suscipit corde : » et viri justi tolluntur, et nullus est qui consideret. Nam a » facie iniquitatis sublatus est justus [3]. » Et quomodo considerarent, qui animis cœci erant : nam si non ita se habuissent, saltem justum vidissent et suam ipsi œconomiam novissent : sed cum cœci, et canes impudentes essent, talia contra justos aggredi audebant : justi vero a Deo in

[1] Isa., LVI, 10. — [2] Ib., 11. — [3] Id., LVII, 1.

pace suscipiebantur. « Erit in pace sepultura ejus, sublata » est de medio[1]. » Dixerit quispiam hæc et Salvatori et Discipulis ejus competere, qui a Judaïca gente insidiis appetebantur : sed etiam hic Salvatoris quoque nostri resurrectionem adumbrari pronuntiaverit : ita ut mors ejus per sepulturam, resurrectio autem, his verbis, « Sublata est » de medio sepultura ejus, » indicetur. De medio sublatus est, quia in loce sepulturæ non mansit : quare Angelus mulieribus adstans dicebat, « quem quæritis? Jesum? Non » est hic, venite, videte locum ejus[2]. »

« Vos autem accedite huc, filii iniqui, semen adultero- » rum et meretricis. In quem insultastis? et in quem ape- » ruistis os vestrum? et in quem laxastis linguam vestram? » Nonne vos estis filii perditionis, semen impiorum[3]? » Neque enim digni estis qui Abrahæ filii vocemini : nam si filii Abrahæ essetis, opera Abrahæ faceteris. Adulteros autem solet Scriptura vocare eos, qui olim idololatriæ dediti erant, de quibus dicitur, « et adulterarunt lignum et lapi- » dem : » meretricem vero Jerosolymam hic Propheta superius nuncupavit. Eorum quippe linguam et os in crimen maxime vocat, propter illas contra Salvatorem emissas voces, et ob blasphema verba, quæ hodieque adversus illum proferunt. Quapropter ait, « in quem aperuistis os vestrum, » et in quem laxastis linguam vestram? Nonne vos estis filii » perditionis? Qui advocatis idola sub arboribus opacis, qui » jugulatis filios vestros in vallibus, in medio petrarum. Hæc » portio tua, hæc sors tua : et illis effudisti libamina, et illis ob- » tulisti sacrificia. Super his ergo non irascar?[4] » His clare ostenditur hanc prophetiam, idolotatris, qui tempore Hesaïæ erant convenire. « Super montem excelsum et altum, ibi » cubile tuum, et illuc adduxisti sacrificia tua[5]. » Et hæc,

[1] Isa., LVII, 2. — [2] Marc., XVI, 6. — [3] Isa., LVII, 3 et 4. — [4] Ib., 5, 6. — [5] Ib., 7.

inquit, egisti non clam impie agens, sed palam et confidenter; ita ut etiam in celsissimis montium cacuminibus diabolica sacrificia offerres.

«Et retro postes ostii tui posuisti memorialia tua. Putabas, si a me recederes, te amplius quid habituram. Dilexisti dormientes tecum, et multiplicasti fornicationes tuas cum eis» multosque longe a te fecisti [1]. Multi quippe viri Deo addicti, Jerosolymis se proripiebant, ob impia gesta, quæ ibi perpetrabantur. «Et misisti legatos ultra terminos tuos, et humiliata es usque ad infernum.» Hæc omnia quasi de meretrice loquitur, quæ pulchritudini et decori studebat, ac nihil non agebat ad voluptatem eorum, qui secum degebant. «Multis itineribus tuis laborasti, Desinam [2].» Non enim in una regia via incedebas; sed in multis et deviis. «Invaluisti, quia hæc egisti; ideo me non rogasti:» sed quasi robore et juventute valens, his pejora admisisti, turpibus gestis tuis insistens.

«Quem timens perterrita es: et mentita es mihi, nec meministi mei, nec posuisti me in mente tua, nec in corde tuo? Et ego te videns, despicio, et me non timuisti. Et ego annuntiabo justitiam meam et mala tua, et non proderunt tibi. Cum clamaveris eruant te in tribulatione tua. Hos quippe omnes ventus auferet, et tempestas tollet. Qui autem adhærent mihi, possidebunt terram et hæreditate accipient montem sanctum meum [3].» Omnes itaque eos, qui incusantur, ventus tollet et tempestas auferet. Et hujusmodi finis invadet eos, qui ob prædicta in crimen vocantur: eos vero qui bonam elegere sortem, me scilicet Deum, ac sinceros illos homines qui pure mihi adhærebant, merces mea excipiet. «Et dicent, purgate vias a facie ejus, et tollite offendicula de via populi mei [4].» Nam qui recte apud Deum se gerit, non salutis modo suæ curam habebit, sed etiam populo

[1] Isa., LVII, 8 et 9. — [2] Ib., 10. — [3] Ib., 11, 12 et 13. — [4] Ib., 14.

Dei sese utilem præstabit, præcipiens illi ut viam pietatis complanet, et offendicula, si qua videantur, amoveat.

« Hæc dicit altissimus, qui in excelsis habitat in sæculum, » Sanctus in sanctis nomen ei : altissimus, qui in sanctis re- » quiescit, et pusillanimis dat patientiam, et dat vitam con- » tritis corde[1] : » iis in populo qui pietate et timore Dei præditi erant, quique peccatorum pœnitentiam egerant, quos hæc Scriptura contritos corde et pusillanimes vocat, consolationem affert. Siquidem, etsi pauci numero, hujusmodi tamen nonnulli aderant. Attamen viri Deo addicti erant, non tantum Prophetæ, sed alii eorum imitatores, qui a Prophetis edocebantur, eorumque disciplinæ animum adhibebant. « Non in perpetuum vos ulciscar, neque semper » irascar vobis. Spiritus enim a me egredietur, et flatum » omnem ego feci[2]. » Nam curæ mihi est spiritus ille, qui a me profectus, in vobis habitavit : quandoquidem omnis spiritus, qui laudare me valeat, auctor sum, secundum illud, « Omnis spiritus laudet Dominum[3], » et in creatione mundi, insufflante Deo, factus est homo in animam viventem.

« Propter peccatum paululum contristavi eum, et per- » cussi eum, et averti faciem meam ab eo, et contristatus » est, et ambulavit tristis in viis suis. Vias ejus vidi, et » sanavi eum, et consolatus sum eum, et dedi ei consola- » tionem veram, pacem super pacem iis qui longe, et qui » prope sunt. Et dixit Dominus, Sanabo eos : qui autem » iniqui sunt fluctuabunt, et non poterunt quiescere. Non » est gaudium impiis, dixit Deus[4]. » Etiamsi ad breve quoddam tempus, ob quædam ex humana infirmitate profecta peccata, peccantes tristitia affecerim et percusserim, quasi pater filios corripiens : nam, « quem diligit Domi-

[1] Isa., LVII, 15. — [2] Ib., 16. — [3] Psal. CL, 5. — [4] Isa., LVII, 17, 18, 19, 20 et 21.

» nus, castigat; flagellat autem omnem filium, quem sus» cipit[1]; » at quia in castigationis meæ sensum venientes, illi, quæ secundum Deum est, tristitiæ vos dedidistis, ac pœnitentia ducti cum mœrore ambulastis; ideo conversionem et pœnitentiam vestram conspicatus, necnon posteriora gesta vestra, et vias vitæ quas iniistis, vos sanavi et consolatus sum vera utique consolatione: etenim omnia a me familiaribus concessa meis vera sunt. Quamobrem iis, qui per castigationem meam resipuerunt, consolationem dedi veram et pacatam: non autem vulgarem quamdam et temporariam, sed abundantissimam; ita ut et cum proxime positis, et cum procul remotis illa fruantur.

CAPUT LVIII.

—

« Clama cum fortitudine, neque parcas, quasi tuba » attolle vocem tuam, et annuntia populo meo peccata » eorum, et domui Jacob iniquitates eorum[2]. « Superius quidem salutaris verbi prædicatoribus dicebatur, « super » montem excelsum ascende qui evangelizas Jerusalem: » exaltate et nolite timere: » hic vero non supra montem excelsum ascendere jubetur Propheta: neque enim in cacumine positi erant ii, quibus hæc prænuntiabat; sed tantum ut cum fortitudine clamet, et ne parcat, utpote qui ad aures surdorum loquatur, præcipitur, et ut instar tubæ extollat vocem. Tuba vero militare signum est: quare

[1] Hebr., XII, 6. — [2] Isa., LVIII, 1.

adversus impium et peccatorem, ut contra inimicum, clamore uti jubet, qui ad auditorum mentem pertingat, ipsamque vi vocis feriat et vulneret. « Me de die diem quærunt, et scire vias meas cupiunt, tanquam populus, qui justitiam fecerit, et judicium Dei sui non dereliquerit. Petunt a me nunc judicium justum, et appropinquare Deo cupiunt[1]. » Populum suum ad ipsius condemnationem peccatorem nuncupat : quem ego, inquit, meum adscripsi, et quem populum vocare meum non dedignatus sum : illi vero malitiæ suæ dediti, sese a me procul removerunt.

« Dicentes, quare jejunavimus, et non vidisti? humiliavimus animas nostras, et non cognovisti[2]? » Quia talia impudenter effari audent, magna tu, mi Propheta, voce utens, responde illis, et coargue eos, quod judicium meum dereliquerint, et quod omnia quæ proferunt, non sincere dicant. « In diebus enim jejuniorum vestrorum invenitis voluntates vestras, et omnes subditos vestros affligitis. » Si ergo de tali jejunio gloriantur, longe præstabilius ipsis erat, ut epulis vacarent, et res hujusmodi non aggrederentur. Quapropter initio prophetiæ dictum est illis, « jejunium et cessationem et solemnitates vestras odit anima mea. » Nam jejunii otium, non in pœnitentiæ occasionem vertitis; sed illo ad debita exigenda et repetenda utimini, « Si ad lites et pugnas jejunatis, et pugnis percutitis humilem, ad quid mihi jejunatis[3]? » Videtur ipso quoque prophetiæ tempore tale quidpiam factum esse: id quippe sermo subindicat, « Ut hodie audiatur in clamore vox vestra. »

« Non ego jejunium istud elegi, et diem, ut humiliet homo animam suam. Non si incurvaveris quasi circulum collum tuum, et cilicium et cinerem substraveris : neque sic vocabitis jejunium acceptabile[4]. » Quod si quis velit

[1] Isa., LVIII, 2. — [2] Ib., 3. — [3] Ib., 4. — [4] Ib., 5.

modum veri mihique probati jejunii ediscere, hæc agat: Ad lætitiam vultum componat, et oleo caput inungens secundum salutare præceptum, jejunium clam observet, et soli Patri occulta videnti humilitatem animæ ostendat: in publico autem operibus, pietatis fructus videntibus omnibus exhibeat, omne vinculum iniquitatis solvendo. Quare ait, « Non tale judicium elegi, dicit Dominus: sed solve » omnem nexum iniquitatis; dissolve obligationes violenta» rum cautionum; dimitte fractos in remissionem; et om» nem syngrapham iniquam lacera[1], » dictum illud Servatoris opere perficiens, « Si offers munus tuum ad altare: » et ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid » adversum te; relinque ibi munus tuum, et vade prius, » reconciliare fratri tuo: et tunc veniens offer munus » tuum[2]. »

« Frange esurienti panem tuum, et pauperes tecto ca» rentes induc in domum tuam. Si videris nudum, tege, » et domesticos seminis tui ne despexeris[3]. » Non enim desunt apud homines qui cibo egeant: atque sic tibi abstinentia non lucro erit: sed alio modo animam tuam ales, cum pane tuo indigum et cibi penuria laborantem recreabis. « Tunc erumpet matutinum lumen tuum, et sana» tiones tuæ cito orientur: et præibit ante te justitia tua, » et gloria Dei circumdabit te. Tunc clamabis, et Deus » exaudiet te: adhuc te loquente dicet, ecce adsum[4]. »

« Si abstuleris a te nexum, et manuum extensionem, » et verbum murmurationis. » Nam universorum Deus, alios quidem cibis et pecuniis opulentos, alios vero egenos et pauperes, constituit, ad utrorumque probationem; ut hi quidem ex largitione egenis præbita, opulentiæ suæ fructum perciperent; alii vero pauperie afflictati et exercitati, divitum largitione, quasi feracissimo agro fruerentur. « Et

[1] Isa., LVIII, 6. — [2] Matth., V, 23. — [3] Isa., LVIII, 7. — [4] Id., 8 et 9.

» dederis esurienti panem ex animo tuo, et animam humi-» liatam impleveris, tunc orietur in tenebris lumen tuum, » et tenebræ tuæ erunt velut meridies[1]. » Prima sane omnibus sunt largiter distribuenda; præcipua vero domesticis fidei dispensanda. Idipsum enim Apostolico præcepto jubetur, scilicet officiosos esse erga omnes.

« Et erit Deus tuus tecum semper, et impleberis sicut » desiderat anima tua, et ossa tua pinguescent : et erit » quasi hortus ebrius, et sicut fons, cui non deficit aqua[2]. » Videlicet ipsius animæ virtutes pinguescent a spirituali et divina esca. Et hortus semper virens erit, arborum S. Spiritus fructibus exornatus, atque illa olim animæ deserta in te ædificabuntur, ac disciplina divinisque sermonibus replebuntur; ita ut ipse tui constructor existas, cogitationes mentis tuæ divina doctrina exædificans. Ad hæc autem animam tuam propugnaculo circummunies, ipsamque contra externos tumultus undique sepies et custodies. Ossa vero populi fuerint ii, qui apud illum prævalidi ac robusti sunt, ita ut totum corpus sustentent. « Et ædifica-» buntur deserta tua perpetua, et erunt fundamenta tua » sempiterna in generationes generationum. Et vocaberis » ædificator maceriarum, et semitas tuas, quæ sunt in » medio, quiescere facies[3]. » Sepes autem construit, qui ecclesiastica dogmata dialecticis demonstrationibus circumquaque munit et defendit : qui vero ea, quæ in divinis lectionibus offendicula esse videntur, dicta explicando removet, is est qui lapides in medio semitarum positos amolitur. Nam quia erroris vias obstruit, et ejusmodi clausulas tutatur ac defendit, seseque undique munit et sepit, ædificator maceriarum jure vocatur.

« Si averteris a Sabbatis pedem tuum; ut non facias » voluntates tuas in die sancta : et vocabis Sabbata delicata,

[1] Isa., LVIII, 10. — [2] Ib., 11. — [3] Ib., 12.

»sancta Deo; non levabis pedem tuum ad opus, neque loqueris verbum in ira de ore tuo. Et eris fiduciam habens »in Domino : et evehet te ad bona terræ, et cibabit te hæ»reditate Jacob patris tui, Os enim Domini locutum est »hæc [1]. » His subindicatur non pro lubito singulos agere debere; ita ut ebrietati et crapulæ indulgeant; sed in sanctitate et puritate degendum esse, atque ita diem sancte celebrandam oportere : ipsamque lætam ac sine tristitia, ob otium illud Deo consecratum, custodire; neque vel tantillum pedem movere ad alia opera, neque vel verbo tenus labia fœdare; sed soli divinarum rerum otio tota die vacare.

CAPUT LIX.

« An non potest manus Domini salvare? An aggravata »est auris ejus, ut non exaudiat [2]? » Postquam in præcedentibus quæ a Judaïco populo agenda erant, præscripsit, atque iis qui agenda perfecerint, congruentes pollicitationes obtulit; ac contraria deligentibus promerita supplicia comminatus est; jam his verbis ipsos coarguit, utpote qui aliqua Dei voluntati contraria delegerint : qua de causa in calamitates delapsi sunt. Ait ergo illis, Nequaquam mihi Deo impossibile erat vos etiam perditos restaurare, neque infirma est manus mea, ut vos, indignos licet, servare nequam; auris vero mea, quæ omnia audit, non ita aggravata

[1] Isa., LVIII, 13 et 14. — [2] Ib., LIX, 1.

erat, ut non possem vos clamantes exaudire. « Sed peccata » vestra dissidium faciunt inter vos et Deum: et propter » peccata vestra avertit faciem a vobis, ut non misereatur [1]. » Improba vita vestra non sinit vos divina frui providentia, quia Deus peccatum, ut rem putidam, turpem et infamem abominatur. Populo itaque ruinæ ac remotionis a Deo nullam aliam fuisse causam docet, quam peccata eorum: horum vero species deinceps enumerat.

« Manus enim vestræ pollutæ sunt sanguine, et digiti » vestri in peccatis: labia vestra locuta sunt iniquitatem, » et lingua vestra injustitiam meditatur [2]. » Et perpendas velim eos hic non de idololatriæ, aut de alio improbo facinore accusari; sed de cæde labiis perpetrata, et de oris sui iniquitate. Queis subindicat eorum contra Servatorem conspirationes, atque insidias ab eis contra probos viros structas. Etiamsi vero Servatorem non propria manu trucidarint; cum tamen sanguinem ejus super se et super filios suos expetierint, ac impiis usi sint clamoribus; reapse declararunt se manus sanguine fœdatas habere, labia eorum iniquitatem locuta esse, et linguam eorum impietatem protulisse. Nam sese decipientes alium Christum exspectant, humana quædam et fabulosa de ipso narrantes.

« Nemo loquitur justa, nec est judicium verum. Confi» dunt rebus vanis, et loquuntur inania, quia concipiunt do» lorem, et pariunt iniquitatem. Ova aspidum fregerunt, et » telam araneæ texunt: et qui vult de ovis eorum comede» re, frangens urinum invenit, et in ipso regulum [3]. » Adversariarum potestatum semina in se parturiunt: quare malitiæ et improbitatis suæ filiis dicebatur, « Serpentes, » genimina viperarum. » Proportione vero quadam ad divinum semen habita, adversariarum potestatum semen, ova appellavit, reptilis generis exemplo insistens: nam as-

[1] Isa., LIX, 2. — [2] Ib., 3. — [3] Ib., 4 et 5.

pides, serpentes et alia hujusmodi, ova pariunt. Quoniam post tantam exhibitam improbitatem, divinarum quidem Scripturarum doctrinam profitentur; in aniles vero fabulas et in traditiones hominum delabuntur, quæ nihil sanum, utile nihil habent, merito infert, « Et telam araneæ texunt, » putidum illud eorum indecorumque studium, telæ araneæ comparans. Qualia porro ova memorat, nisi ea de quibus dicitur, « Ova aspidum eruperunt? » Qui igitur in malitiæ cumulum devenerunt, his diruptis ovis, fetum in se susceperunt simpliciores vero antequam dirumpantur et fetum edant ipsa comedentes, pereunt. Quapropter secundum reliquos interpretes dictum est, « Qui comederit ex ovis eorum, morietur. » Quod si quis reperiatur vir prudens, qui possit illa hortando et arguendo conterere, is inveniet in illis venti et lotii odorem putidum atque corruptum, et in his omnibus fœde volutatum et latens omnium reptilium teterrimum, vel visu solo lethiferum, regulum dico.

« Tela eorum non erit in vestimentum, neque operientur operibus suis : opera eorum opera iniquitatis : pedes autem » eorum ad malitiam currunt, veloces ad effundendum san- » guinem, et cogitationes eorum, cogitationes a cædibus. » Contritio et miseria in viis eorum, et viam pacis non co- » gnoverunt[1]. » Neque enim pacis principem receperunt, de quo dictum est, « Ipse enim est pax nostra : » quapropter eam discipulis procurat suis dicens, « Pacem meam do vo- » bis, pacem meam relinquo vobis. Et non est judicium in » viis eorum. Semitæ enim eorum perversæ, quas pertran- » seunt, et non noverunt pacem[2]. » Nam cum divinas Scripturas attingunt, in profunditate verborum latentem sententiam non intelligunt : sed uni dictioni vacantes, videntur quasi murum contrectare.

« Propterea recessit judicium ab eis, nec apprehendet

[1] Isa., LIX, 6, 7 et 8. — [2] Joan., XIV, 27.

»eos justitia ; cum expectarent lucem, factæ sunt eis tenebræ ; cum expectarent fulgorem, in caligine ambulaverunt. Palpabunt tanquam cæci murum : et quasi oculos »non habeant attrectabunt. Et cadent in meridie tanquam »in media nocte, quasi morientes ingemiscent[1].» Tempore meridianæ gentium lucis, salutaribus et Evangelicis radiis illustrata Ecclesia Dei, ipsi soli, utpote qui ad mortem peccaverint, delapsi sunt, et quasi in media nocte agunt.

« Tamquam ursus, aut tanquam columba simul incedent. Expectavimus judicium, et non est salus : longe »recessit a nobis. Multa enim iniquitas nostra in conspectu »tuo, et peccata nostra obstiterunt nobis. Iniquitates enim »nostræ in nobis sunt, et injustitias nostras cognovimus[2].» Nam gemitus ipsorum, si quidem ratione eorum quæ contra Salvatorem ausi sunt, emissi fuissent, ipsis sane fructuosi futuri erant. Etenim opus est ipsos lugere, ingemiscere, lamentari, et plangere, sanguinis, quem effuderunt, causa. Verum quia id agere non videntur; sed urbem illam sensilem, Jerosolymam dico, deplorant, et ruinam ejus stolide lugent; jure bestiæ feræ comparantur. Quamobrem dicitur, « Et ingemiscent tanquam ursus : » in aliis vero dicitur, « Sicut ursa prole orbata. » Ursus itaque vocantur, quia hæc fera homines devorat. Quandoquidem et ipsi homines devorabant, cædibus vacantes, et Prophetas occidentes; ursæ item prole orbatæ similes sunt, ob filiorum suorum exitium.

« Impie egimus, et mentiti sumus, et retrocessimus a »Deo nostro. Locuti sumus iniqua, et inobsequentes fuimus. Concepimus et meditati sumus de corde nostro »verba iniqua[3]. » Hæc autem Propheta dicit ex persona populi, docens eos, ut confiteantur Deo peccata, et sese

[1] Isa., LIX, 9 et 10. — [2] Ib., 11 et 12. — [3] Ib., 13.

accusent; ut vel ita saltem animo compuncti, gradum revocent et convertantur pœnitentiam edocti.

« Et abduximus retro judicium, et justitia longe discessit: quoniam consumpta est in viis eorum veritas, et per » rectum iter transire non potuerunt. Et veritas sublata est, » et transtulerunt mentem, ut non intelligerent. Et vidit » Dominus, et non placuit ipsi, quia non erat judicium. » Et vidit, et non erat vir: et consideravit, et non erat qui » defenderet, et ultus est eos brachio suo, et misericordia » confirmavit. Et induit justitiam quasi loricam, et circumposuit galeam salutaris in capite, et circumdedit se vestimento ultionis: et amictus ejus, tanquam retributurus » sit retributionem, opprobrium adversariis, Et timebunt » occidentales nomen Domini, et qui sunt ab ortu solis, nomem gloriosum. Veniet enim quasi fluvius violentus ira a Domino: veniet cum furore, et veniet propter Sion qui liberat, » et avertet impietates a Jacob [1]. » Hic item per Sionem pia religio significatur, quam diversis modis Ecclesiam Dei esse comprobatum est. Hujus itaque Dei civitatis causa venturus liberator esse dicitur, qui jam prope est. Et quid faciet? Dimittet peccata accedentibus ad se.

« Et hoc ipsis testamentum a me est, dixit Dominus. » Spiritus meus, qui est in te: et verba, quæ dedi in os » tuum: et non deficient ex ore tuo, neque ex ore seminis » tui. Dixit enim Dominus a modo et usque in seculum [2]. » Hic itaque Spiritus testamentum erat: quamobrem Salvator et Dominus noster Jesus Christus Discipulis suis Spiritum dedit dicens, « Accipite Spiritum sanctum, si cujuspiam » remiseritis peccata, remittentur ei [3]. » Hoc igitur novum Testamentum est, et caput mysterii, Spiritus sanctus. « Et verba, quæ dedi in os tuum, et non deficient. » Ma-

[1] Isa., LIX, 14, 15, 16, 17, 18, 19 et 20. — [2] Ib., 21. — [3] Joan., XX, 22.

nent enim et in præsenti et in futuro sæculo hæc omnia, secundum Servatoris nostri verba in Evangeliis tradita ab ipso Salvatore dicente, « Cœlum et terra transibunt, verba » autem mea non transibunt [1]. »

CAPUT LX.

« Illuminare, illuminare Jerusalem, venit enim lumen » tuum, et gloria Domini super te orta est [2]. » Quoniam ergo ipse Christus erat lux et veritas et vita; lux scilicet iis qui in mundo sunt; ejus præsentia fruituram Jerusalem merito prænuntiabat his verbis, « Illuminare, illuminare » Jerusalem, venit enim lux tua. » Ejus autem esse lucem ait, quia ipsi venturi Christi pollicitationes a Prophetis prædicatæ sunt. Si igitur præcepto morigera, lucis consors fuisset, Christum Dei suscipiendo, usque in finem utique in pace mansisset. Etenim ecce jam venit lux illa, olim tibi per Prophetas annuntiata. Quare ne cuncteris; sed illuminare, illuminare, et gratiæ particeps esto; tibi enim illuminatæ hæc et illa aderunt. « Ecce tenebræ operient terram, et » caligo super gentes. Super te autem apparebit Dominus » et gloria ejus in te videbitur [3]. » Quæ sane in primo Salvatoris adventu accidisse possunt, ac etiam in secundo et gloriosa divinaque ejus præsentia, finem consequi valebunt. « Et ambulabunt reges in lumine tuo, et gentes in splen» dore tuo [4]. » Non omnibus enim; sed dignis tantum orie-

[1] Matth., XXIV, 35. — [2] Isa., LX, 1. — [3] Ib., 2. — [4] Ib, 3.

ris. Indignos quippe tenebræ exteriores et ignis æternus excipient, necnon alia omnia quæ impiis comminatus Dominus est. Nam qui gloriam ejus visuri sunt, luce primum et ortu ejus opus habent; ut in die divinæ lucis, gloriæ unigeniti Filii Dei speculatores esse valeant.

« Leva in circuitu oculos tuos, et vide congregatos filios » tuos [1]. » Quamobrem quotquot ex gentibus Christi opera in Deum crediderunt, promissionem accepere, quod in sinu Abrahæ, Isaaci et Jacobi requiem habituri sint: id ipso Servatore docente. Aliis item in locis Ecclesia ex gentibus filia Sion et filia Jerusalem vocatur. « Venerunt om» nes filii tui de longe, et filiæ tuæ humeris gestabuntur. » Eramus quippe longe et procul positi a republica Israëlis, ac justis extranei, spem promissionis non habentes, atque impii in mundo versabamur. Nam teneræ et adhuc infantes animæ, quasi pueruli modo geniti, rationabile et sine dolo lac concupiscunt: ac per regenerationem in Christo, filii Abrahæ effectæ, humeris gestantur a magistris suis, viæ ducibus sublatæ atque sustentatæ, qualis erat Paulus qui ait, « Tanquam si nutrix foveat filios suos; ita deside» rantes, etc. [2]. »

« Tunc videbis, et timebis, et obstupesces corde, quia » transferentur in te divitiæ maris, et gentium et populo» rum [3]. » Hic quoque observes velim, quo pacto multitudinem ingentem illam eorum, qui salutem consequuntur, maris fluctibus comparet. Fortitudo autem gentium ii fuerint, qui bonis operibus dediti, a spiritualis vitæ cursu et tenore non deficiunt.

« Et venient tibi greges camelorum, et operient te ca» meli Madiam et Gephar. Omnes de Saba venient, feren» tes aurum, et thus ferent, et Salutare Domini annuntia» bunt. Et omnes oves Cedar congregabuntur, et arietes

[1] Isa, XL, 4. — [2] I Thess., II, 7. — [3] Isa., LX, 5.

» Nabaioth venient, et offerentur acceptabilia super altare » meum [1]. » His subindicari puto eos, qui in Ecclesia opibus et divitiis affluunt : sic enim Salvator divitem camelo comparans dicebat, « Facilius est camelum per foramen » acus ingredi, quam divitem in regnum cœlorum [2]. » Cæterum admirabile illud erat, quia quod impossibile hominibus, idipsum Deo possibile est. Quapropter Jerusalem admiratione capta, gaudio repletur, dum scilicet animas camelis comparatas, immutatas, et quasi per foramen acus, per angustam et arctam viam in vitam æternam ingredientes conspicit. Cameli vero non vacui et sine sarcina venerunt, sed dona Deo, ut par est, offerentes ad animæ suæ redemptionem. Itaque cameli salutare Domini annuntiabunt, postquam memorata dona obtulerint; thus, scilicet spiritualem suavemque theologiæ odorem; aurum vero, corporeas nimirum opes. Madiam porro et Gephar, regiones Barbarorum sunt, camelorum feraces, quemadmodum et Saba, supra Arabiam sita, penes quos populos camelorum genus ingenti numero est : quare horum exemplo sermo utitur. Et mihi sane videtur his verbis Scripturam, juvenculas et infantiles corporeorum Judæorum aures allicere et demulcere, ut eas pertrahat et hortetur ad vitam illam et religionem, quæ secundum Deum est, mature ineundam.

« Et omnes oves Cedar. » Hujusmodi animas alienigenas et extraneas esse subindicans : siquidem per camelos, opulenti et divites homines indicantur; per oves autem, mansuetiores ac simpliciores; per arietes, ii maxime ex gentibus qui principatu valentes convertebantur, quos ad altare Dei munera allaturos esse sermo declarat. Et vero jam impletum oraculum videre est : cum ex conversione gentium, hujusmodi animæ sese piæ religionis verbo dedentes, et altaris Dei ministerio assistentes videantur. Nam

[1] Isa., LX, 6 et 7. — [2] Matth., XIX, 24.

tunc maxime per horum conversionem et salutem, Ecclesia Dei laudibus celebratur : quare deinceps dicitur, « Et » domus orationis meæ glorificabitur. »

« Quinam hi sunt ? ut nubes volant, et sicut columbæ » cum pullis super me[1]. » Id porro intelligemus si Pauli vocem perpendamus, quæ sic habet, « Nos qui vivimus, » qui residui sumus in adventum Christi, rapiemur in nu» bibus obviam Domino in aëra : et sic semper cum Do» mino erimus[2]; » adjuncti scilicet et annumerati choro eorum, qui in prisco illo populo probe se gesserunt. Quocirca effusam Christi in homines gratiam admirantes, necnon gentium, quæ salutem obtinent, multitudinem, eorumque post mortem ad cœlum volatum, dicunt, « Qui» nam hi sunt ? ut nubes volant, et sicut columbæ cum » pullis super me. »

« Me insulæ exspectarunt, et naves Tharsis in primis, » ut adducant filios tuos de longe, et argentum et aurum » eorum cum eis, propter nomen Domini sanctum, et ut » sanctus Israël gloriosus sit[3]. » Ecclesias vero in præcedentibus per insulas adumbrari significabat. Quia igitur promissa patribus facta, Ecclesiæ Dei prophetias evolventes exspectabant; jure ait, « Me insulæ exspectarunt. Na» ves Tharsis : » his subindicat corpora, in quibus enatabant animæ in hac mortali vita constitutæ. Tharsis item alienigenarum gentium regio erat : quare de incredulis alienigenis alicubi dicitur, « In spiritu vehementi conteres » naves Tharsis[4]. » Sed illud quidem conterebatur : hic vero filii antiquæ illius Jerusalem, qui ex gentibus ad eam accedent procul et ad ipsam appellent vecti navibus; id est, corporibus in melius commutatis. Cum ipsis ergo prædicti venient, opera cum virtute edita,

[1] Isa., LX, 8. — [2] II Thess., IV, 14. — [3] Isa., LX, 9. — [4] Psal. XLVII, 8.

aurum et argentum dicta, advehentes. Opera vero pro auro et argento accipit Apostolus.

« Et ædificabunt alienigenæ muros tuos, et reges eorum » adstabunt tibi. Propter iram enim meam percussi te, et » propter misericordiam dilexi te. Et aperientur portæ tuæ » semper, die ac nocte non claudentur; ut inducant ad te » potentiam gentium, et reges earum duces [1]. » Et hoc re peractum videas, si animo attendas, ex alienigenis et extraneis gentibus viros Ecclesiæ Dei præfectos ipsam doctrina circummunire, piæ religionis verbum quasi septo et muro tutantes, ne alieni a fide subrepant, neve locum habeant insidias contra veritatis dogmata parandi. Romanorum quippe exercituum principes, ac imperantium regum metus maxime conferunt ad depellendum eos, qui Ecclesiæ Dei insidias struunt. Portæ autem civitatis Dei, quænam fuerint, nisi elementares illæ et initiales doctrinæ? Nocte et die, inquit, omnibus hominibus apertæ sunt, ut excipiant eos ex omnibus gentibus, qui Deum colere in proposito habent. Potentia gentium sunt ii, qui dicere valent: « Omnia possum in eo qui me confortat [2]; » reges earum ii sunt, qui præstantiores et cœlesti regno digni habentur. Jam vero, cum corporeo more acceptos Romanorum Imperatores videmus ad Ecclesias Dei concurrentes, et mysteriorum quæ intra januas peraguntur participes, quomodo vaticinii veritatem non confiteamur?

« Gentes enim et reges, qui tibi non servient, peribunt, » et gentes vastitate vastabuntur. Et gloria Libani ad te » veniet, in cyparisso et pinu et cedro simul, ad glorificandum locum sanctum meum. [3]» Nam salutari et pulcherrima servitute civitati Dei serviendum est; videlicet Ecclesiæ, et piæ religioni, quæ in ea colitur, pulcherrimæ et celsissimæ Libani arbores deferentur, ut illis, locus sanc-

[1] Isa., LX, 10 et 11. — [2] Philip., V, 13. — [3] Isa., LX, 12 et 13.

tus meus gloria afficiatur. Tales autem fuerint, eruditi viri ex gentibus, sepientia sæculi hujus imbuti, quos in Ecclesia Dei florentes, ac sermonis apparatu ipsam ornantes conspicatus, neutiquam a vero aberres, si dicas eos allegorico more, ligna Libani, cyparissos, pinus et cedros vocari; queis locus sanctus Dei nec non vestigia pedum ejus, videlicet Ecclesia, glorificatur. « Et ibunt ad » te timentes filii eorum, qui te humiliaverunt, et irrita- » verunt : et vocaberis, civitas Sion, sancti Israël [1]. » Et sane multos novimus ex iis, qui olim in Ecclesiam blasphema verba protulerunt, ipsamque irritaverunt, qui jam, mutata sententia, Deum in ea adoratum venerunt.

« Quia fuisti derelicta, et odio habita, et non erat qui auxi- » liaretur. Et ponam te in exultationem sempiternam, in læ- » titiam generationibus generationum, et suges lac gentium, » et divitias regum comedes. Et cognosces, quia ego sum Do- » minus, qui salvum te facio, et qui eruo te Deus Israël. Et » pro ære afferam tibi aurum : pro ferro autem afferram tibi » argentum, pro lignis afferam tibi æs, et pro lapidibus, fer- » rum. Et dabo principes tuos in pace, et episcopos tuos in » justitia [2]. » Hoc vero quid fuerit, nisi novum mysterium Evangelicæ doctrinæ, et elementaris illa novi Testamenti doctrina, cujus consortes sunt ii, qui in Christo regenerantur, qui seipsis meliores futuri sunt, ac Dei structuræ utiliores, quemadmodum et primi, qui pro ære et ferro, aurum et argentum in commutationem obtinuerunt? « Et non audie- » tur adhuc injustitia in terra tua, neque contritio, neque » miseria in finibus tuis : sed vocabuntur « Salutare », muri » tui, et portæ tuæ, Sculptura [3]. » Pro illo, *salutare*, Hebraïca Scriptura, Jesum præfert, ipsissimis elementis, et characteribus, queis ipse Salvator scribitur; ita ut ipsa

[1] Isa., LX, 14. — [2] Ib., 15, 16 et 17. — [3] Ib., 18.

virtus Salvatoris nostri Jesu, pro septo et muro firmo, iis qui Deo digni fuerint, futura sit.

« Et non erit tibi amplius sol in lucem diei, neque ortus » lunæ illuminabit noctem tuam : sed erit tibi Dominus lux » sempiterna, et Deus, gloria tua [1].» Sed columna quædam divinæ lucis erit resplendens, scilicet corpus resurgens, quod dicitur vestimentum Salutaris. Non enim ultra corpus mortis erit, quale Paulus declarabat his verbis, « Quis me » liberabit de corpore mortis hujus [2]? » Sed erit et illud salutare. Salutare porro vestimentum animæ circumponetur, et tunica lætitiæ : singuli enim operibus suis cum justitia editis ornatu suo induentur. « Non enim occidet sol tibi, et » luna tibi non deficiet : erit quippe tibi Dominus lux sempiterna, et implebuntur dies luctus tui. Et populus tuus » omnis justus, in sæculum hæreditabunt terram : custodiens plantationem opera manuum ejus in gloriam. Qui » parvo numero, erit in millia; et qui minimus, in gentem » magnam. Ego Dominus in tempore congregabo eos [3]. »

CAPUT LXI.

« Spiritus Domini super me, eo quod unxerit me, evan» gelizare pauperibus misit me [4]. »

[1] Isa., LX, 19. — [2] Rom., VII, 24. — [3] Isa., LX, 20, 21 et 22. — [4] Id., LXI, 1.

CAPUT LXII.

—

«Propter Sion non tacebo, et propter Jerusalem non » quiescam ,donec egrediatur ut lux justitia ejus : salutare » autem meum ut lampas accendetur. Et videbunt gentes » justitiam tuam, et reges gloriam tuam. Et vocabit te no- » mine novo, quod Dominus nominabit. Et eris corona » pulchritudinis in manu Domini ,et diadema regni in manu » Dei tui [1]. » Quam tunc recipiet dicens, « Bonum certamen » certavi, cursum consummavi, fidem servavi : in reliquo » reposita est mihi corona justitiæ [2]. » Eadem vero, cum sponsi Verbi sponsa sit, et ejus semina susceperit, speciosos et boni odoris fructus emittit. Hic autem rursus piam religionem olim apud Judæos vigentem significat. Nam vere Christi corona sunt quotquot per eum bona opera edunt, et diadema regni ejus sunt, qui certamina ejus causa susceperunt, sancti Martyres, quos manu sua Pater deligens, ut coronam Filio suo circumponit, et regio diademate multitudinem exornat eorum, qui per ipsum et ab ipso salutem sunt consecuti.

«Et vocabit te nomine novo, quod Dominus nominabit;» id est, secundum voluntatem meam nominabitur. «Et non » vocaberis ultra derelicta, et terra tua non vocabitur ultra » deserta : vocaberis enim, voluntas mea; et terra tua » habitata, quia complacuit sibi Dominus in te, et terra » tua inhabitabitur. Et sicut habitat juvenis cum virgine,

[1] Isa., LXII, 1, 2 et 3. — [2] II Tim., IV, 7.

» sic habitabunt filii tui. Et erit, quemadmodum lætabitur » sponsus super sponsa, sic lætabitur Dominus in te [1]. » Ea in novo sæculo regni Christi constituetur, eosque tantum incolas habebit, qui promissionum Dei dignati fuerint; qui in tanto gaudio et lætitia versabuntur, ut comparari possint juveni et sancto viro cum pura virgine degenti, nec tamen ejus unquam virginitatem temeranti; sed in castitate virginali, et pura conversatione, cum tota domo gaudenti. Et filii quidem tui, ita lætabuntur; ipse vero Dominus est, qui te sanctam Ecclesiam, perfectis membris constantem, ex prisco nempe populo, et hoc novo ex gentibus coëunti, in sponsam accepit. Deinde Ecclesiam ipsam alloquitur. Hujus filii secundum carnem fuerunt divini Discipuli, qui summam erga ipsam caritatem servarunt; ita ut illa dilectio, similis videatur ei, qua affectus est juvenis cum virgine habitans. Sic lætabitur Dominus super te, quemadmodum sponsus super sponsa. Etenim de cœlo descendit unigenitum Dei Verbum, ut fructiferam ostenderet Ecclesiam, quam ipse sibi virginem castam admovit, non habentem maculam neque sordem; imo potius sanctam et immaculatam. Ab illo igitur Evangelici instituti semina accipiens, spiritualibus sacrificiis et sanctis operibus fulgentem sponsam exhibuit.

« Et super muros tuos, Jerusalem, constitui custodes, » tota die et tota nocte, qui nunquam tacebunt, memores » Domini. Non est enim vobis similis, si corrigat, et faciat » Jerusalem gaudium in terra. Juravit Dominus per glo» riam suam, et per fortitudinem brachii sui [2]. » Olim quippe gesta sunt ista, cum fructum suum in cibum darent inimicis Dei; id agentes, id curantes, ut gesta sua dæmonibus esca essent. Jam vero iis, qui novo sæculo donandi et promissa accepturi sunt, juramento Dominus af-

[1] Isa., LXII, 4 et 5. — [2] Ib., 6, 7 et 8.

firmat, se non amplius inimicis daturum esse fructus eorum; sed ipsos iis fruituros esse. Nam cum probam vitam agant ac religiose versentur, æquum sane est ut propriis gaudeant fructibus. « Si ultra dedero triticum tuum, et » alimenta tua inimicis tuis, et si ultra bibant filii alieni » vinum tuum, in quo laborasti : sed qui collegerint come- » dent ea, et laudabunt Dominum, et qui congregaverint, » bibent ea in atriis sanctis meis[1]. » Hæc vero fuerint multæ illæ mansiones apud Patrem.

« Ite per portas meas[2]. » His porro nobis considerandam offert cœlestem Dei civitatem, ejusque portas : quæ omnia in illo, quod pollicetur, sæculo dignis pandentur, ac dicetur, « Ite per portas meas, et viam facite populo meo, la- » pidesque de via projicite. Elevate signum in gentes. » Nullum enim, inquit, impedimentum, nullus obex erit, non invidia, non livor, non prætextus quispiam, non dæmon, non spiritus malignus, non adversaria potestas oberit populo meo, quominus in regnum cœlorum ingrediatur. Hæc autem quibusdam Angelicis virtutibus dicentur. « Ecce enim » Dominus auditum fecit usque ad extremum terræ, Dicite » filiæ Sion, Ecce Salvator tibi venit habens mercedem » suam, et opus suum ante faciem suam. Et vocabit eum » populum sanctum, redemptum a Domino. Tu autem voca- » beris requisita civitas, et non relicta[3]. » Ne existimet quispiam, ait, hæc de Judaïco populo dici : quoniam omnes gentes signum levare jubet, et omnibus usque ad extremum terræ prædicta annuntiat. Olim quidem in primo suo adventu ipse Salvator, per ea quæ pro humano genere fecit et perpessus est, eam quæ a Deo est salutem in se credentibus conciliabat, unde Jesus appellatus est, secundum Angeli testimonium.

[1] Isa. LXII, 9. — [2] Ib., 10. — [3] Ib. 11 et 12.

CAPUT LXIII.

—

« Quis est iste qui venit de Edom, rubor vestimentorum » de Bosor? sic formosus in stola sua; violentia cum forti» tudine. Ego loquor justitiam et judicium Salutaris[1]. » Interrogantes inducit personas quasdam Christum bellico habitu et cruento amictu videntes: quæ stupendo vestitu perculsæ, ita mutuo colloquuntur, « quis est iste, qui venit de » Edom, rubor vestimentorum ex Bosor? » Nam quia Edom et Bosor alienigenarum regiones erant, Israëli semper infestæ, his nominibus adversarias potestates congruenter indicat, ac vestimentum suum cæsorum ac jugulatorum cruore quasi purpuratum esse dicit. Cum autem ipsum a sumpto de impiis supplicio valde immutatum cernant, ne quidem nosse videntur, quem lætum, tranquillum mamsuetumque esse sciebant: quamobrem sciscitantur his verbis, « Quis est iste, qui venit de Edom, rubor vestimen» torum de Bosor? » *Propugnans* enim, secundum Symmachum, pro iis, qui ab adversariis potestatibus affligebantur: illos quidem ut hostes invadebat, hos autem salute donabat, ab inimicorum potentia ereptos.

« Quare rubra vestimenta tua, et indumenta tua quasi » a calcato torculari? plenus conculcata[2]. » Vide quomodo solus torcular conculcasse dicatur. Ipsi namque soli judicium dedit Pater: peccatorum vero ultionem torcular appellare solet: quare in Threnis ait Jeremias, « Torcular

[1] Isa., LXIII, 1. — [2] Ib., 2.

» calcavit Dominus virgini filiæ Juda : super his ego ploro [1]. » Quemadmodum autem confertim habitæ peccatorum pœnæ, redargutio, ultio, et supplicium torcular vocantur; ita et bonorum fructuum ex bona vinea decerptorum, Deo amabilia et placita torcularia parantur : qua de causa hymni « pro torcularibus » dicuntur in psalmis. « Quare ru» bra vestimenta, et indumenta tua quasi a calcato torcu» lari? plenus conculcata. » Vestimenta porro inquinat, ita ut rubore tingantur, prosopopæa usus aptissima; ut etiam cum de sanguine inimicorum ita loquitur, « et deduxi san» guinem eorum in terram. » Neque enim in adversariis potestatibus sanguinem esse cogitandum est. « Et de genti» bus non est vir mecum. Et conculcavi eos in furore meo, » et confregi eos in terram, et deduxi sanguinem eorum in » terram [2]. » Nam quia prius non domiti esse, nec victoriam concedere videbantur; jure devictos illos ac dejectos subindicans, ait in terram dejectam fuisse victoriam eorum. « Et confregi eos in terram, et deduxi sanguinem eorum » in terram. »

« Dies enim retributionis venit eis, et annus redemptionis » adest [3]. » Siquidem uno eodemque tempore suos redimet; aliis vero retribuet, prout apud Moysen scriptum est : « et » retribuet vindictam inimicis, et odientibus se retribuet : » quemadmodum iis, qui pietatem coluerunt, Servator cum mercede sua venisse dicitur, ut præmia tribueret, et bravia supernæ vocationis iis qui pro pietate certaverint; ita et impiis, et contrariam viam emensis, ipse timor accedit, et ventura ultio prædicitur. « Et retribuet vindictam ini» micis, et odientibus se retribuet. »

« Et aspexi, et non erat auxiliator : et consideravi, et » nullus erat, qui adjuvaret. Et eruit eos brachium meum, » et furor meus adfuit. Et conculcavi eos in ira mea, et

[1] Thren., I, 19. — [2] Isa., LXIII, 3. — [3] Ib., 4.

» deduxi sanguinem eorum in terram[1]. » Cur hæc dicantur intelligemus, si perpendamus, quomodo ipse solus sese evacuaverit, forma servi accepta, ac sese humiliaverit factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. Nam quæ nullus unquam hominum, nec Angelorum, nec divinaram virtutum sustinuit, ipse solus pro salute nostra exhibet : ac ipsi soli Pater nomen dedit, quod est super omne nomen, ac omnium ipse judicium tradidit. Ille vero accepta a Patre potestate, alios quidem eruit, quos salute donavit, inimicos autem et adversarios in fugam vertit.

« Misericordiæ Domini recordatus sum, virtutum Domini » in omnibus, quæ retribuit nobis. Dominus judex bonus » domui Israël, adducit nobis secundum misericordiam » suam, et secundum multitudinem justitiæ suæ. Et dixit, » non populus populus meus : filii nequaquam repudiave- » rint. Et factus est ipsis in salutem[2]. » Hæc, inquit, omnia recordabor, magnitudinem bonitatis suæ recensens : hanc vero maxime gratiam elargitus est, ut populum filios vocaret suos, si tamen illi gratiam suam non repudiaverint. « Ex » omni tribulatione eorum non legatus, non Angelus, sed » ipse salvavit eos, quia diligebat eos, et parcebat eis. Ipse » redemit eos, et suscepit, et exaltavit eos omnibus diebus » sæculi. Ipsi autem non crediderunt, et exacerbaverunt » spiritum sanctum ejus : et conversus est ipsis in inimici- » tiam : ipse oppugnavit eos. Et recordatus est dierum æter- » norum. Ubi est qui eduxit de mari pastorem ovium? Ubi » est qui posuit in ipsis Spiritum sanctum? qui eduxit dex- » tera Moysen, brachium gloriæ ejus? Prævaluit aqua a » facie ejus, ut faceret sibi nomen sempiternum. Duxit eos » per abyssum, tanquam equum per solitudinem, neque » laborarunt, et tanquam jumenta per campum descendit » Spiritus a Domino, et deduxit eos. Sic duxisti populum

[1] Isa., LXIII, 5 et 6. — [2] Ib., 7 et 8.

» tuum, ut faceres tibi nomen gloriæ. Convertere de cœlo, » et vide de domo sancta tua. Ubi est zelus tuus et fortitudo » tua? ubi est multitudo misericordiæ tuæ, et miserationum » tuarum, quoniam sustinuisti nos? Tu enim es Pater nos» ter, quoniam Abraham non novit nos, et Israël nos igno» ravit. At tu, Domine, pater noster, libera nos, ab initio » nomen tuum super nos est [1]. » Jam enim sæpe nos peccantes tolerasti; nihilque mirum, quando semel dicere dignatus es, « Populus meus proles, et populus meus filii. » Ut pater itaque filios olim sustinuisti, et jam sustines: non enim Abraham pater noster erat, etsi nostro secundum carnem ortui ministrare visus sit. Sed revera tu pater noster es, ut qui omnium spirituum, et animarum ad tui similitudinem factarum pater sis. Quare rogamus te, nos eruas: « ab initio nomen tuum super nos est. »

« Cur errare nos fecisti, Domine, a via tua? Indurasti » corda nostra, ut non timeremus te. Convertere propter » servos tuos, et propter tribus hæreditatis tuæ [2]. » Omnia ad Deum Propheta refert: non quod Deus nobis peccandi causa fuerit, sed quod permiserit et concesserit illa agere, quæ quivis elegerit, ita ut peccati causa penes nos sit: sed tamen ad Deum referatur. « Ut modicum possideamus » montis sancti tui. » Quasi ipsis derelictis, nec resurgere valentibus ob inflictas plagas, quæ ipsos a peccando arcebant.

« Facti sumus velut ab initio; cum non dominareris » nostri, neque invocaretur nomen tuum super nos [3]. » Quasi ex persona populi hæc effatur. Sicut enim, ait, cor Pharaonis semper indurasti, ita nunc quoque nos indurasti, indignos judicans timore tuo: quin etiam tu ipse, Domine, errare nos fecisti, ut viam tuam ignoraremus.

[1] Isa., LXIII, 9, 10, 11, 12, 13, 14, 15 et 16. — [2] Ib., 17 et 18. — [3] Ib., 19.

Cæterum etiamsi nos tales simus; tu tamen, utpote Deus, propter servos tuos (nam verisimile est in turba quosdam hujusmodi esse), convertere. Et quia digni habiti sumus qui hæreditas tua vocaremur, ideo precamur « convertere » propter servos tuos, et propter tribus hæreditatis tuæ. » Et nos quoque valeamus, licet indigni, modicam saltem spem consequi in monte sancto tuo, quem polliceris; ex quo jam prorsus excidimus : quia adversarii nostri conculcaverunt sanctuarium tuum, idque fecerunt, quia aversatus nos es. Sic igitur derelicti et visitatione tua privati; tales jam sumus, quales eramus antequam imperares nobis. Quemadmodum enim tempus olim fuit, cum neque prophetas, neque sacerdotes, neque reges, neque aliud quidpiam a te munus haberemus; sic et nunc eamdem in solitudinem et conditionem recidimus. Hæc omnia referri videntur ad tempus, quod adventum Salvatoris nostri subsecutum est : quo prorsus derelicti sunt, ob scelera contra eumdem Salvatorem ab ipsis perpetrata. Nunc enim revera tales sunt, quales erant a principio, cum nondum ipsis Deus dominaretur; ut dicere valeant, « Facti sumus » velut ab initio cum non dominareris nostri, neque invo» caretur nomen tuum super nos. »

CAPUT LXIV.

« Si aperias cœlum, tremor apprehendet a te montes, » et liquescent [1]. » Cæterum probe novimus et persuasum habemus, si volueris cœlum aperire, utpote Deus omnipotens, tremorem tui montes apprehensurum esse, videlicet adversarias potestates, quæ contra cognitionem tui eriguntur. « Sicut cera a facie ignis liquescit. Et comburet ignis » tuus adversarios; et manifestum erit nomen tuum adversariis : a facie tua gentes turbabuntur. Sane Deum nemo » vidit unquam; et, nemo videbit faciem meám, et vivet[2].» Sed his videtur Deum subindicare, qui in deserto Moysi oracula dedit, et qui ab omni populo visus est per gloriam omnibus apparentem, de qua dictum est, « Et vidit omnis » populus gloriam Domini. Cum feceris gloriosa, tremor » tui invadet montes. A sæculo non audivimus, neque oculi » nostri viderunt Deum, præter te, et opera tua, quæ facies » expectantibus misericordiam. Occurret enim iis, qui faciunt justitiam, et viarum tuarum recordabuntur. Ecce » tu iratus es, et nos peccavimus. Idcirco erravimus, et » facti sumus quasi immundi omnes nos : tanquam pannus » sedentis omnis justitia nostra [3]. » Quod si qua apud nos reperiri putetur justitia actioque proba, ea sordibus plena et indecora esse deprehenditur.

« Et defluximus quasi folia propter iniquitates nostras : » sic ventus auferet nos, et non est qui invocet nomen

[1] Isa., LIV, 1. — [2] Ib., 2 et 3. — [3] Ib., 4, 5 et 6.

» tuum, nec qui recordatus apprehendat te : quoniam aver-
» tisti faciem tuam a nobis, et tradidisti nos propter iniqui-
» tates nostras. Et nunc, Domine, pater noster tu, nos
» vero lutum, opus manuum tuarum omnes, ne irascaris
» nobis valde, neque in tempore memineris iniquitatum
» nostrarum. Et nunc intuere, Domine, quoniam populus
» tuus omnes nos. Civitas sancti tui facta est deserta Sion :
» ut desertum facta est Jerusalem, in maledictionem domus,
» sanctum nostrum, et gloria cui benedixerunt patres nos-
» tri, igne combusta, omniaque gloriosa nostra concide-
» runt. Atque in omnibus istis sustinuisti, Domine, et ta-
» cuisti, et humiliasti nos valde [1]. »

CAPUT LXV.

« Apparui non rogantibus me : inventus sum ab iis, qui
» me non quærebant. Dixi, ecce adsum, genti quæ non in-
» vocavit nomen meum. Expandi manus meas tota die
» ad populum non obtemperantem, et contradicentem,
» iis qui ambulabant in via non bona, sed post peccata sua.
» Populus hic, qui exacerbat me, in conspectu meo semper :
» ipsi immolant in hortis, et adolent incensum super la-
» teres dæmoniis, quæ non sunt [2]. » Si quis veritatis studio
motus, meam erga homines clementiam perpendere velit,
is inveniet me semper vel eos, qui a cognitione mea pro-
cul remoti erant, beneficiis prævenisse. Et vero extraneis,

[1] Isa., LXIV, 7, 8, 9, 10, 11 et 12. — [2] Ib., LXV, 1, 2 et 3.

qui me nunquam interrogaverant, ob vim affectus mei, manifeste apparui; ita ut jam alienigenæ et peregrini cognitionem mei assecuti sint, etsi illi nullam operam ea in re dederint. Imo etiam iis, qui gratiam meam non quærebant, preces eorum prævertens ipsam tradidi : priusquam rogarent, priusquam supplicarent, dixi, ecce adsum.

« In sepulcris et in speluncis dormiunt propter somnia, » qui comedunt carnem suillam, et jus hostiarum, pro- » fana vasa omnia eorum. Qui dicunt, Longe a me, ne » appropinques mihi, quoniam mundus sum. Iste est fumus » furoris mei. Ignis ardet in eo cunctis diebus. Ecce scrip- » tum est in conspectu meo: Non tacebo donec reddam » in sinum eorum peccata ipsorum et patrum suorum, » dicit Dominus. Qui adoleverunt incensum supra montes, » et supra colles exprobraverunt mihi, retribuam opera » eorum in sinum eorum. Sic dicit Dominus, Quemadmo- » dum invenietur acinus in botro, et dicent, ne perdas » illum, quia benedictio est in illo; sic faciam propter ser- » vientem mihi [1]. » Sed si quis inter eos reperiatur, sicut in botro arida, sanus vividusque acinus, non cadet apud me judicem, neque cum pereuntibus peribit, quia benedictionis particeps est. Tanto autem pretiosior apud me erit hic acinus, quando rarior. Ad hunc plane modum et formam cum gente tota rem agam, si quis penes illos reperiatur salute dignus.

« Ideo non perdam omnes, et educam de Jacob semen, » et de Juda : et possidebit montem sanctum meum : et » hæreditabunt electi mei et servi mei, et habitabunt ibi [2]. » Bonum et rarum semen, videlicet apostolicus chorus, a pereuntium multitudine sequestratus. Hic rursum electos et servos suos Apostolos vocat, qui velut acini reperti sunt,

[1] Isa., LXV, 4, 5, 6, 7 et 8. — [2] Ib., 9.

quos item ab se electos ex aliis servavit, et semen sanctum et electum vocavit.

« Et erunt in saltu caulæ gregum, et vallis Achor in » requiem armentorum populo meo, qui quæsierunt me [1],» Solet scriptura alienigenarum et extranearum gentium multitudinem saltum vocare, in quibus caulas gregum fore vaticinatur, Dei ovium Ecclesias subindicans. Populus vero qui exquisivit eum, acinus erat; et semen superius memoratum, electi ejus famuli : quorum opera caulas boum et ovilia non in Israël, neque in Judæa, sed in saltu et in memorata valle Achor, constituenda esse prænuntiat.

« Vos autem, qui dereliquistis me, et obliti estis montis » sancti mei, qui paratis dæmonio mensam, et qui impletis » fortunæ libamen. Ego tradam vos in gladium : omnes in » cæde corruetis : quoniam vocavi vos et non audivistis; » locutus sum, et contempsistis, et fecistis malum in » conspectu meo, et quæ nolebam elegistis [2],» Quoniam ego ipse qui vos præsentia mea dignos habui, vos priores per memetipsum vocavi; vos autem non obedivistis : quam item criminationem prius efferebam his verbis, « Quia » veni, et non erat homo; vocavi et non erat qui audiret.» Rursum in populum tales accusationes instituit, docens se, utpote Deum, qui ad justitiæ trutinam omnia faciat, nunquam neglecturum eos esse, qui sibi quovis in loco serviant, ex quacumque gente fuerint. Omnes quippe, qui sibi servire proponunt, salute donat. Ipsos igitur excipiet, ac iis cœlestem cibum suppeditabit, salutare nempe Verbum, quod ait, « Ego sum panis, qui de cœlo descendi [3].» Et hi quidem memorato pane nutrientur et saturabuntur; vos autem, inquit, qui gratiam meam non suscepistis, rationabilis cibi penuria esurietis : itemque qui mihi serviunt immortalis vitæ potu replebuntur, de quo dictum

[1] Isa., LXV, 10. — [2] Ib., 11 et 12. — [3] Joan., VI, 41.

est, « quicumque biberit ex aqua quam ego dabo ei, fiet » in eo fons aquæ, salientis in vitam æternam [1]. »

« Propterea hæc dicit Dominus, ecce qui serviunt mihi » comedent; vos autem esurietis : ecce qui serviunt mihi » bibent, vos autem sitietis : ecce qui serviunt mihi læta- » buntur, vos autem confundemini : ecce qui serviunt mihi » exultabunt in lætitia, vos autem clamabitis propter do- » lorem cordis vestri, et a contritione spiritus vestri ulula- » bitis. Relinquetis enim nomen vestrum in saturitatem » electis meis; vos autem interficiet Dominus : servientibus » autem mihi vocabitur nomen novum [2]. » Quod si curiose agentes ediscere cupiatis quinam mihi servituri sint, et quod illis sit nomen, scitote Deum nondum ipsorum nomen palam efferre velle; sed id solummodo significare, quod neque Israël vocandi sint, neque Jacob, neque Judæi, neque alio quopiam hominibus noto vocabulo. Novum enim quoddam ac recentissimum nomen imponetur; illudque insolens, ac nunquam alias auditum, quod benedicetur in terra, accrescet item, et multiplicabitur præ omni corporali benedictione. Nam si qua alia augendæ multitudini apta Dei benedictio fuerit; hanc item consequetur nomen servis meis imponendum.

« Benedicent enim Deo vero : et qui jurant in terra, » jurabunt per Deum verum. Obliviscentur enim tribula- » tionis primæ, et non ascendet in cor eorum. Erit enim » cœlum novum et terra nova, nec recordabuntur priorum, » nec veniet in cor eorum [3]. » Nam alias cum tunc cœlum suspicerent, rem creatam colebant præ creatore, et terram similiter veluti Deum venerabantur, necnon exortos ex illa fructus : nunc vero cœlum novum et terram novam videntes, opera manuum Dei esse fatentur, non autem Deos esse putant. « Sed lætitiam et exultationem inve-

[1] Joan., IV, 14. — [2] Isa., LXV, 13, 14 et 15. — [3] Id., 16 et 17.

» nient in ea. Quoniam ecce ego facio exultationem Jerusalem, et populum meum lætitiam : et exultabo super » Jerusalem, et lætabor super populo meo : et non ultra audietur in ipsa vox fletus, et vox clamoris, neque ultra erit » ibi immaturus et senex, qui non impleat tempus suum [1].» Quotquot enim resurrectionem a me datam consequentur, tempore promissionum, in virum perfectum et in mensuram ætatis venient : atque omnes anima vegeti erunt, ita ut neque immaturus et non adultus juvenis, neque ætate provectus aut senex ibi reperiatur; sed paris ætatis omnes, utpote qui uno eodemque tempore resurgant, et ejusdem regenerationis consortes sint.

« Erit enim juvenis centum annorum, qui vero moritur, » peccator centum annorum et maledictus erit. » Ætatis et temporis in resurrectione æqualitatem fore declarat. Erit igitur peccator et ipse centum annorum, et maledictus erit, vegetus et quasi in malitia perfectus moriens in peccato suo. Juvenis item centum annorum, et ipse perfectus inter perfectos, et in salutem assumetur.

« Et ædificabunt domos, et ipsi inhabitabunt : et plan- » tabunt vineas, et ipsi comedent fructus earum [2]. » Nam suis ipsi operibus et gestis, mansiones illas quæ apud Patrem sunt, sibi procurabunt : sed etiam fructus laborum suorum comedent : quoniam ea quæ terram colentes suam collegerunt, ea reperient, iis alentur. « Nequaquam ædifi- » cabunt, et alii inhabitabunt; nequaquam plantabunt, et » alii comedent. Nam secundum dies ligni vitæ erunt dies » populi mei : opera enim laborum ipsorum veterascent [3].» Sed per infinita sæcula in immortali illa et felici vita degent : quare dictum est, « nam secundum dies ligni vitæ » erunt dies populi mei. » Lignum autem illud in paradiso Dei plantatum fuisse dicitur; itaque non extra para-

[1] Isa., LXV, 18, 19 et 20. — [2] Ib., 21. — [3] Ib., 22.

disum Dei impleri promissa declaratur. Quibus omnibus alium sibi a Judaïco populum adsciscit. Illi namque inveterascent, nec aliis, ex hac vita transferendi, labores suos relinquent; hi vero laborum suorum gesta secum assument, propriisque fructibus gaudebunt.

« Electi mei non laborabunt in vanum, neque filios generabunt in maledictionem : quia semen benedictum a Deo est, et nepotes eorum cum eis[1]. » Etiamsi enim pro missionum tempore, quidam salutares, boni suavesque labores sint, quos angelicus ordo sustinet; sed non frustra cedent illis opera : nam condigna ipsis merces reposita est. Liberorum vero procreationem intelligamus esse animæ cogitationes, mentisque fructus, quos a maledictione alienos, benedictione vero dignos fore vaticinatur. Hæc de præsenti quoque vita accipi posse existimo; ita ut his apostolicus chorus subindicetur. « Ideo electi mei non laborabunt in vanum, neque filios procreabunt in maledictionem. » Apostolorum quippe labores, ut vel ipsis oculis patebit, non in vanum suscepti fuere, quod arguetur ex Ecclesia ab ipsis per totum orbem fundata; et filii eorum per lavacrum regenerationis in Christo nati videbuntur.

« Et erit antequam clament, ego exaudiam eos : adhuc illis loquentibus dicam, quid est[2]? » Id porro in Actibus Apostolorum impletum deprehendas; nam Deo ipsis adstante, multa signa et prodigia edebantur. Apostolis vero hæc agentibus, hinc alienigenarum gentium conversio subsequebatur. « Tunc lupi et agni pascentur simul, et leo ut bos comedet paleas, serpens autem terram quasi panem. Non nocebunt, neque devastabunt, in monte sancto meo, dicit Dominus[3]. » Nam qui prius rapaces et feroces erant, ita ut lupis comparari possent, in mansuetum morem commutati, cum agnis et bobus gregatim agebantur, ut

[1] Isa., LXV, 23. — [2] Ib., 24. — [3] Ib., 25.

uno eodemque ex divinis lectionibus excerpto rationabili cibo uterentur. Qui autem moribus nihil a leonibus discrepabant, jam non ultra carnivoris et sanguinariis feris similes, boum instar et ipsi divinæ doctrinæ herbam comedebant. Et qui olim serpentem referebat, atroque veneno plenus vir, repudiata malitia, panem comedet : pro terra quam prius edebat, rationabili et humano utens alimento. Usque adeo autem hujusmodi feræ mansuescent, ut neminem lædant vel pessumdent in monte Dei.

CAPUT LXVI.

—

« Sic dicit Dominus, Cœlum thronus meus, et terra scabellum pedum meorum. Qualem domum ædificabitis mihi? et quis locus requietionis meæ? Hæc enim omnia fecit manus mea, et hæc omnia mea sunt, dicit Dominus. Quem vero respiciam, nisi humilem, et quietum, et trementem sermones meos? Iniquus autem, qui immolat mihi vitulum, quasi occidat canem : qui vero offert similam, quasi suillum sanguinem : qui dat incensum in memoriam, quasi blasphemus. Et ipsi elegerunt vias suas, et abominationes ipsorum anima eorum voluit [1]. » Non enim hæc, inquit, voluntas mea, neque meæ hujusmodi viæ, sed ad lubitum et placitum eorum sunt. « Et ego deligam illusiones eorum, et peccata retribuam eis : quia vocavi eos, et non exaudierunt me; locutus sum, et non audierunt : et fecerunt malum in conspectu meo, et quæ nolebam elegerunt [2]. »

[1] Isa., LXVI, 1, 2 et 3. — [2] Ib., 4.

Quandonam autem vocantem non intellexerunt; nisi quando præsens ipsis clamabat, « Venite ad me omnes, qui » laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos [1] ? »

« Audite verba Domini, qui tremitis ad sermonem » ejus. Dicite, Frates nostri, odientibus et abominanti- » bus vos, ut nomen Domini glorificetur, et videatur » in lætitia eorum et illi confundentur [2]. » Evangelicum ipsis præceptum tradit, nihil discrepans ab eo, « Dili- » gite inimicos vestros, bene facite iis qui oderunt vos, » orate pro affligentibus et persequentibus vos; ut sitis » filii Patris vestri, qui est in cœlis [3]. » Eadem prorsus præcipit et docet prophetia. « Vox clamoris ex civitate, » vox e Templo, vox Domini retribuentis retributionem ad- » versariis [4]. » Nam si hæc agantur, lætitia vestra, accedente præmiorum tempore, omnibus manifesta erit: illi vero finem vestrum conspicati confundentur et suam judicii divini tempore perniciem operibus ediscent. « Vox clamoris ex ci- » vitate, vox e Templo. » Voces quidem aliæ civium exclamantium ex civitate; aliæ ex Templo emissæ, Sacerdotum cæterorumque ministrorum lugentium, futuræ sunt.

« Antequam parturiens pariat, antequam veniant dolores » partus, effugit, et peperit masculum. Quis audivit tale? » et quis vidit simile? Num parturivit terra die una, num » nata est gens simul, quia parturivit et peperit Sion par- » vulos suos [5] ? » Pia religio, et nova recensque Sion, scilicet Ecclesia Dei, per vos constituenda, tantam confertim gentium et populorum multitudinem pariet, ut qui audierit obstupescat. At enim quemadmodum si mulier quædam uterum gestans ac prægnans, sine ullo dolore repente masculum pariat, sic et nova Sion populum novum, et universam gentem semel et confertim pariet; ita ut stupenda

[1] Matth. XI, 28. — [2] Isa. LXVI, 5. — [3] Matth., V, 44. — [4] Isa., LXVI, 6. — [5] Ib., 7 et 8.

res tota sit, qualis audita numquam fuit. Judæorum quippe natio et ipse Israël non confertim productus est: nam prior quidem fuit eorum progenitor; hujus vero duodecim fuere filii; hinc ex singulis filii et filiæ, quibus item filii et nepotes et abnepotes orti sunt, atque ita per parentum successionem, multis annorum curriculis, et variis generationibus universum genus eorum constitit.

« Ego vero dedi expectationem hanc, et non recordatus » es mei, dixit Dominus. Nonne ego gignentem et sterilem » feci, dixit Deus tuus [1]? » Eodem prorsus modo alias quoque gentes numero ac multitudine cum tempore auctas reperias: Dei autem Ecclesiæ populus, confertim unoque tempore, et quasi una die, maximam orbis partem implevit. Quam rem sane stupendam omniumque mirabilissimam, nec oculus unquam viderat, nec auris audierat. « Lætare, Jerusalem, et conventum » facite in ea omnes, qui diligitis eam. Gaudete cum ea » gaudio omnes quotquot lugetis super ea, ut sugatis, et » impleamini ab ubere consolationis ejus: ut postquam » suxeritis, delectemini ab introitu gloriæ ejus [2]. » Gaudete et exultate, utpote eo fruituri, qui statim unoque tempore masculum populum ibi Deo genuit, ac utpote replendi lacte, ad infantium ipsius alimentum parato, quod sane lac rationabile, utroque ex ubere effundetur, ex veteri nempe et novo Testamento. Ex ambobus enim hujusmodi uberibus, de quibus dicitur in Cantico, « Meliora » sunt ubera tua vino, rationabili et sine dolo lacte [3] » puerulos irrigabit, sicque perfectos producet viros.

« Quia hæc dicit Dominus, Ecce ego declino ad eos » quasi fluvios pacis, et quasi torrentes, inundans gloriam » gentium. Parvuli eorum humeris portabuntur, et super » genua consolabuntur [4]. » Consolatorii itaque et ad lenien-

[1] Isa., LXVI, 9. — [2] Ib., 10 et 11. — [3] Cant., I, 1. — [4] Isa., LXVI, 12.

dos simpliciores animos concinnati sermones, lac opportune vocantur: nam solidus cibus in mysticis dogmatibus intelligitur, et in speculationibus, quæ in divinis Scripturis repositæ sunt. « Quomodo si quem mater consoletur, » ita et ego consolabor vos, et in Jerusalem consolabi» mini [1]. » Hic rursum gloriam gentium, prædictæ novæ Sioni, Jerosolymæque adscribens, pacem gentibus tribuendam inundanti flumini comparat. His autem pollicitationibus superius quoque est usus, significans eos, qui adhuc in Ecclesia infantes sunt, utpote qui lacte nutriantur, nutricibus quibusdam gestandos esse : sive a sinceris Ecclesiæ doctoribus et præfectis, itemque a divinis et cœlestibus Angelis. Qui igitur valentiores sunt, infirmiores humeris gestabunt, et ad genua consolabuntur : ac si mater filiis blandiatur, et ego ipse Dominus, utpote eorum omnium pater, imbecilliorum consolatores consolabor.

« Et videbitis, et gaudebit cor vestrum, et ossa vestra » quasi herba germinabunt [2]. » Hic promissionum finis erit, nempe, Videbitis Deum. Quamobrem Salvator hos beatos prædicabat his verbis, « Beati mundo corde, quoniam ipsi » Deum videbunt [3]. » Et cognoscetur manus Domini timenti» bus eum, et minabitur incredulis. Ecce enim Dominus » quasi ignis veniet, et quasi tempestas currus ejus, ut » reddat in furore ultionem, et increpationem suam in » flamma ignis [4]. » Jam memoratis hominibus quæ superius dicta sunt pollicetur; iis vero, qui contrariam iniere viam comminatur: ac consequenter comminationis rationem edocet, secundum et gloriosum Servatoris adventum declarans, quando veniet cum gloria Patris, et cum Angelis suis, judicare vivos et mortuos.

« In igne enim Domini judicabitur omnis terra, et in

[1] Isa., LXVI, 13. — [2] Id., 14. — [3] Matth., V, 8. — [4] Isa., LXVI, 15.

» gladio ejus omnis caro : multi vulnerati erunt a Domino[1].» Furorem ejus esse ultrices potestates intelligi solet : et increpationem suam in flamma ignis contra eosdem mittet. Gladium vero corporeo more nominat, et vulneratos similiter. Quia illi, utpote Judæi, non alio modo intelligere poterant, ut qui non valerent verborum mentem subsequi. Apostolus certe dicti quod tractamus sensum aperit his verbis, « Secundum autem duritiem tuam et impœnitens » cor thesaurizas tibi iram in die iræ et revelationis, et justi » judicii Dei, qui reddet unicuique secundum opera sua [2].»

« Qui sanctificantur et purificantur in hortis, et in limini» bus comedentes carnem porcinam, et abominationes et mu» rem, simul consumentur [3].» Ita ut non ulterius secundum legem, quam tradidit Moyses, cinere vitulæ et aspersionibus dierum septem, sacrificiorumve purgationibus mundarentur : sed horum vice, postquam in his versati fuerant, purgationem per aquam sufficere sibi putabant, quorumdam hortorum aquis se ablui et emaculari, nec ultra eorum quæ in lege præcipiuntur ullo se opus habere, existimantes. Nam alias, post admissa turpia facinora, et post illicitas turpesque actiones, simplici aqua animas mundari suas arbitrabantur.

« Et ego opera eorum, et cogitationem eorum [novi]. » Et venio ut congregem omnes gentes et linguas : et ve» nient, et videbunt gloriam meam [4]. » Hæc clarius Servator in Evangeliis docet his verbis, « Cum venerit filius ho» minis in gloria Patris sui, et omnes sancti Angeli cum » eo; et congregabunt omnes gentes in conspectu ejus, et » segregabit eos, quemadmodum segregat pastor oves ab » hœdis, « et cætera. Et hoc iterum gentibus pollicetur, quod nempe futurum sit ut gloriam ipsius videre dignæ habeantur.

[1] Isa., LXVI, 16. — [2] Rom., II, 5. — [3] Isa., LXVI, 17. — [4] Ib., 18.

« Et relinquam super eos signum : et emittam ex illis » eos qui salvati fuerint ad gentes, in Tharsis, et Phud, et » Lud, et in Mosoch, et in Thobel, et in Græciam, et in » insulas remotas; qui non audierunt nomen meum, neque » viderunt gloriam meam. Et annuntiabunt gloriam meam » in gentibus[1]. » Superius quoque dicebatur, « Ii quibus an- » nuntiatum non est de illo, videbunt, et qui non audie- » runt, intelligent : » et iterum, « Apparui iis, qui me non » interrogabant; inventus sum ab iis, qui me non quære- » bant : dixi, Ecce adsum, iis qui non invocabant nomen » meum. » His affinia sunt præmissa verba, queis Aposto- los suos ad extraneas Israëli gentes, et a Judæa remotissi- mas, missurum se pollicetur.

« Et adducent fratres vestros ex omnibus gentibus, do- » num Domino[2]. » Adducent eos, hunc ipsis bonum finem procurantes, quando assumentur, perinde atque Helias curru Angelico vecti, cœlesti lumine ipsis circumfulgente. « Cum equis et curribus, in lampenis mulorum, cum um- » braculis in civitatem sanctam Jerusalem, dixit Dominus. » Equos et angelicas rhedas intelliges, si Zachariæ prophe- tiæ animum applices, ubi equos veloces, varios et albos, ac currus aliquos describens, Angelicas virtutes subindica- bat. Lampenæ autem mulorum videntur significare corpora resurgentia, quibus vectæ animæ in cœlestem civitatem assumentur. E re autem dicitur Lampenæ, sive fulgores, ob fulgentem ipsis gloriam. « Ut offerant filii Israël victi- » mas suas mihi cum psalmis : et ex eis sumam Sacerdotes » et Levitas, dixit Dominus[3]. » Ut itaque secundum corpo- ream legem in terrena Jerusalem hæc agebant qui cultum persolvebant ; eodem modo secundum terrenum illud exemplum, qui in cœlestem Jerosolymam ascendent, cum

[1] Isa., LXVI, 19. — [2] Ib., 20. — [3] Ib., 21.

propriis fructibus venient, quos singuli ex fructiferis virtutibus, ut donum et munus in anima referent.

«Sicut enim cœlum novum et terra nova, quæ ego »facio, permanent in conspectu meo, dicit Dominus; sic »stabit semen vestrum et nomen vestrum [1].» Nam si novum cœlum, et nova terra, et Jerusalem nova est; consequenter Sacerdotes et Levitæ novi erunt, quare superius dicebat, « non recordabuntur priorum, et non ascendet »in cor eorum. » Prima itaque non permanentia erant, quapropter dictum est, « Cœlum et terra transibunt; » ac rursum, « Plicabitur cœlum ut liber, et corruptione cor»rumpetur terra. » Futuri vero sæculi primitiæ Christus; deinde qui Christi sunt in adventu ejus. « Et erit mensis ex »mense, et sabbatum ex sabbato. Veniet omnis caro ad »adorandum in conspectu meo in Jerusalem, dicit Domi»nus [2]. » Sabbatum autem Christi intelligendi more congruenter acccipias pro solemnitatibus in cœlo celebratis, et pro veris illic sabbatis in mensibus, ut ibi usu veniunt, celebrandis. De quibus prolixus et explicatu difficilis sermo instituendus esset, qui longo otio et proprio argumento opus haberet. Carnem autem omnem vocat omnes gentes; ita enim superius dicebatur, « Videbit autem omnis caro sa»lutare Dei; » et alibi, « Effundam de Spiritu meo super »omnem carnem, et prophetabunt. In Jerusalem. » Cœlestem indicat Jerosolymam, ubi Salvatoris nostri regnum consistet.

«Et exibunt et videbunt membra hominum, qui præva»ricati sunt in me. Vermis enim eorum non morietur, et »ignis eorum non extinguetur, et erunt in conspectum »omni carni [3].» Quinam hi essent initio Prophetiæ dixit his verbis, «Filios genui, et exaltavi : ipsi autem spreverunt »me. » His ergo subindicat illos ex Judæis, qui salutarem

[1] Isa., LXVI, 22. — [2] Ib., 23. — [3] Ib., 24.

gratiam repudiarunt. Hunc impiorum esse finem definit Salvator noster in Evangeliis, eos qui a sinistris ejus stabunt sic alloquens, « Discedite in ignem æternum, paratum » diabolo et angelis ejus. » Quemadmodum igitur ibi æternus dicitur ignis; sic et hoc loco « inexstinguibilis » dicitur, una eademque substantia ex utraque Scriptura. « Et erunt » in conspectum omni carni. » Cui carni, nisi prorsus ei, quæ supplicio addicenda, ac cœlesti contemplatione donanda est, de qua superius dicebatur, « Veniet omnis caro » ad adorandum in conspectu meo. » Qua item nos digni habeamur precibus et intercessionibus omnium Sanctorum: Amen.

EUSEBII PAMPHILI

CÆSARIENSIS EPISCOPI

TABULA

CONCORDANTIÆ EVANGELISTARUM

CUM EPISTOLA AD CARPIANUM.

(A. B. CAILLAU , INTERPRETANTE ET ANNOTANTE.)

Eusebius Carpiano fratri carissimo in Domino salutem.

Ammonius Alexandrinus, multa ut justum est diligentia curaque adhibita, Evangelium juxta quatuor nobis reliquit, Matthæi scripturæ unanimes cæterorum Evangelistarum sententias comparans quo necessario factum est, ut interrupta lectionis sequentia, sensus pariter sequentia apud tres illos vitietur. Ut autem salva apud alios operis totius necnon et sensuum concatenationis integritate, tibi videre detur propria uniuscujusque Evangelistæ loca, in quibus sibimetipsis consentientes veritatem protulerunt, ex supra dicti viri labore ansam arripiens, sed aliæ insistens methodo, canones numero decem infra positos tibi exarare curavi : quorum primus habet numeros in quibus similia dixerunt quatuor, nempe Matthæus, Marcus, Lucas, Joannes ; secundus, in quibus tres, Matthæus, Marcus,

Lucas; tertius, in quibus tres, Matthæus, Lucas, Joannes; quartus, in quibus tres, Matthæus, Marcus, Joannes; quintus, in quibus duo, Matthæus et Lucas; sextus, in quibus duo, Matthæus et Marcus; septimus, in quibus duo, Matthæus et Joannes; octavus, in quibus duo, Lucas et Marcus; nonus, in quibus duo, Lucas et Joannes; decimus in quibus indicantur quædam, quæ sibi propria unusquisque conscripsit.

Talis est ergo positorum infra canonum tabula; facilis autem illorum interpretatio, quæ ita se habet: unicuique quatuor Evangelistarum numerus supponitur juxta quasdam sectiones, incipiens a primo, deinde secundo, et tertio, et sic deinceps ex ordine procedens usque ad totius voluminis finem: unicuique autem numero nota quædam rubri coloris annectitur, indicans apud quem decem canonum propositus reperiatur numerus: ita ut si præfigatur A (Latine, I.) manifestum quod in primo; si B (Latine, II.) quod id secundo, et sic ex ordine usque ad decimum. Si igitur ad explicandum qualemcumque quatuor Evangeliorum locum, intendere cuilibet capiti volueris, et cognoscere qui similia dixerint, et invenire propria in unoquoque loco, in quibus privata loquuntur, huic quam suscepisti sectioni appositum sumens numerum, illumque intus in hoc canone perquirens, quem nota rubri coloris respexerit, scies statim ex litteris in canonis fronte proscriptis, quot et quales similia scripserint; unde attendens et cæterorum Evangeliorum numeris in eodem canone juxta primum numerum appositis, illosque in propriis uniuscujusque Evangelii locis perquirens, quæ similia repræsentant invenies.

ANNOTATIO.

Ex hac Eusebii epistola manifestum est illum cum hisce canonibus exemplar quatuor Evangelistarum misisse, quod quibusdam sectionibus partiri curaverat, ita ut in Matthæo CCCLV, in Marco CCXXXVI, in Luca CCCXLII, in Joanne CCXXXII haberentur sectiones; unde cum illæ sectiones cum capitibus et versibus non concordent, ad adjuvandam lectorum intelligentiam, 1° in Eusebii tabula sectionibus capita et versus, quos repræsentant apposuimus; 2° ad calcem adjecimus tum Evangeliorum Eusebianorum exemplar brevissimum, tum tabulam ejusdem sectionum cum capitum et versuum indicatione.

CANON II.

IN QUO TRES CONSENTIUNT.

MATTHÆUS.			MARCUS.			LUCAS.		
§§.	CAPUT.	VERS.	§§.	CAPUT.	VERS.	§§.	CAPUT.	VERS.
XV	IV	1	VI	I	12	XV	IV	1
XXI	IV	19-20	X	I	17-18	XXXII	V	11
XXXI	V	13	CII	IX	49-50	CLXXXV	XIV	34-35
XXXII	V	14-16	XXXIX	IV	21	CXXXIII	XI	33
XXXII	V	14-16	XXXIX	IV	21	LXXIX	VIII	16
L	VII	1-2	XLI	IV	24	LVI	VI	37-38
LXII	VII	28-29	XIII	I	22	IV	II	47
LXII	VII	28-29	XIII	I	22	XXIV	IV	32
LXIII	VIII	1-4	XVIII	I	40-44	XXXIII	V	12-14
LXVII	VIII	14-18	XXXV	III	31-35	XXVI	IV	38-40
LXIX	VIII	23-27	XLVII	IV 36. V	17	LXXXIII	VIII	22-37
LXXI	IX	9	XXI	II	14	XXXVIII	V	27-28
LXXII	IX	10-11	XXII	II	15-16	XXXIX	V	29-30
LXXII	IX	10-11	XXII	II	15-16	CLXXXVI	XV	1-3
LXXIII	IX	12-17	XXIII	II	17-22	XL	V	31-39
LXXIV	IX	18-26	XLIX	V	21-43	LXXXV	VIII	40-56
LXXVI	IX	35	LII	VI	6	CLXIX	XIII	22
LXXIX	X	1	XXIX	V	14-15	LXXXVI	IX	1-2
LXXX	X	2-4	XXX	V	16-19	XLIV	VI	13-16
LXXXII	X	9-10	LIII	VI	7-9	LXXXVII	IX	3-4
LXXXII	X	9-10	LIII	VI	7-9	CX	X	4
LXXXIII	X	11	LIV	VI	10	LXXXVII	IX	3-4
LXXXIII	X	11	LIV	VI	10	CXII	X	7
LXXXV	X	14-15	LV	VI	11-12	LXXXVIII	IX	5
LXXXV	X	14-15	LV	VI	11-12	CXIV	X	10-12
LXXXVIII	X	19-22	CXLI	XIII	11-13	CXLVIII	XII	11-12
LXXXVIII	X	19-22	CXLI	XIII	11-13	CCLI	XXI	14-19
XCII	X	26	XL	IV	22-23	LXXX	VIII	17
XCIV	X	32-33	LXXXVI	VIII	38	XCVII	IX	26
XCIV	X	32-33	LXXXVI	VIII	38	CXLVI	XII	9
CIII	XI	10	I	I	1-2	LXX	VII	27
CXIV	XII	1-4	XXIV	II	23-26	XLI	VI	1-5
CXVI	XII	9-13	XXV	II 27. III	5	XLII	VI	6-11
CXVI	XII	9-13	XXV	II 27. III	5	CLXV	XIII	9-16
CXVI	XII	9-13	XXV	II 27. III	5	CLXXVI	XIV	5-6
CXXI	XII	24	XXXII	III	22	CXXVII	XI	15
CXXII	XII	25-30	XXXIII	III	23-27	CXXIX	XI	17-23

MATTHÆUS.			MARCUS.			LUCAS.		
§§.	CAPUT.	VERS.	§§.	CAPUT.	VERS.	§§.	CAPUT.	VERS.
CXXIII	XII	31-34	XXXIV	III	28-30	CXLVII	XII	10
CXXX	XII	46-50	XXXV	III	31-35	LXXXII	VIII	19-21
CXXXI	XIII	1-11	XXXVI	IV	1	LXXVI	VIII	4-9
CXXXV	XIII	19-23	XXXVIII	IV	14-20	LXXVIII	VIII	12-15
CXXXVII	XIII	31-32	XLIV	IV	30-32	CLXVII	XIII	18-19
CXLIII	XIV	1-2	LVII	VI	13	XC	IX	7-9
CXLIV	XIV	3-5	LIX	VI	17-20	XII	III	19-20
CXLIX	XIV	23	LXVI	VI	46	XXXV	V	16
CXLIX	XIV	23	LXVI	VI	46	XLIII	VI	12
CLIII	XIV	35-36	LXIX	VI	53-56	XXXVI	V	17
CLXIV	XVI	5-6	LXXIX	VIII	15	CXLIV	XII	1
CLXVIII	XVI	20-21	LXXXIII	VIII	30-31	XCV	IX	21-22
CLXVIII	XVI	20-21	LXXXIII	VIII	30-31	XCVI	IX	23
CLXX	XVI	24-25	LXXXV	VIII	34-37	XCVI	IX	23
CLXXII	XVI 28.	XVII 9	LXXXVII	IX	1-9	XCVIII	IX	27-36
CLXXIV	XVII	14-18	XCI	IX	17-27	XCIX	IX	37-42
CLXXVI	XVII	22-23	XCIII	IX	30-31	CI	IX	44-45
CLXXVIII	XVIII	1-5	XCV	IX	34-35	CII	IX	46-48
CLXXVIII	XVIII	1-5	XCV	IX	34-35	CCXVII	XVIII	17
CLXXIX	XVIII	6-7	XCIX	IX	42	CXCVII	XVII	1-2
CXC	XIX	9	CV	X	11-12	CXCV	XVI	18
CXCII	XIX	13-15	CVI	X	13-16	CCXVI	XVIII	15-16
CXCIII	XIX	16-20	CVII	X	17-20	CXXI	X	25-28
CXCIII	XIX	16-20	CVII	X	17-20	CCXVIII	XVIII	18-21
CXCIV	XIX	21	CVIII	X	21	CLII	XII	33
CXCIV	XIX	21	CVIII	X	21	CCXIX	XVIII	22
CXCV	XIX	22-26	CIX	X	22-28	CCXX	XVIII	23-28
CXCVIII	XIX	29	CX	X	29	CCXXI	XVIII	29-30
CXCIX	XIX	30	CXI	X	31	CLXXIII	XIII	30
CCI	XX	17-19	CXII	X	32-34	CCXXII	XVIII	31-33
CCIII	XX	24-27	CXIV	X	41-44	CCLXX	XXII	24-26
CCV	XX	29-34	CXVI	X	46-52	CCXXIV	XVIII	35-43
CCVI	XXI	1-3	CXVII	XI	1-3	CCXXXII	XIX	28-31
CCVIII	XXI	6-8	CXVIII	XI	4-8	CCXXXIII	XIX	32-35
CCXVII	XXI	23-27	CXXVII	XI	27-33	CCXL	XX	1-8
CCXIX	XXI	33-44	CXXVIII	XII	1-11	CCXLI	XX	9-18
CCXXIII	XXII	15-32	CXXX	XII	13-27	CCXLIII	XX	20-40
CCXXV	XXII	41-45	CXXXIV	XII	35-37	CCXLV	XX	42-44
CCXXVI	XXII	46	CXXXIII	XII	34	CCXLIV	XX	41
CCXXIX	XXIII	5-7	CXXXV	XII	38-39	CCXXXVII	XIX	44
CCXXIX	XXIII	5-7	CXXXV	XII	38-39	CCXLVI	XX	45-46
CCXLII	XXIV	1-2	CXXXVII	XIII	1-2	CCXXXVII	XIX	44

MATTHÆUS.			MARCUS.			LUCAS.		
§§.	CAPUT.	VERS.	§§.	CAPUT.	VERS.	§§.	CAPUT.	VERS.
CCXLII	XXIV	1-2	CXXXVII	XIII	1-2	CCXLVIII	XXI	5-6
CCXLIII	XXIV	3-7	CXXXVIII	XIII	3-5	CCXLIX	XXI	7-11
CCXLVIII	XXIV	16-18	CXLIII	XIII	15-16	CCIX	XVII	31
CCXLVIII	XXIV	16-18	CXLIII	XIII	15-16	CCLIII	XXI	21-22
CCXLIX	XXIV	19	CXLIV	XIII	17	CCLIV	XXI	23
CCLI	XXIV	21	CXLVI	XIII	19	CCLV	XXI	23
CCLIII	XXIV	23	CXLVIII	XIII	21	CCIV	XVII	23
CCLVIII	XXIV	29	CL	XIII	24-25	CCLVII	XXI	25-26
CCLIX	XXIV	30-35	CLI	XIII	26-32	CCLVIII	XXI	27-35
CCLXIV	XXIV	43-44	CLV	XIII	35-37	CCLVI	XXI	24
CCLXIX	XXV	14	CLIV	XIII	34	CCXXVIII	XIX	1-9
CCLXXI	XXV	29	XLII	IV	25	CCXXX	XIX	25-26
CCLXXVIII	XXVI	14-16	CLX	XIV	10-11	CCLXIII	XXII	4-14
CCLXXXI	XXVI	23-24	CLXIII	XIV	20	CCLXVIII	XXII	21-22
CCLXXXV	XXVI	27-29	CLXVI	XIV	23-25	CCLXV	XXII	17-18
CCLXXXV	XXVI	27-29	CLXVI	XIV	23-25	CCLXVII	XXII	20
CCXCVI	XXVI	40	CLXXVII	XIV	37-38	CCLXXX	XXII	40
CCXCVI	XXVI	40	CLXXVII	XIV	37-38	CCLXXXIV	XXII	45-46
CCCI	XXVI	48-50	CLXXXII	XIV	44-46	CCLXXXVI	XXII	48
CCCVIII	XXVI	59-60	CLXXXIX	XIV	55	CCCV	XXIII	10
CCCXII	XXVI	66	CXCIII	XIV	64	CCXCIX	XXII	71
CCCXVI	XXVI	75	CXCVII	XIV	72	CCXCIII	XXII	61
CCCXVII	XXVII	1	CXCVIII	XV	1	CCXCV	XXII	66
CCCXXII	XXVII	15	CCII	XV	6	CCCIX	XXIII	17
CCCXXXVIII	XXVII	41-43	CCXVIII	XV	31	CCCXXII	XXIII	35
CCCXXXIX	XXVII	44	CCXIX	XV	32	CCCXXV	XXIII	39
CCCXL	XXVII	45	CCXX	XV	33	CCCXXVII	XXIII	44-45
CCCXLII	XXVII	48-49	CCXXII	XV	35-36	CCCXXIII	XXIII	36-37
CCCXLIV	XXVII	51	CCXXIV	XV	38	CCCXXVIII	XXIII	46
CCCXLVI	XXVII	54	CCXXV	XV	39	CCCXXX	XXIII	47
CCCLIII	XXVIII	5-7	CCXXXII	XVI	6-7	CCCXXXVII	XXIV	5-7
CCCLIV	XXVIII	8	CCXXXIII	XVI	8-10	CCCXXXVIII	XXIV	8-9

CANON III.

IN QUO TRES CONSENTIUNT.

MATTHÆUS.			LUCAS.			JOANNES.		
§§.	CAPUT.	VERS.	§§.	CAPUT.	VERS.	§§.	CAPUT.	VERS.
I	I	1-15	XIV	III	23-38	I	I	1-5
I	I	1-15	XIV	III	23-38	III	I	10
I	I	1-15	XIV	III	23-38	V	I	14
VII	III	1-2	VI	III	1-2	II	I	6-9
VII	III	1-2	VI	III	1-2	XXV	III	23
LIX	VH	21	LXIII	VI	46	CXVI	XIII	12
LXIV	VIII	5-10	LXV	VII	1-9	XXVIII	IV	46-54
XC	X	24	LVIII	VI	40	CXVIII	XIII	16-17
XC	X	24	LVIII	VI	40	CXXXIX	XV	20
XCVII	X	39	CCXI	XVII	33	CV	XII	25
CXI	XI	27	CXIX	X	22	XXX	III	35
CXI	XI	27	CXIX	X	22	CXIV	XIII	3
CXI	ZI	27	CXIX	X	22	CXLVIII	XVI	15
CXII	XI	27	CXIX	X	22	V	I	14
CXII	XI	27	CXIX	X	22	XLIV	V	37-38
CXII	XI	27	CXIX	X	22	LXI	VI	46
CXII	XI	27	CXIX	X	22	LXXVI	VII	28-29
CXII	XI	27	CXIX	X	22	LXXXVII	VIII	19
CXII	XI	27	CXIX	X	22	XC	X	15
CXII	XI	27	CXIX	X	22	CXLII	XV	22
CXII	XI	27	CXIX	X	22	CXLIV	XVII	25
CXLVI	XIV	13-14	XCII	IX	21	X VII	VI	1-2

CANON IV.

IN QUO TRES CONSENTIUNT.

MATTHÆUS.			MARCUS.			JOANNES.		
§§.	CAPUT.	VERS.	§§.	CAPUT.	VERS.	§§.	CAPUT.	VERS.
XVIII	IV	12	VIII	I	14	XXVI	III	24
CXVII	XII	14	XXVI	III	6	XCIII	X	40
CXVII	XII	14	XXVI	III	6	XCV	XI	54
CL	XIV	24-27	LXVII	VI	47-50	LI	VI	16-21
CLXI	XVI	1	LXXVII	VIII	11	XXIII	II	18
CLXI	XVI	1	LXXVII	VIII	11	LIII	VI	30
CCIV	XX	28	CXV	X	45	XCI	X	16
CCIV	XX	28	CXV	X	45	CXXXV	XV	13
CCXVI	XXI	22	CXXV	XI	24	CXXVIII	XIV	13-20
CCXVI	XXI	22	CXXV	XI	24	CXXXIII	XV	7
CCXVI	XXI	22	CXXV	XI	24	CXXXVII	XV	17
CCXVI	XXI	22	CXXV	XI	24	CL	XVI	23-24
CCLXXVII	XXVI	12-13	CLIX	XIV	7-9	XCVIII	XIV	2-8
CCLXXIX	XXVI	21	CLXI	XIV	18	LXXII	VI	65
CCLXXIX	XXVI	21	CLXI	XIV	18	CXXI	XIII	21
CCLXXXVII	XXVI	31	CLXVIII	XIV	27	CLII	XVI	31-32
CCXCIII	XXVI	38	CLXXIV	XIV	34	CVII	XII	27
CCXCVII	XXVI	41	CLXXVIII	XIV	39	LXX	VI	63
CCXCIX	XXVI	45	CLXXX	XIV	41-42	CIII	XII	23
CCCVII	XXVI	58	CLXXXVIII	XIV	54	CLXIV	XVIII	15
CCCXXI	XXVII	12-14	CCI	XV	4-5	CLXXX	XVIII	37
CCCXXI	XXVII	12-14	CCI	XV	4-5	CXCII	XIX	8-9
CCCXXIII	XXVII	16-17	CCIII	XV	11	CLXXXIII	XVIII	39
CCCXXIX	XXVII	27-29	CCVII	XV	16-19	CLXXXV	XIX	1-3
CCCXXIX	XXVII	27-29	CCVII	XV	16-19	CLXXXVII	XIX	5
CCCXXXIII	XXVII	34	CCXI	XV	23	CCIII	XIX	28-29

CANON V.

IN QUO DUO CONSENTIUNT.

MATTHÆUS.			LUCAS.		
§§.	CAPUT.	VERS.	§§.	CAPUT.	VERS.
III	I	18	II	II	6-7
X	III	7-10	VIII	III	7-9
XII	III	12	XI	III	17-18
XVI	IV	1-10	XVI	IV	2-13
XXV	V	2	XLVI	VI	20
XXVI	V	3	XLVII	VI	21
XXVIII	V	6	XLVIII	VI	22
XXX	V	11-12	XLIX	VI	22-23
XXXIV	V	18	CXCIV	XVI	17
XXXVI	V	25-26	CLXII	XII	58-59
XXXVIII	V	39-40	LIII	VI	29-30
XL	V	44-45	LII	VI	27-28
XL	V	46-48	LV	VI	32-36
XLIII	VI	7-13	CXXIII	XI	1-4
XLVI	VI	19-21	CLIII	XII	33-34
XLVII	VI	22-23	CXXXIV	XI	34-38
XLVIII	VI	24	CXCI	XVI	13
XLIX	VI	25-34	CL	XII	22-31
LI	VII	3-5	LIX	VI	40-41
LIII	VII	7-11	CXXV	XI	9-13
LIV	VII	12	LIV	VI	31-36
LV	VII	13-14	CLXX	XIII	13-24
LVII	VII	16	LXI	VI	44
LVIII	VII	17-20	LX	VI	43
LX	VII	22-23	CLXXI	XIII	25-27
LXI	VII	24-27	LXIV	VI	47-49
LXV	VIII	11-12	CLXXII	XIII	28-29
LXVI	VIII	13	LXVI	VII	10
LXVIII	VIII	19-22	CV	IX	56-60
LXXVIII	IX	37-38	CVIII	X	2
LXXXIV	X	12-13	CXI	X	5-6
LXXXVI	X	16	CIX	X	3
XCIII	X	27-31	CXLV	XII	2-8
XCV	X	34-35	CLX	XII	49-53
XCVI	X	37-38	CLXXXII	XIV	25-27
XCVI	X	37-38	CLXXXIV	XIV	33
CII	XI	2-9	LXIX	VII	19-26
CIV	XI	11	LXXI	VII	28

MATTHÆUS.			LUCAS.		
§§.	CAPUT.	VERS.	§§.	CAPUT.	VERS.
CV	XI	12-13	CXCIII	XVI	16
CVII	XI	15-19	LXXIII	VII	31-35
CVIII	XI	20-22	CXV	X	13-15
CX	XI	25-26	CXVIII	X	21
CXIX	XII	21-22	CXXVI	XI	14
CXXV	XII	35	LXII	VI	45
CXXVII	XII	38	CXXVIII	XI	16
CXXVIII	XII	39-42	CXXXII	XI	29-32
CXXIX	XII	43-50	CXXX	XI	24-26
CXXXII	XIII	12	LXXXI	VIII	18
CXXXIV	XIII	16-18	CXX	X	23-24
CXXXVIII	XIII	33	CLXVIII	XIII	20-21
CLVI	XV	14	LVII	VI	39
CLVIII	XV	24	CCXXVI	XIX	10
CLXII	XVI	2-3	CLXI	XII	54-57
CLXXV	XVIII	19-21	CC	XVII	5-6
CLXXXII	XVIII	11-14	CLXXXVII	XV	4-7
CLXXXII	XVIII	11-14	CLXXXIX	XV	10-11
CLXXXIII	XVIII	15	CXCVIII	XVII	3
CLXXXVII	XVIII	21-22	CXCIX	XVII	4
CXCVII	XIX	28	CCLXXII	XXII	30
CCXIII	XXI	15-16	CCXXXV	XIX	39-40
CCXXI	XXII	1-10	CLXXXI	XIV	16-24
CCXXVIII	XXIII	4	CXXXIX	XI	45-46
CCXXXI	XXIII	11-13	CLXXIX	XIV	11
CCXXXI	XXIII	11-13	CCXV	XVIII	14
CCXXXII	XXIII	14	CXLII	XI	52
CCXXXIV	XXIII	23	CXXXVI	XI	42
CCXXXVI	XXIII	25-26	CXXXV	XI	39-41
CCXXXVII	XXIII	27-28	CXXXVIII	XI	44
CCXXXVIII	XXIII	29-31	CXL	XI	47-48
CCXL	XXIII	34-36	CXLI	XI	49-51
CCXLI	XXIII	37-39	CLXXV	XIII	34-35
CCLV	XXIV	25-26	CCII	XVII	20-21
CCLVI	XXIV	27	CCV	XVII	24
CCLVII	XXIV	28	CCXIII	XVII	36
CCLXI	XXIV	37-39	CCVII	XVII	26-27
CCLXII	XXIV	40	CCXII	XVII	34-35
CCLXV	XXIV	45	CLVII	XII	42-44
CCLXVI	XXIV	46-47	CLV	XII	37-38
CCLXVII	XXIV	48-51	CLVIII	XII	45-46
CCLXX	XXV	15-28	CCXXIX	XII	47-48
CCLXXII	XXV	30	CCXXXI	X	27-28

CANON VI.

IN QUO DUO CONSENTIUNT.

MATTHÆUS.			MARCUS.		
§§.	CAPUT.	VERS.	§§.	CAPUT.	VERS.
IX	III	4-6	III	I	4-6
XVII	IV	11	VII	I	13
XX	IV	17-18	IX	I	15-16
XXII	IV	21-22	XI	I	19-20
XLIV	VI	14-15	CXXVI	XI	25-26
LXXVII	IX	36	LXIII	VI	34
C	X	42	XCIX	IX	41
CXXXIX	XIII	34	XLV	IV	33-34
CXLV	XIV	6-12	LX	VI	21-29
CXLVIII	XIV	22	LXV	VI	45
CLII	XIV	32-33	LXVIII	VI	51-52
CLIV	XV	1-11	LXXI	VII	5-16
CLVII	XV	15-20	LXXII	VII	17-25
CLIX	XV	25-31	LXXIII	VII	26-30
CLX	XV	32-39	LXXVI	VIII	1-10
CLXIII	XVI	4	LXXVIII	VIII	12-14
CLXV	XVI	7-12	LXXX	VIII	16-21
CLXIX	XVI	22-23	LXXXIV	VIII	32-33
CLXXIII	XVII	10-13	LXXXIX	IX	11-13
CLXXX	XVIII	8-9	C	IX	43
CLXXXIX	XIX	1-8	CIII	X	1-9
CCII	XX	20-23	CXIII	X	35-40
CCXIV	XXI	17-20	CXX	XI	11-14
CCXV	XXI	21	CXXIV	XI	22-23
CCXXIV	XXII	33-40	CXXXI	XII	28-31
CCXLVI	XXIV	14	CXL	XIII	10
CCXLVII	XXIV	15	CXLII	XIII	14
CCL	XXIV	20	CXLV	XIII	18
CCLII	XXIV	22	CXLVII	XIII	20
CCCV	XXVI	56	CLXXXV	XIV	49-50
CCCIX	XXVI	60-63	CXC	XIV	56-61
CCCXI	XXVI	65	CXCII	XIV	63
CCCXXX	XXVII	30-31	CCVIII	XV	20
CCCXXXVII	XXVII	39-40	CCXVII	XV	29-30
CCCXLI	XXVII	46-47	CCXXI	XV	34
CCCXLVII	XXVII	55-56	CCXXVI	XV	40-41
CCCL	XXVII	61	CCXXIX	XV	47

CANON VII.

IN QUO DUO CONSENTIUNT.

MATTHÆUS.			JOANNES.		
§§.	CAPUT.	VERS.	§§.	CAPUT.	VERS.
V	II	6	LXXXIII	VII	41-42
XIX	IV	13-16	XIX	II	12
XIX	IV	13-16	XXXII	IV	3
XIX	IV	13-16	XXXIV	IV	43
CXX	XII	23	LXXXII	VII	40
CLXXXV	XVIII	18	CCXV	XX	22-23
CCVII	XXI	4-5	CI	XII	14-15

CANON VIII.

IN QUO DUO CONSENTIUNT.

LUCAS.			MARCUS.		
§§.	CAPUT.	VERS.	§§.	CAPUT.	VERS.
XXIII	IV	31	XII	I	21
XXV	IV	33-37	XIV	I	23-28
XXVII	IV	41	XVI	I	34
XXVII	IV	41	XXVIII	III	11-12
XXVIII	IV	42-44	XVII	I	35-39
LXXXIV	VIII	38 39	XLVIII	V	18-20
LXXXIX	IX	6	LVI	VI	13
XCI	IX	10	LXI	VI	30
C	IX	43	LXXIII	VII	36-37
CIII	IX	49-50	LXXXVII	IX	38-40
CCXLVII	XX 47.	XXI 4	CXXXVI	XII	40-44
CCLXXVII	XXII	37	CCXVI	XV	28
CCCXXXV	XXIII	56	CCXL	XVI	1
CCCXXXIX	XXIV	10-35	CCXLV	XVI	12-13

CANON IX.

IN QUO DUO CONSENTIUNT.

LUCAS.			JOANNES.		
§§.	CAPUT.	VERS.	§§.	CAPUT.	VERS.
XXX	V	4-7	CCXIX	XXI	1-6
XXX	V	4-7	CCXXII	XXI	11
CCLXII	XXII	2-3	CXIII	XIII	2
CCLXII	XXII	2-3	CXXIV	XIII	26
CCLXXIV	XXII	32	CCXXVII	XXI	15
CCLXXIV	XXII	32	CCXXIX	XXI	16
CCLXXIV	XXII	32	CCXXXI	XXI	17
CCCIII	XXIII	4	CLXXXII	XVIII	38
CCCIII	XXIII	4	CLXXXVI	XIX	4
CCCIII	XXIII	4	CXC	XIX	7
CCCVII	XXIII	13-14	CLXXXII	XVIII	38
CCCVII	XXIII	13-14	CLXXXVI	XIX	4
CCCVII	XXIII	13-14	CXC	XIX	7
CCCXII	XXIII	22	CLXXXII	XVIII	38
CCCXII	XXIII	22	CLXXXVI	XIX	4
CCCXII	XXIII	22	CXC	XIX	7
CCCXL	XXIV	36-40	CCXIII	XX	19-20
CCCXL	XXIV	36-40	CCXVII	XX	26-27
CCCXLI	XXIV	41-43	CCXXI	XXI	9-10
CCCXLI	XXIV	41-43	CCXXIII	XXI	12
CCCXLI	XXIV	41-43	CCXXV	XXI	14

CANON X.

IN QUO PECULIARIA QUÆDAM UNUSQUISQUE LOCUTUS EST.

MATTHÆUS.

§§.	CAPUT.	VERS.	§§.	CAPUT.	VERS.
II	I	16-17	CLV	XV	12-13
IV	I	19-25	CLXVII	XVI	17-19
VI	II	7-23	CLXXI	XVI	27
XIII	III	13-15	CLXXVII	XVIII	24-27
XXIV	V	1	CLXXXI	XVIII	10
XXVII	V	4-5	CLXXXIV	XVIII	16-17
XXIX	V	7-10	CLXXXVI	XVIII	19-20
XXXIII	V	17	CLXXXVIII	XVIII	23-35
XXXV	V	19-24	CXCI	XIX	10-12
XXXVII	V	27-38	CXCVI	XIX	27
XXXIX	V	41-43	CC	XX	1-16
XLII	VI	1-6	CCX	XXI	10-11
XLV	VI	16-18	CCXII	XXI	14
LII	VII	6	CCXVIII	XXI	28-32
LVI	VII	7	CCXXII	XXII	11-14
LXXV	IX	27-34	CCXXVII	XXIII	1-3
LXXXI	X	5-8	CCXXX	XXIII	8-10
LXXXIX	X	23	CCXXXIII	XXIII	15-22
XCI	X	25	CCXXXV	XXIII	24
XCIX	X	41	CCXXXIX	XXIII	32-33
CI	XI	1	CCXLV	XXIV	10-13
CVI	XI	14	CCLXVIII	XXV	1-13
CIX	XI	23-24	CCLXXIII	XXV	31-46
CXIII	XI	28-30	CCLXXXIII	XXVI	25
CXV	XII	5-8	CCCIII	XXVI	52-54
CXVIII	XII	15-20	CCCXIX	XXVII	3-10
CXXIV	XII	33-34	CCCXXIV	XXVII	18-19
CXXVI	XII	36-37	CCCXXVII	XXVII	24-25
CXXXVI	XIII	24-30	CCCXLV	XXVII	52-53
CXL	XIII	35-52	CCCLI	XXVII	62-66
CLI	XIV	28-31	CCCLV	XXVIII	9-20

MARCUS.

§§.	CAPUT.	VERS.	§§.	CAPUT.	VERS.
XIX	I	45	XC	IX	14-16
XXXI	III	20-21	XCII	IX	28-29
XLIII	IV	26-29	XCIV	IX	32-33
XLVI	IV	35	CI	IX	44-48
LVIII	VI	16	CIV	X	10
LXII	VI	31-33	CXXIII	XI	19-21
LXX	VII	1-4	CXXXII	XII	32-33
LXXIV	VII	31-37	CLXXXVI	XIV	51-52
LXXXI	VIII	22-26	CCXIII	XV	25
LXXXVIII	IX	10	CCXXXIV	XVI	11

LUCAS.

I	I 1.	II 5	CLXVI	XIII	17
III	II	8-46	CLXXIV	XIII	31-33
V	II	48-52	CLXXVI	XIV	1-4
IX	III	10-15	CLXXVIII	XIV	7-10
XVIII	IV	16-21	CLXXX	XIV	12-15
XX	IV	23	CLXXXIII	XIV	28-32
XXII	IV	25-30	CLXXXVIII	XV	8-9
XXIX	V	1-3	CXC	XV 12.	XVI 12
XXXI	V	8-10	CXCII	XVI	14-15
L	VI	24	CXCVI	XVI	19-31
LI	VI	25-26	CCI	XVII	7-19
LXVII	VII	11-16	CCIII	XVII	22
LXVIII	VII	17-18	CCVIII	XVII	28-30
LXXII	VII	29-30	CCX	XVII	32
LXXV	VIII	1-3	CCXIV	XVIII	1-13
CIV	IX	51-55	CCXXIII	XVIII	34
CVI	IX	61-62	CCXXV	XIX	1-9
CVII	X	1	CCXXVII	XIX	11
CXIII	X	8-9	CCXXXVI	XIX	41-43
CXXII	X	17-20	CCLII	XXI	20
CXXIV	X	29-42	CCLVI	XXI	24
CXXXI	XI	5-8	CCLIX	XXI	34-38
CXLIII	XI	27-28	CCLXIV	XXII	15-16
CXLIX	XI	58-54	CCLXXI	XXII	27-29
CLI	XII	13-21	CCLXXIII	XXII	31
CLIV	XII	32	CCLXXVI	XXII	35-36
CLIX	XII	35-36	CCLXXVIII	XXII	38
CLXIII	XII	47-48	CCLXXXIII	XXII	43-44
CLXIV	XIII	1-5	CCLXXXVIII	XXII	51

LUCAS.

§§.	CAPUT.	VERS.	§§.	CAPUT.	VERS.
CCXCVI	XXII	67-68	CCCXX	XXIII	34
CCXCVIII	XXII	70	CCCXXVI	XXIII	40-43
CCCI	XXIII	2	CCCXXXI	XXIII	48-49
CCCIV	XXIII	5-9	CCCXXXIV	XXIII	54-55
CCCVI	XXIII	11-12	CCCXXXIX	XXIV	10-35
CCCVIII	XXIII	15	CCCXLII	XXIV	44-53
CCCXVI	XXIII	28-31			

JOANNES.

§§.	CAPUT.	VERS.	§§.	CAPUT.	VERS.
IV	I	11-13	LXXX	VII	33
VII	I	16-17	LXXXI	VII	34-39
IX	I	19-22	LXXXIV	VII	43
XI	I	24-25	LXXXVI	VII 45. VIII	18
XIII	I	28-29	LXXXIX	VIII 21. X	14
XVI	I	35-41	XCII	X	17-39
XVIII	I 44. II	11	XCIV	X 41. XI	53
XXII	II	17	XCVII	XI 56. XII	1
XXIV	II 19. III	22	XCIX	XII	9-11
XXVII	III	25-27	CII	XII	16-22
XXIX	III	29-34	CIV	XII	24
XXXI	III 36. IV	2	CVI	XII	26
XXXIII	IV	4-42	CVIII	XII	28-38
XXXVI	IV	45	CX	XII	41-43
XXXIX	V	11-23	CXII	XII 49. XIII	1
XLI	V	25-29	CXV	XIII	4-12
XLIII	V	32-36	CXVIII	XIII	14-15
XLV	V	39-47	CXIX	XIII	18-19
L	VI	14-15	CXXIII	XIII	23-25
LII	VI	22-29	CXXV	XIII	27-36
LIV	VI	31-34	CXXVII	XIV	1-12
LVI	VI	37	CXXX	XIV	22-23
LVIII	VI	40	CXXXII	XIV 26. XV	6
LX	VI	43-45	CXXXIV	XV	8-12
LXII	VI	47-48	CXXXVI	XV	14-16
LXIV	VI	50	CXXXVIII	XV	18-19
LXVI	VI	52-54	CXL	XV	20
LXVIII	VI	56-61	CXLIII	XV	23
LXXI	VI	64	CXLIV	XV	24
LXXIII	VI	66-67	CXLV	XV	25
LXXV	VI 70. VII	27	CXLVII	XVI	5-14
LXXVIII	VII	31	CXLIX	XVI	16-22

JOANNES.

§§.	CAPUT.	VERS.	§§.	CAPUT.	VERS.
CLI	XVI	25-30	CXCV	XIX	15
CLIII	XVI	33	CC	XIX	20-22
CLV	XVII	26	CCII	XIX	25-27
CLVII	XVIII	2	CCV	XIX	31-37
CLIX	XVIII	4-9	CCVII	XIX	39
CLXIII	XVIII	13-14	CCX	XX	2-10
CLXV	XVIII	15	CCXII	XX	13-18
CLXVII	XVIII	16	CCXIV	XX	21
CLXIX	XVIII	18-19	CCXVI	XX	24-25
CLXXI	XVIII	21	CCXVIII	XX	28-31
CLXXIII	XVIII	23	CCXX	XXI	7-8
CLXXVII	XVIII	29-32	CCXXIV	XXI	13
CLXXIX	XVIII	34-36	CCXXVI	XXI	15
CLXXXI	XIX	37	CCXXVIII	XXI	16
CLXXXIX	XIX	6	CCXXX	XXI	17
CXCI	XIX	7	CCXXXII	XXI	18-25
CXCIII	XIX	10-13			

ANNOTATIO I.

EXEMPLAR NOVI TESTAMENTI JUXTA SECTIONES EUSEBIANAS.

MATTHÆI, Caput V.

XXIV / X / —
1. Videns autem Jesus turbas, ascendit in montem, et cum sedisset accesserunt ad eum discipuli ejus,

XXV / V / —
2. Et aperiens os suum docebat eos dicens :

XXVI / V / —
3. Beati pauperes spiritu, quoniam ipsosum est regnum Cœlorum.

XXVII
4. Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram.

X / —
5. Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur.

XXVIII / V / —
6. Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur, etc.

In quibus videre est numerum superiorem sectiones Eusebianas, numerum vero inferiorem canones indicantem; qui quidem posterior rubro colore notabatur, cujus loco brevem lineam subscripsimus.

ANNOTATIO II.

CANONUM ET SECTIONUM EUSEBIANARUM CUM CAPITIBUS ET VERSIBUS VULGATÆ EDITIONIS ACCURATA COLLATIO.

S. MATTHÆUS.

SECTIONES.	CAPUT.	VERS.	CAN.	SECTIONES.	CAPUT.	VERS.	CAN.
I	I	1-15	III	XXXVIII	V	39-40	V
II	I	16-17	X	XXXIX	V	41-43	X
III	I	18	V	XL	V	44-45	V
IV	I	19-25	X	XLI	V	46-48	V
V	II	1-6	VII	XLII	VI	1-6	X
VI	II	7-23	X	XLIII	VI	7-13	V
VII	III	1-2	III	XLIV	VI	14-15	VI
VIII	III	3	I	XLV	VI	16-18	X
IX	III	4-6	VI	XLVI	VI	19-21	V
X	III	7-10	V	XLVII	VI	22-23	X
XI	III	11	I	XLVIII	VI	24	V
XII	III	12	V	XLIX	VI	25-34	V
XIII	III	13-15	X	L	VII	1-2	II
XIV	III	16-17	I	LI	VII	3-5	V
XV	IV	1	II	LII	VII	6	X
XVI	IV	2-10	V	LIII	VII	8-11	V
XVII	IV	11	VI	LIV	VII	12	V
XVIII	IV	12	IV	LV	VII	13-14	V
XIX	IV	13	VII	LVI	VII	15	X
XX	IV	17-18	VI	LVII	VII	16	V
XXI	IV	19-20	II	LVIII	VII	17-20	V
XXII	IV	21-22	VI	LIX	VII	21	III
XXIII	IV	23-25	I	LX	VII	22-23	V
XXIV	V	1	X	LXI	VII	24-27	V
XXV	V	* 1-2	V	LXII	VII	28-29	II
XXVI	V	3	V	LXIII	VIII	1-4	II
XXVII	V	4-5	X	LXIV	VIII	5-10	III
XXVIII	V	6	V	LXV	VIII	11-12	V
XXIX	V	7-10	X	LXVI	VIII	13	V
XXX	V	11-12	V	LXVII	VIII	14-18	II
XXXI	V	13	II	LXVIII	VIII	19-22	V
XXXII	V	14-16	II	LXIX	VIII	23-34	II
XXXIII	V	17	X	LXX	IX	1-8	I
XXXIV	V	18	V	LXXI	IX	9	II
XXXV	V	19-24	X	LXXII	IX	10 11	II
XXXVI	V	25-26	V	LXXIII	IX	12-17	II
XXXVII	V	27-38	V	LXXIV	IX	18-26	II

S. MATTHÆUS.

SECTIONES.	CAPUT.	VERS.	CAN.	SECTIONES.	CAPUT.	VERS.	CAN.
LXXV	IX	27-34	X	CXVII	XII	14	IV
LXXVI	IX	35	II	CXVIII	XII	15-20	X
LXXVII	IX	36	VI	CXIX	XII	21-22	V
LXXVIII	IX	37-38	V	CXX	XII	23	VII
LXXIX	X	1	II	CXXI	XII	24	II
LXXX	X	2-4	II	CXXII	XII	25-30	II
LXXXI	X	5-8	X	CXXIII	XII	31-32	II
LXXXII	X	9-10	II	CXXIV	XII	33-34	X
LXXXIII	X	11	II	CXXV	XII	35	V
LXXXIV	X	12-13	V	CXXVI	XII	36-37	X
LXXXV	X	14-15	II	CXXVII	XII	38	V
LXXXVI	X	16	V	CXXVIII	XII	39-42	V
LXXXVII	X	17-18	I	CXXIX	XII	43-45	V
LXXXVIII	X	19-21	II	CXXX	XII	46-50	II
LXXXIX	X	23	X	CXXXI	XIII	1-11	II
XC	X	24	III	CXXXII	XIII	12	V
XCI	X	25	X	CXXXIII	XIII	13-15	I
XCII	X	26	II	CXXXIV	XIII	16-18	V
XCIII	X	27-31	V	CXXXV	XIII	19-23	II
XCIV	X	32-33	II	CXXXVI	XIII	24-30	X
XCV	X	34-36	V	CXXXVII	XIII	31-32	II
XCVI	X	37-38	V	CXXXVIII	XIII	33	V
XCVII	X	39	III	CXXXIX	XIII	34	VI
XCVIII	X	40	I	CXL	XIII	35-52	X
XCIX	X	41	X	CXLI	XIII	53-56	I
C	X	42	VI	CXLII	XIII	57-58	I
CI	XI	1	X	CXLIII	XIV	1-2	II
CII	XI	2-9	V	CXLIV	XIV	3-5	II
CIII	XI	10	II	CXLV	XIV	6-12	VI
CIV	XI	11	V	CXLVI	XIV	13-14	III
CV	XI	12-13	V	CXLVII	XIV	15-21	I
CVI	XI	14	X	CXLVIII	XIV	22	VI
CVII	XI	15-19	V	CXLIX	XIV	23	II
CVIII	XI	20-22	V	CL	XIV	24-27	IV
CIX	XI	23-24	X	CLI	XIV	28-31	X
CX	XI	25-26	V	CLII	XIV	32-34	VI
CXI	XI	* 27	III	CLIII	XIV	35-36	II
CXII	XI	* 27	III	CLIV	XV	1-11	VI
CXIII	XI	28-30	X	CLV	XV	12-13	X
CXIV	XII	1-4	II	CLVI	XV	14	V
CXV	XII	5-8	X	CLVII	XV	15-23	VI
CXVI	XII	9-13	II	CLVIII	XV	24	V

S. MATTHÆUS.

SECTIONES.	CAPUT.	VERS.	CAN.	SECTIONES.	CAPUT.	VERS.	CAN.
CLIX	XV	25-31	VI	CCI	XX	17-19	II
CLX	XV	32-39	VI	CCII	XX	20-23	VI
CLXI	XVI	1	IV	CCIII	XX	24-27	II
CLXII	XVI	2-3	V	CCIV	XX	28	IV
CLXIII	XVI	4	VI	CCV	XX	29-34	II
CLXIV	XVI	5-6	II	CCVI	XXI	1-3	II
CLXV	XVI	7-12	VI	CCVII	XXI	4-5	VII
CLXVI	XVI	13-16	I	CCVIII	XXI	6-8	II
CLXVII	XVI	17-19	X	CCIX	XXI	9	I
CLXVIII	XVI	20-21	II	CCX	XXI	10-11	X
CLXIX	XVI	22-23	VI	CCXI	XXI	12-13	I
CLXX	XVI	24-26	II	CCXII	XXI	14	X
CLXXI	XVI	27	X	CCXIII	XXI	15-16	V
CLXXII	XVI 28. XVII 9		II	CCXIV	XXI	17-20	VI
CLXXIII	XVII	10-13	VI	CCXV	XXI	21	VI
CLXXIV	XVII	14-18	II	CCXVI	XXI	22	IV
CLXXV	XVII	19-21	V	CCXVII	XXI	23-27	II
CLXXVI	XVII	22-23	II	CCXVIII	XXI	28-32	X
CLXXVII	XVII	24-27	X	CCXIX	XXI	33-44	II
CLXXVIII	XVIII	1-5	II	CCXX	XXI	45-46	I
CLXXIX	XVIII	6-7	II	CCXXI	XXII	1-10	V
CLXXX	XVIII	8-9	VI	CCXXII	XXII	11-14	X
CLXXXI	XVIII	10	X	CCXXIII	XXII	15-32	II
CLXXXII	XVIII	11-14	V	CCXXIV	XXII	33-40	VI
CLXXXIII	XVIII	15	V	CCXXV	XXII	41-45	II
CLXXXIV	XVIII	16-17	X	CCXXVI	XXII	46	II
CLXXXV	XVIII	18	VII	CCXXVII	XXIII	1-3	X
CLXXXVI	XVIII	19-20	X	CCXXVIII	XXIII	4	V
CLXXXVII	XVIII	21-22	V	CCXXIX	XXIII	5-7	II
CLXXXVIII	XVIII	23-35	X	CCXXX	XXIII	8-10	X
CLXXXIX	XIX	1-8	VI	CCXXXI	XXIII	11-13	V
CXC	XIX	9	II	CCXXXII	XXIII	14	V
CXCI	XIX	10-12	X	CCXXXIII	XXIII	15-22	X
CXCII	XIX	13-15	II	CCXXXIV	XXIII	23	V
CXCIII	XIX	16-20	II	XCXXXV	XXIII	24	X
CXCIV	XIX	21	II	CCXXXVI	XXIII	25-26	V
CXCV	XIX	22-26	II	CCXXXVII	XXIII	27-28	V
CXCVI	XIX	27	X	CCXXXVIII	XXIII	29-31	V
CXCVII	XIX	28	V	CCXXXIX	XXIII	32-33	X
CXCVIII	XIX	29	II	CCXL	XXIII	34-36	V
CXCIX	XIX	30	II	CCXLI	XXIII	37-39	V
CC	XX	1-16	X	CCXLII	XXIV	1-2	II

S. MATTHÆUS.

SECTIONES.	CAPUT.	VERS.	CAN.	SECTIONES.	CAPUT.	VERS.	CAN.
CCXLIII	XXIV	3-7	II	CCLXXXV	XXVI	27-29	II
CCXLIV	XXIV	8-9	I	CCLXXXVI	XXVI	30	VI
CCXLV	XXIV	10-13	X	CCLXXXVII	XXVI	31	IV
CCXLVI	XXIV	14	VI	CCLXXXVIII	XXVI	32	VI
CCXLVII	XXIV	15	VI	CCLXXXIX	XXVI	33-34	I
CCXLVIII	XXIV	16-18	II	CCXC	XXVI	35	VI
CCXLIX	XXIV	19	II	CCXCI	XXVI	36	I
CCL	XXIV	20	VI	CCXCII	XXVI	37	VI
CCLI	XXIV	21	II	CCXCIII	XXVI	38	IV
CCLII	XXIV	22	VI	CCXCIV	XXVI	* 39	I
CCLIII	XXIV	23	II	CCXCV	XXVI	* 39	I
CCLIV	XXIV	24	VI	CCXCVI	XXVI	40	II
CCLV	XXIV	25-26	V	CCXCVII	XXVI	41	IV
CCLVI	XXIV	27	V	CCXCVIII	XXVI	42-44	VI
CCLVII	XXIV	28	V	CCXCIX	XXVI	45	IV
CCLVIII	XXIV	29	II	CCC	XXVI	46-47	I
CCLIX	XXIV	30-35	II	CCCI	XXVI	48-50	II
CCLX	XXIV	36	VI	CCCII	XXVI	51	I
CCLXI	XXIV	37-39	V	CCCIII	XXVI	52-54	X
CCLXII	XXIV	40-41	V	CCCIV	XXVI	55	I
CCLXIII	XXIV	42	VI	CCCV	XXVI	56	VI
CCLXIV	XXIV	43-44	II	CCCVI	XXVI	57	I
CCLXV	XXIV	45	V	CCCVII	XXVI	58	IV
CCLXVI	XXIV	46-47	V	CCCVIII	XXVI	59-60	II
CCLXVII	XXIV	48-51	V	CCCIX	XXVI	61-63	VI
CCLXVIII	XXV	1-13	X	CCCX	XXVI	64	I
CCLXIX	XXV	14	II	CCCXI	XXVI	65	VI
CCLXX	XXV	15-28	V	CCCXII	XXVI	66	II
CCLXXI	XXV	29	II	CCCXIII	XXVI	67	I
CCLXXII	XXV	30	V	CCCXIV	XXVI	68-70	I
CCLXXIII	XXV	31-46	X	CCCXV	XXVI	71-74	I
CCLXXIV	XXVI	1	I	CCCXVI	XXVI	75	II
CCCXXV	XXVI	3-5	VI	CCCXVII	XXVII	1	II
CCLXXVI	XXVI	6-11	I	CCCXVIII	XXVII	2	I
CCLXXVII	XXVI	12-13	IV	CCCXIX	XXVII	3-10	X
CCLXXVIII	XXVI	14-20	II	CCCXX	XXVII	11	I
CCLXXIX	XXVI	21	IV	CCCXXI	XXVII	12-14	IV
CCLXXX	XXVI	22	I	CCCXXII	XXVII	15	II
CCCXXXI	XXVI	23-24	II	CCCXXIII	XXVII	16-18	IV
CCLXXXII	XXVI	* 24	VI	CCCXXIV	XXVII	19	X
CCLXXXIII	XXVI	25	X	CCCXXV	XXVII	20-21	I
CCLXXXIV	XXVI	26	I	CCCXXVI	XXVII	22-23	I

S. MATTHÆUS.

SECTIONES.	CAPUT.	VERS.	CAN.	SECTIONES.	CAPUT.	VERS.	CAN.
CCCXXVII	XXVII	24-25	X	CCCXLII	XXVII	48-49	II
CCCXXVIII	XXVII	26	I	CCCXLIII	XXVII	50	I
CCCXXIX	XXVII	27-29	IV	CCCXLIV	XXVII	51	II
CCCXXX	XXVII	30-31	VI	CCCXLV	XXVII	52-53	X
CCCXXXI	XXVII	32	I	CCCXLVI	XXVII	54	II
CCCXXXII	XXVII	33	I	CCCXLVII	XXVII	55-56	IV
CCCXXXIII	XXVII	34	IV	CCCXLVIII	XXVII	57-58	I
CCCXXXIV	XXVII	35-36	I	CCCXLIX	XXVII	59-60	I
CCCXXXV	XXVII	37	I	CCCL	XXVII	61	IV
CCCXXXVI	XXVII	38	I	CCCLI	XXVII	62-66	X
CCCXXXVII	XXVII	39-40	IV	CCCLII	XXVIII	1-4	I
CCCXXXVIII	XXVII	41-43	II	CCCLIII	XXVIII	5-7	II
CCCXXXIX	XXVII	44	II	CCCLIV	XXVIII	8	II
CCCXL	XXVII	45	II	CCCLV	XXVIII	9-20	X
CCCXLI	XXVII	46-47	IV				

S. MARCUS.

SECTIONES.	CAPUT.	VERS.	CAN.	SECTIONES.	CAPUT.	VERS.	CAN.
I	I	1-2	II	XXV	II 27.	III 5	II
II	I	3	I	XXVI	III	6	IV
III	I	4-6	VI	XXVII	III	7-10	I
IV	I	7-8	I	XXVIII	III	11-13	VIII
V	I	9-11	I	XXIX	III	14-15	II
VI	I	12	II	XXX	III	16-19	II
VII	I	13	VI	XXXI	III	20-21	X
VIII	I	14	IV	XXXII	III	22	II
IX	I	15-16	VI	XXXIII	III	23-27	II
X	I	17-18	II	XXXIV	III	28-30	II
XI	I	19-20	VI	XXXV	III	31-35	II
XII	I	21	VIII	XXXVI	IV	1-10	II
XIII	I	22	II	XXXVII	IV	11-13	I
XIV	I	23-28	VIII	XXXVIII	IV	14-20	II
XV	I	29-33	II	XXXIX	IV	21	II
XVI	I	34	VIII	XL	IV	22-23	II
XVII	I	35-39	VIII	XLI	IV	24	II
XVIII	I	40-44	VIII	XLII	IV	25	II
XIX	I	45	X	XLIII	IV	26-29	X
XX	II	1-13	I	XLIV	IV	30-32	II
XXI	II	14	II	XLV	IV	33-34	VI
XXII	II	15-16	II	XLVI	IV	35	X
XXIII	II	17-22	II	XLVII	IV 36,	V 17	II
XXIV	II	23-26	II	XLVIII	V	18-20	VIII

S. MARCUS.

SECTIONES.	CAPUT.	VERS.	CAN.	SECTIONES.	CAPUT.	VERS.	CAN.
XLIX	V	21-43	II	XCIII	IX	30-31	II
L	VI	1-3	I	XCIV	IX	32-33	X
LI	VI	4-5	I	XCV	IX	34-36	II
LII	VI	6	II	XCVI	IX	37	I
LIII	VI	7-9	II	XCVII	IX	38-40	VIII
LIV	VI	10	II	XCVIII	IX	41	VI
LV	VI	11-12	II	XCIX	IX	42	II
LVI	VI	13	VIII	C	IX	43	VI
LVII	VI	14-15	II	CI	IX	44-48	X
LVIII	VI	16	V	CII	IX	49-50	II
LIX	VI	17-20	II	CIII	X	1-9	VI
LX	VI	21-29	VI	CIV	X	10	X
LXI	VI	30	VIII	CV	X	11-12	II
LXII	VI	31-33	X	CVI	X	13-16	II
LXIII	VI	34	VI	CVII	X	17-20	II
LXIV	VI	35-44	I	CVIII	X	21	II
LXV	VI	45	VI	CIX	X	22-28	II
LXVI	VI	46	II	CX	X	29-30	II
LXVII	VI	47-50	IV	CXI	X	31	II
LXVIII	VI	51-52	VI	CXII	X	32-34	II
LXIX	VI	53-56	II	CXIII	X	35-40	VI
LXX	VII	1-4	X	CXIV	X	41-44	II
LXXI	VII	5-16	VI	CXV	X	45	IV
LXXII	VII	17-25	VI	CXVI	X	46-52	II
LXXIII	VII	26-30	VI	CXVII	XI	1-3	II
LXXIV	VII	31-35	X	CXVIII	XI	4-8	II
LXXV	VII	36-37	VIII	CXIX	XI	9-10	I
LXXVI	VIII	1-10	VI	CXX	XI	11-14	VI
LXXVII	VIII	11	IV	CXXI	XI	15-17	I
LXXVIII	VIII	12-14	VI	CXXII	XI	18	I
LXXIX	VIII	15	II	CXXIII	XI	19-21	X
LXXX	VIII	16-21	VI	CXXIV	XI	22-23	VI
LXXXI	VIII	22-26	X	CXXV	XI	24	IV
LXXXII	VIII	27-29	I	CXXVI	XI	25-27	VI
LXXXIII	VIII	30-31	II	CXXVII	XI	27-33	II
LXXXIV	VIII	32-33	VI	CXXVIII	XII	1-11	II
LXXXV	VIII	34-37	II	CXXIX	XII	12	I
LXXXVI	VIII	38	II	CXXX	XII	13-27	II
LXXXVII	IX	1-9	II	CXXXI	XII	28-31	VI
LXXXVIII	IX	10	X	CXXXII	XII	32-33	X
LXXXIX	IX	11-13	VI	LXXXIII	XII	34	II
XC	IX	14-16	X	CXXXIV	XII	35-37	II
XCI	IX	17-27	II	CXXXV	XII	38-39	II
XCII	IX	28-29	X	CXXXVI	XII	40-44	VIII

S. MARCUS.

SECTIONES.	CAPUT.	VERS.	CAN.	SECTIONES.	CAPUT.	VERS.	CAN.
CXXXVII	XIII	1-2	II	CLXXXI	XIV	43	I
CXXXVIII	XIII	3-5	II	CLXXXII	XIV	44-46	II
CXXXIX	XIII	6-9	I	CLXXXIII	XIV	47	I
CXL	XIII	10	VI	CLXXXIV	XIV	48	I
CXLI	XIII	11-13	II	CLXXXV	XIV	49-50	VI
CXLII	XIII	14	VI	CLXXXVI	XIV	51-52	X
CXLIII	XIII	15-16	II	CLXXXVII	XIV	53	I
CXLIV	XIII	17	II	CLXXXVIII	XIV	54	IV
CXLV	XIII	18	VI	CLXXXIX	XIV	55	II
CXLVI	XIII	19	II	CXC	XIV	56-61	VI
CXLVII	XIII	20	VI	CXCI	XIV	62	I
CXLVIII	XIII	21	II	CXCII	XIV	63	VI
CXLIX	XIII	22-23	VI	CXCIII	XIV	64	II
CL	XIII	24-25	II	CXCIV	XIV	65	I
CLI	XIII	26-31	II	CXCV	XIV	66-68	I
CLII	XIII	32	VI	CXCVI	XIV	69-71	I
CLIII	XIII	33	VI	CXCVII	XIV	72	II
CLIV	XIII	34	II	CXCVIII	XV	1	II
CLV	XIII	35-37	II	CXCIX	XV	2	I
CLVI	XIV	1	I	CC	XV	3	I
CLVII	XIV	2	VI	CCI	XV	4-5	IV
CLVIII	XIV	3-6	I	CCII	XV	6	II
CLIX	XIV	7-9	IV	CCIII	XV	7-10	IV
CLX	XIV	10-17	II	CCIV	XV	11	I
CLXI	XIV	18	IV	CCV	XV	12-14	I
CLXII	XIV	19	I	CCVI	XV	15	I
CLXIII	XIV	20	II	CCVII	XV	16-19	IV
CLXIV	XIV	21	VI	CCVIII	XV	20	VI
CLXV	XIV	22	I	CCIX	XV	21	I
CLXVI	XIV	23-25	II	CCX	XV	22	I
CLXVII	XIV	26	VI	CCXI	XV	23	IV
CLXVIII	XIV	27	IV	CCXII	XV	24	I
CLXIX	XIV	28	VI	CCXIII	XV	25	X
CLXX	XIV	29-30	I	CCXIV	XV	26	I
CLXXI	XIV	31	VI	CCXV	XV	27	I
CLXXII	XIV	32	I	CCXVI	XV	28	VIII
CLXXIII	XIV	33	VI	CCXVII	XV	29-30	VI
CLXXIV	XIV	34	IV	CCXVIII	XV	31	II
CLXXV	XIV	35	I	CCXIX	XV	32	II
CLXXVI	XIV	36	I	CCXX	XV	33	II
CLXXVII	XIV	37-38	II	CCXXI	XV	34	VI
CLXXVIII	XIV	39	IV	CCXXII	XV	35-36	II
CLXXIX	XIV	40	VI	CCXXIII	XV	37	I
CLXXX	XIV	41-42	IV	CCXXIV	XV	38	II

S. MARCUS.

SECTIONES.	CAPUT.	VERS.	CAN.	SECTIONES.	CAPUT.	VERS.	CAN.
CCXXV	XV	39	II	CCXXXI	XVI	2-5	V
CCXXVI	XV	40-41	VI	CCXXXII	XVI	6-7	II
CCXXVII	XV	42-43	I	CCXXXIII	XVI	8-10	II
CCXXVIII	XV	46	I	CCXXXIV	XVI	11	X
CCXXIX	XV	47	VI	CCXXXV	XVI	12-13	VIII
CCXXX	XVI	1	VIII	CCXXVI	XVI	14-20	VIII

S. LUCAS.

SECTIONES.	CAPUT.	VERS.	CAN.	SECTIONES.	CAPUT.	VERS.	CAN.
I	I 1.	II 5	X	XXXV	V	16	II
II	II	6-7	V	XXXVI	V	17	II
III	II	8-46	X	XXXVII	V	18-26	I
IV	II	47	II	XXXVIII	V	27-28	II
V	II	48-52	X	XXXIX	V	29-30	II
VI	III	1-2	VI	XL	V	31-39	II
VII	III	3-6	I	XLI	VI	1-5	II
VIII	III	7-9	VIII	XLII	VI	6-11	II
IX	III	10-15	X	XLIII	VI	12	II
X	III	16	I	XLIV	VI	13-16	II
XI	III	17-18	V	XLV	VI	17-19	I
XII	III	19-20	II	XLVI	VI	20	V
XIII	III	21-22	I	XLVII	VI	21	V
XIV	III	23-38	IV	XLVIII	VI	* 22	V
XV	IV	1	II	XLIX	VI	* 22-23	V
XVI	IV	2-13	V	L	VI	24	X
XVII	IV	14-15	I	LI	VI	25-26	X
XVIII	IV	16-21	X	LII	VI	27-28	V
XIX	IV	22	I	LIII	VI	29-30	V
XX	IV	23	X	LIV	VI	31	V
XXI	IV	24	I	LV	VI	32-36	V
XXII	IV	25-30	X	LVI	VI	37-38	II
XXIII	IV	31	VIII	LVII	VI	39	V
XXIV	IV	32	II	LVIII	VI	40	III
XXV	IV	33-37	VIII	LIX	VI	41-42	V
XXVI	IV	38-40	II	LX	VI	43	V
XXVII	IV	41	VIII	LXI	VI	44	V
XXVIII	IV	42-44	VIII	LXII	VI	45	V
XXIX	V	1-3	X	LXIII	VI	46	III
XXX	V	4-7	IX	LXIV	VI	47-49	V
XXXI	V	8-10	X	LXV	VII	1-9	III
XXXII	V	11	II	LXVI	VII	* 10	V
XXXIII	V	12-14	II	LXVII	VII	* 10-16	V
XXXIV	V	15	I	LXVIII	VII	17-18	X

S. LUCAS.

SECTIONES.	CAPUT.	VERS.	CAN.	SECTIONES.	CAPUT.	VERS.	CAN.
LXIX	VII	19-26	V	CXIII	X	8-9	X
LXX	VII	27	II	CXIV	X	10-12	II
LXXI	VII	28	II	CXV	X	13-15	V
LXXII	VII	29-30	X	CXVI	X	16	I
LXXIII	VII	31-35	V	CXVII	X	17-20	X
LXXIV	VII	30-50	I	CXVIII	X	21	V
LXXV	VIII	1-3	X	CXIX	X	22	III
LXXVI	VIII	4-9	II	CXX	X	23-24	V
LXXVII	VIII	10-11	I	CXXI	X	25-28	II
LXXVIII	VIII	12-15	II	CXXII	X	29-42	X
LXXIX	VIII	16	II	CXXIII	XI	1-4	V
LXXX	VIII	17	II	CXXIV	XI	5-8	X
LXXXI	VIII	18	V	CXXV	XI	9-13	V
LXXXII	VIII	19-21	II	CXXVI	XI	14	V
LXXXIII	VIII	22-37	II	CXXVII	XI	15	II
LXXXIV	VIII	38-39	VIII	CXXVIII	XI	16	V
LXXXV	VIII	40-56	II	CXXIX	XI	17-23	II
LXXXVI	IX	1-2	II	CXXX	XI	24-26	V
LXXXVII	IX	3-4	II	CXXXI	XI	27-28	X
LXXXVIII	IX	5	II	CXXXII	XI	29-32	V
LXXXIX	IX	6	VIII	CXXXIII	XI	33	II
XC	IX	7-9	II	CXXXIV	XI	34-38	V
XCI	IX	10	VIII	CXXXV	XI	39-41	V
XCII	IX	11	III	CXXXVI	XI	42	V
XCIII	IX	12-17	I	CXXXVII	XI	43	II
XCIV	IX	18-20	I	CXXXVIII	XI	44	V
XCV	IX	21-22	II	CXXXIX	XI	45-46	V
XCVI	IX	23-25	II	CXL	XI	47-48	V
XCVII	IX	26	II	CXLI	XI	49-51	V
XCVIII	IX	27-36	II	CXLII	XI	52	V
XCIX	IX	37-42	II	CXLIII	XI	53-54	X
C	IX	43	VIII	CXLIV	XII	1	II
CI	IX	44-45	II	CXLV	XII	2-8	V
CII	IX	46-48	II	CXLVI	XII	9	II
CIII	IX	49-50	II	CXLVII	XII	10	II
CIV	IX	51-55	X	CXLVIII	XII	11-12	II
CV	IX	56-60	V	CXLIX	XII	13-21	X
CVI	IX	61-62	X	CL	XII	22-31	V
CVII	X	1	X	CLI	XII	32	X
CVIII	X	2	V	CLII	XII	* 33	II
CIX	X	3	V	CLIII	XII	* 33-34	V
CX	X	4	II	CLIV	XII	35-36	X
CXI	X	5-6	V	CLV	XII	37-38	V
CXII	X	7	II	CLVI	XII	39-41	II

S. LUCAS.

SECTIONES.	CAPUT.	VERS.	CAN.	SECTIONES.	CAPUT.	VERS.	CAN.
CLVII	XII	42-44	X	CCI	XVII	7-19	X
CLVIII	XII	45-46	V	CCII	XVII	20-21	V
CLIX	XII	47-48	X	CCIII	XVII	22	X
CLX	XII	49-53	V	CCIV	XVII	23	II
CLXI	XII	54-57	V	CCV	XVII	24	V
CLXII	XII	58-59	V	CCVI	XVII	25	II
CLXIII	XIII	1-5	X	CCVII	XVII	26-27	V
CLXIV	XIII	6-8	X	CCVIII	XVII	28-30	X
CLXV	XIII	9-16	II	CCIX	XVII	31	II
CLXVI	XIII	17	X	CCX	XVII	32	X
CLXVII	XIII	18-19	II	CCXI	XVII	33	III
CLXVIII	XIII	20-21	V	CCXII	XVII	34-35	V
CLXIX	XIII	22	II	CCXIII	XVII	36	V
CLXX	XIII	23-24	V	CCXIV	XVIII	1-13	X
CLXXI	XIII	25-27	V	CCXV	XVIII	14	X
CLXXII	XIII	28-29	V	CCXVI	XVIII	15-16	II
CLXXIII	XIII	30	II	CCXVII	XVIII	17	II
CLXXIV	XIII	31-33	X	CCXVIII	XVIII	18-21	II
CLXXV	XIII	34-35	V	CCXIX	XVIII	22	II
CLXXVI	XIV	1-4	X	CCXX	XVIII	23-28	II
CLXXVII	XIV	5-6	II	CCXXI	XVIII	29-30	II
CLXXVIII	XIV	7-10	X	CCXXII	XVIII	31 33	II
CLXXIX	XIV	11	V	CCXXIII	XVIII	34	X
CLXXX	XIV	12-15	X	CCXXIV	XVIII	35-43	II
CLXXXI	XIV	16-24	V	CCXXV	XIX	1-9	X
CLXXXII	XIV	25-27	V	CCXXVI	XIX	10	V
CLXXXIII	XIV	28-32	X	CCXXVII	XIX	11	X
CLXXXIV	XIV	33	V	CCXXVIII	XIX	12	II
CLXXXV	XIV	34-35	II	CCXXIX	XIX	13-25	V
CLXXXVI	XV	1-3	II	CCXXX	XIX	26	II
CLXXXVII	XV	4-7	V	CCXXXI	XIX	27	V
CLXXXVIII	XV	8-9	X	CCXXXII	XIX	28-31	II
CLXXXIX	XV	10-11	V	CCXXXIII	XIX	32-35	II
CXC	XV 12.	XVI 12	X	CCXXXIV	XIX	36-38	I
CXCI	XVI	13	V	XCXXXV	XIX	39-40	X
CXCII	XVI	14-15	X	CCXXXVI	XIX	41-43	X
CXCIII	XVI	16	V	CCXXXVII	XIX	44	II
CXCIV	XVI	17	V	CCXXXVIII	XIX	45-46	I
CXCV	XVI	18	II	CCXXXIX	XIX	47-48	I
CXCVI	XVI	19-31	X	CCXL	XX	1-8	II
CXCVII	XVII	1-2	II	CCXLI	XX	9-18	II
CXCVIII	XVII	3	V	CCXLII	XX	19	I
CXCIX	XVII	4	V	CCXLIII	XX	20-40	II
CC	XVII	5-6	V	CCXLIV	XX	41	II

S. LUCAS.

SECTIONES.	CAPUT.	VERS.	CAN.	SECTIONES.	CAPUT.	VERS.	CAN.
CCXLV	XX	42-44	II	CCLXXXIX	XXII	52-53	I
CCXLVI	XX	45-46	II	CCXC	XXII	54	I
CCXLVII	XX 47	XXI 4	VIII	CCXCI	XXII	55-57	I
CCXLVIII	XXI	5-6	II	CCXCII	XXII	58-59	I
CCXLIX	XXI	7-11	II	CCXCIII	XXII	61	II
CCL	XXI	12-13	I	CCXCIV	XXII	62-65	I
CCLI	XXI	14-19	II	CCXCV	XXII	66	II
CCLII	XXI	20	X	CCXCVI	XXII	67-68	X
CCLIII	XXI	21-22	II	CCXCVII	XXII	69	I
CCLIV	XXI	* 23	II	CCXCVIII	XXII	70	X
CCLV	XXI	* 23	II	CCXCIX	XXII	71	II
CCLVI	XXI	24	V	CCC	XXIII	1	I
CCLVII	XXI	25-26	II	CCCI	XXIII	2	X
CCLVIII	XXI	27-33	II	CCCII	XXIII	3	I
CCLIX	XXI	34-38	II	CCCIII	XXIII	4	IX
CCLX	XXII	1	I	CCCIV	XXIII	5-9	X
CCLXI	XXII	2	I	CCCV	XXIII	10	II
CCLXII	XXII	3	IX	CCCVI	XXIII	11-12	X
CCLXIII	XXII	4-14	II	CCCVII	XXIII	13-14	IX
CCLXIV	XXII	15-16	X	CCCVIII	XXIII	15-16	X
CCLXV	XXII	17-18	II	CCCIX	XXIII	17	II
CCLXVI	XXII	19	I	CCCX	XXIII	18-19	I
CCLXVII	XXII	20	II	CCCXI	XXIII	20-21	I
CCLXVIII	XXII	21-22	II	CCCXII	XXIII	22	IX
CCLXIX	XXII	23	I	CCCXIII	XXIII	23	I
CCLXX	XXII	24-26	II	CCCXIV	XXIII	24-25	I
CCLXXI	XXII	27-29	X	CCCXV	XXIII	26-27	I
CCLXXII	XXII	30	X	CCCXVI	XXIII	28-31	X
CCLXXIII	XXII	31	X	CCCXVII	XXIII	32	I
CCLXXIV	XXII	32	IX	CCCXVIII	XXIII	* 33	I
CCCXXV	XXII	33-34	I	CCCXIX	XXIII	* 33	I
CCLXXVI	XXII	35-36	X	CCCXX	XXIII	34	X
CCLXXVII	XXII	37	VIII	CCCXXI	XXIII	* 35	I
CCLXXVIII	XXII	38	X	CCCXXII	XXIII	* 35	II
CCLXXIX	XXII	39	I	CCCXXIII	XXIII	36-37	II
CCLXXX	XXII	40	II	CCCXXIV	XXIII	38	I
CCCXXXI	XXII	41	I	CCCXXV	XXIII	39	II
CCLXXXII	XXII	42	I	CCCXXVI	XXIII	40-43	X
CCLXXXIII	XXII	43-44	X	CCCXXVII	XXIII	44-45	II
CCLXXXIV	XXII	45-46	II	CCCXXVIII	XXIII	* 46	II
CCLXXXV	XXII	47	I	CCCXXIX	XXIII	* 46	I
CCLXXXVI	XXII	48	II	CCCXXX	XXIII	47	II
CCLXXXVII	XXII	49-50	I	CCCXXXI	XXIII	48-49	X
CCLXXXVIII	XXII	51	X	CCCXXXII	XXIII	50-51	I

S. LUCAS.

SECTIONES.	CAPUT.	VERS.	CAN.	SECTIONES.	CAPUT.	VERS.	CAN.
CCCXXXIII	XXIII	52-53	I	CCCXXXVIII	XXIV	8-9	II
CCCXXXIV	XXIII	54-55	X	CCCXXXIX	XXIV	10-35	VIII
CCCXXXV	XXIII	56	VIII	CCCXL	XXIV	36-40	IX
CCCXXXVI	XXIV	1-4	II	CCCXLI	XXIV	41-43	IX
CCCXXXVII	XXIV	5-7	II	CCCXLII	XXIV	44-53	X

S. JOANNES.

SECTIONES.	CAPUT.	VERS.	CAN.	SECTIONES.	CAPUT.	VERS.	CAN.
I	I	1-5	III	XXXVI	IV	45	X
II	I	6-9	III	XXXVII	IV	46-54	III
III	I	10	III	XXXVIII	V	1-10	I
IV	I	11-13	X	XXXIX	V	11-23	X
V	I	14	III	XL	V	24	I
VI	I	15	I	XLI	V	25-29	X
VII	I	16-17	X	XLII	V	30-31	I
VIII	I	18	III	XLIII	V	32-36	X
IX	I	19-22	X	XLIV	V	37-38	III
X	I	23	I	XLV	V	39-47	X
XI	I	24-25	X	XLVI	VI	1-2	I
XII	I	26-27	I	XLVII	VI	3	III
XIII	I	28-29	X	XLVIII	VI	4	I
XIV	I	30-31	I	XLIX	VI	5-13	I
XV	I	32-34	I	L	VI	14-15	X
XVI	I	35-41	X	LI	VI	16-21	IV
XVII	I	42-43	I	LII	VI	22-29	X
XVIII	I 44. II	11	X	LIII	VI	30	IV
XIX	II	12	VII	LIV	VI	31-34	X
XX	II	13	I	LV	VI	35-36	I
XXI	II	14-16	I	LVI	VI	37	X
XXII	II	17	X	LVII	VI	38-39	I
XXIII	II	18	IV	LVIII	VI	40	X
XXIV	II 19. III	22	I	LIX	VI	41-42	I
XXV	III	23	III	LX	VI	43-45	X
XXVI	III	24	IV	LXI	VI	46	III
XXVII	III	25-27	X	LXII	VI	47-48	X
XXVIII	III	28	I	LXIII	VI	49	I
XXIX	III	29-34	X	LXIV	VI	50	X
XXX	III	35	III	LXV	VI	51	I
XXXI	III 36. IV	2	X	LXVI	VI	52-54	X
XXXII	IV	3	VII	LXVII	VI	55	I
XXXIII	IV	4-42	X	LXVIII	VI	56-61	X
XXXIV	IV	43	VII	LXIX	VI	62	I
XXXV	IV	44	I	LXX	VI	63	IV

S. JOANNES.

SECTIONES.	CAPUT.	VERS.	CAN.	SECTIONES.	CAPUT.	VERS.	CAN.
LXXI	VI	64	I	CXIV	XIII	3	III
LXXII	VI	65	IV	CXV	XIII	4-12	X
LXXIII	VI	66-67	X	CXVI	XIII	13	III
LXXIV	VI	68-69	I	CXVII	XIII	14-15	X
LXXV	VI 70. VII	27	X	CXVIII	XIII	16-17	III
LXXVI	VII	28-29	III	CXIX	XIII	18-19	X
LXXVII	VII	30	I	CXX	XIII	20	I
LXXVIII	VII	31	X	CXXI	XIII	21	IV
LXXIX	VII	32	I	CXXII	XIII	22	I
LXXX	VII	33	X	CXXIII	XIII	23-25	X
LXXXI	VII	34-39	X	CXXIV	XIII	26	IX
LXXXII	VII	40	VII	CXXV	XIII	27-36	X
LXXXIII	VII	41-42	VII	CXXVI	XIII	37-38	I
LXXXIV	VII	43	X	CXXVII	XIV	1-12	X
LXXXV	VII	44	IV	CXXVIII	XIV	13-20	IV
LXXXVI	VII 45. VIII	18	X	CXXIX	XIV	21	I
LXXXVII	VIII	19	III	CXXX	XIV	22-23	X
LXXXVIII	VIII	20	I	CXXXI	XIV	24-25	I
LXXXIX	VIII 21. X	14	X	CXXXII	XIV 26. XV	6	X
XC	X	15	III	CXXXIII	XV	7	IV
XCI	X	16	IV	CXXXIV	XV	8-12	X
XCII	X	17-39	X	CXXXV	XV	13	IV
XCIII	X	40	IV	CXXXVI	XV	14-16	X
XCIV	X 41. XI	53	X	CXXXVII	XV	17	IV
XCV	XI	54	IV	CXXXVIII	XV	18-19	X
XCVI	XI	55	I	CXXXIX	XV	* 20	IV
XCVII	XI 56. XII	1	X	CXL	XV	* 20	X
XCVIII	XII	2-8	I	CXLI	XV	21	I
XCIX	XII	9-11	X	CXLII	XV	22	III
C	XII	12-13	I	CXLIII	XV	23	X
CI	XII	14-15	VII	CXLIV	XV	24	X
CII	XII	16-22	X	CXLV	XV	25-27	X
CIII	XII	23	IV	CXLVI	XVI	1-4	I
CIV	XII	24	X	CXLVII	XVI	5-14	X
CV	XII	25	III	CXLVIII	XVI	15	III
CVI	XII	26	X	CXLIX	XVI	16-22	X
CVII	XII	27	IV	CL	XVI	23-24	IV
CVIII	XII	28-38	X	CLI	XVI	25-30	X
CIX	XII	39-40	I	CLII	XVI	31-32	IV
CX	XII	41-43	X	CLIII	XVI 33. XVII	24	X
CXI	XII	44-45	I	CLIV	XVII	25	III
CXII	XII 46. XIII	1	X	CLV	XVII	26	X
CXIII	XIII	2	IX	CLVI	XVIII	1	I

S. JOANNES.

SECTIONES.	CAPUT.	VERS.	CAN.	SECTIONES.	CAPUT.	VERS.	CAN.
CLVII	XVIII	2	I	CXCV	XIX	15	X
CLVIII	XVIII	3	I	CXCVI	XIX	16	I
CLIX	XVIII	4-9	X	CXCVII	XIX	17	I
CLX	XVIII	10	I	CXCVIII	XIX	18	I
CLXI	XVIII	11	I	CXCIX	XIX	19	I
CLXII	XVIII	12	I	CC	XIX	20-22	X
CLXIII	XVIII	13-14	X	CCI	XIX	23-24	I
CLXIV	XVIII	* 15	IV	CCII	XIX	25-27	X
CLXV	XVIII	* 15	X	CCIII	XIX	28-29	IV
CLXVI	XVIII	* 16	I	CCIV	XIX	30	I
CLXVII	XVIII	* 16	X	CCV	XIX	31-37	X
CLXVIII	XVIII	17	I	CCVI	XIX	38	I
CLXIX	XVIII	18-19	X	CCVII	XIX	39	X
CLXX	XVIII	20	I	CCVIII	XIX	40-42	I
CLXXI	XVIII	21	X	CCIX	XX	1	I
CLXXII	XVIII	22	I	CCX	XX	2-10	X
CLXXIII	XVIII	23	X	CCXI	XX	11-12	I
CLXXIV	XVIII	24	I	CCXII	XX	13-18	X
CLXXV	XVIII	25-27	I	CCXIII	XX	19-20	IX
CLXXVI	XVIII	28	I	CCXIV	XX	21	X
CLXXVII	XVIII	29-32	X	CCXV	XX	22-23	VII
CLXXVIII	XVIII	33	I	CCXVI	XX	24-25	X
CLXXIX	XVIII	34-36	X	CCXVII	XX	26-27	IX
CLXXX	XVIII	* 37	IV	CCXVIII	XX	28-31	X
CLXXXI	XVIII	* 37	X	CCXIX	XXI	1-6	IX
CLXXXII	XVIII	38	IX	CCXX	XXI	7-8	X
CLXXXIII	XVIII	39	IV	CCXXI	XXI	9-10	IX
CLXXXIV	XVIII	40	I	CCXXII	XXI	11	IX
CLXXXV	XIX	1-3	IV	CCXXIII	XXI	12	IX
CLXXXVI	XIX	4	IX	CCXXIV	XXI	13	X
CLXXXVII	XIX	5	IV	CCXXV	XXI	14	IX
CLXXXVIII	XIX	* 6	I	CCXXVI	XXI	* 15	X
CLXXXIX	XIX	* 6	X	CCXXVII	XXI	* 15	IX
CXC	XIX	* 7	IX	CCXXVIII	XXI	* 16	X
CXCI	XIX	* 7	X	CCXXIX	XXI	* 16	IX
CXCII	XIX	8-9	IV	CCXXX	XXI	* 17	X
CXCIII	XIX	10-13	X	CCXXXI	XXI	* 17	IX
CXCIV	XIX	14	I	CCXXXII	XXI	18-25	X

EUSEBII PAMPHILI

CÆSARIENSIS EPISCOPI

ORATIO IN DEDICATIONE

ECCLESIÆ TYRI [1].

Amici et sacerdotes Dei, qui sacra tunica talari induti, et cœlesti gloriæ corona decorati, divinaque unctione delibuti, et sacerdotali sancti Spiritus veste amicti estis; tuque, ô novi ac sancti Dei templi decus eximium; qui senili quidem prudentia a Deo decoratus es, juvenilis autem ac vividæ virtutis præclara facinora edidisti; cui ipse universum mundum continens Deus, hanc in terris domum Christo unico ac primogenito suo Verbo, sanctæque ac divinæ ejus Sponsæ construere ac renovare, eximia quadam prærogativa concessit; seu quis te novum Beseleelem divini architectum tabernaculi vocare voluerit; seu Salomonem, novæ ac multo præstantioris Hierusalem regem; seu denique novum Zorobabel; quippe qui templo Dei longe majorem quam antea splendorem adjeceris. Vos quoque, o grex Christi sacer; optimorum sermonum domicilium; modestiæ schola; grave ac religiosum pietatis auditorium: jamdudum quidem nos qui stupenda Dei prodigia, et admirabilem Domini erga homines beneficentiam ex divinis sacræ

[1] Heusebius, Hist. eccles. lib. x, c. 4.

Scripturæ lectionibus frequenter audiebamus, hymnos et cantica in Dei laudem concinere assuefacti, his verbis uti poteramus : « Deus auribus nostris audivimus : patres nostri » annuntiaverunt nobis opus quod operatus es in diebus eo- » rum, in diebus antiquis.[1] » Nunc vero cum non auditu solo, nec verbis ac fama tenus, Dei optimi maximi regis nostri brachium excelsum et cœlestem dextram percipiamus; sed reipsa nostrisque, ut ita dicam, oculis, eorum quæ olim scriptis prodita sunt fidem ac veritatem cernamus, alterum nobis triumphalem hymnum canere atque in hæc verba diserte exclamare licet. « Sicut audivimus sic et vidimus, » in civitate Domini virtutum, in civitate Dei nostri[2]. » Quænam vero illa civitas est, nisi hæc recens structa et a Deo condita; Ecclesia scilicet Dei vivi, columna et firmamentum veritatis. De qua et aliud quoddam Dei oraculum ita pronuntiat. « Gloriosa dicta sunt de te civitas Dei[3]. » In quam cum Deus optimus maximus gratia ac beneficio unigeniti Filii sui nos congregaverit, unusquisque eorum qui convocati sunt canat atque exclamet his verbis : « Lætatus » sum in his quæ dicta sunt mihi, in domum Domini ibi- » mus[4]. » Et rursus : « Domine dilexi decorem domus tuæ, et » locum habitationis gloriæ tuæ[5]. » Nec solum unusquisque, sed simul omnes uno spiritu unoque animorum consensu venerabundi acclamemus in hunc modum : « Magnus Do- » minus et laudabilis nimis, in civitate Dei nostri, in monte » sancto ejus[6]. » Nam et ipse vere magnus est, et magna domus ejus; sublimis, ampla et speciosa præ filiis hominum. Magnus Dominus qui facit mirabilia solus : magnus qui facit magna et quæ investigari non possunt, et gloriosa ac stupenda, quorum non est numerus. Magnus qui commutat momenta ac tempora; qui reges exauctorat atque

[1] Psal. XLIII, 2. — [2] Id. XLVII, 9. — [3] Id. LXXXVI, 3. — [4] Id. CXXI, 1. — [5] Id. XXV, 8. — [6] Id., XLVII, 2.

constituit: « Suscitans a terra inopem, et de stercore eri-
» gens pauperem [1]. » Deturbavit potentes ex solio, et a terra exaltavit humiles: esurientes implevit bonis, et brachia superborum contrivit. Atque ita non solum apud fideles, verum etiam apud infideles, earum rerum quæ olim gestæ dicuntur fidem confirmavit. Vere miraculorum opifex, magnorum operum perpetrator, universorum Dominus, totius mundi conditor, omnipotens, optimus maximus, unus ac solus Deus. Cui novum canticum canamus; obedientes ei qui « facit mirabilia solus, quoniam in sæculum miseri-
» cordia ejus: qui percussit reges magnos, et occidit reges
» fortes, quoniam in sæculum misericordia ejus: quia in
» humilitate nostra Dominus memor fuit nostri, et redemit
» nos ab inimicis nostris [2]. » Ac Deum quidem omnium patrem his laudibus celebrare nunquam cessemus. Illum vero qui secundus auctor bonorum nobis exstitit; qui nos ad Dei notitiam informavit veramque religionem edocuit; qui impios destruxit et tyrannos occidit; qui sæculi mores correxit: qui nos denique cum deplorati essemus servavit; Jesum scilicet pariter venerantes in ore semper habeamus. Solus enim ille et unicus, utpote optimi maximi patris optimus maximus Filius, cum paternæ clementiæ obsecutus, naturam nostram, qui in altissimo corruptionis gurgite jacebamus, libentissime induisset; velut præstantissimus quidam medicus ægrorum saluti consulens, morbum inspexit; tetra atque horrida ulcera contrectavit; et ex alienis calamitatibus sibi ipsi proprium dolorem paravit: nosque non modo ægrotantes, et gravissimis ac putridis ulceribus oppressos, sed vita penitus destitutos ipse per se ex profundo mortis barathro eripuit ac servavit. Nulli quippe alteri cœlestium potestatum tantum roboris suppetebat, ut tot hominum salutem sine ulla noxa administrare posset.

[1] Ps. CXII, 7. — [2] Id. CXXXV, 4, 17, 18.

Sed ipse solus cum miserrimam corruptionem nostram attigisset, «et labores doloresque nostros solus tolerasset, et »pœnam impietatum nostrarum solus in se suscepisset[1];» nos non jam semivivos, verum in monumentis ac sepulcris fœtidos gravemque odorem spirantes restituit; et prolixa erga nos benevolentia nunc et olim præter omnium nostrum spem atque expectationem servat, Patrisque sui nobis felicitatem liberaliter impertit. Ille vitæ, ille lucis auctor; ille magnus medicus; ille rex ac Dominus noster; ille denique Christus Dei. Et tunc quidem cum universum genus humanum fraudibus detestandorum dæmonum et malignis Deo invisorum spirituum operationibus, in obscura nocte ac densissimis tenebris demersum jaceret, semel ipse suam duntaxat præsentiam exhibens, lucis suæ radiis multiplices impietatum nostrarum nexus instar ceræ liquefactos dissolvit. Nunc vero cum ob tantam gratiam tantumque beneficium, invidus dæmon improbitatis fautor et virtutis omnis inimicus tantumnon disrumperetur, omnesque suas letiferas copias adversus nos concitaret; ac principio quidem instar rabidi canis qui projectos in se lapides dentibus appetit, et furorem quo adversus jacientes ipsos accenditur, in tela anima carentia effundit, in oratoriorum saxa et in materiam ædificiorum sensus omnis expertem belluinam rabiem convertisset, et vastitatem ut ipse quidem rebatur intulisset Ecclesiis: postmodum vero dira sibila ac serpentinas voces nunc per terribiles impiorum tyrannorum minas, nunc per impia scelestorum Præsidum decreta emitteret, et mortis suæ virus insuper effunderet, et pestifero ac letali veneno animas a se captas inficeret, easque per mortifera mortuorum simulacrorum sacrificia traheret ad mortem; cum denique cunctos qui sub hominum forma belluinam crudelitatem tegebant, et

[1] Isa., LIII, 4 et 5.

ingenio fero atque immani præditi erant, adversus nos commoveret: rursus ille magni consilii Angelus, magnus Magister militum Dei, post idoneam exercitationem ac peritiam, quam fortissimi regni ipsius milites durissima quæque constanter sustinendo declaraverant; repente apparens, cunctos quidem inimicos hostesque delevit et ad nihilum redegit, adeo ut ne nominati quidem unquam fuisse videantur. Amicos vero et familiares suos, apud omnes non mortales modo verum etiam cœlestes potestates, solem quoque, lunam ac reliqua sidera, cœlumque ac mundum universum, supra omnem gloriam evexit. Adeo ut, quod nunquam antea contigerat, summi Imperatores honoris illius quem Dei beneficio acceperunt sibi conscii, jam in mortuorum simulacrorum faciem conspuant, et profanos dæmonum ritus conculcent, ac vetustum errorem a majoribus traditum irrideant: unum vero ac solum Deum cum erga omnes tum in seipsos maxime beneficum agnoscant; et Christum Dei Filium universorum regem esse profiteantur; eum Servatorem in edictis suis prædicent: ejusque res præclare gestas et victorias de impiis partas, in media urbe quæ omnium toto orbe civitatum regina est, regalibus apicibus ad perpetuam posteritatis memoriam prescribant. Adeo ut Servator noster Jesus Christus, solus ex omnibus qui ab omni ævo unquam exstiterunt, ab ipsis orbis terrarum summis principibus non ut rex vulgaris ex hominibus factus prædicetur, sed tanquam summi omnium Dei naturalis Filius, ac per se Deus adoretur: atque id jure merito. Quis enim ex omnibus qui unquam fuerunt regibus, ad tantum virtutis ac potentiæ culmen evectus est, ut omnium mortalium aures atque linguas appellatione sui nominis impleret? Quis ex regibus leges adeo pias ac modestas constituit, utque ab ultimis oris ad extremos usque terrarum fines cunctis hominibus audientibus perpe-

tuo legerentur, obtinuit? Quis ferarum gentium immites et barbaros mores mitissimis atque humanissimis legibus abrogavit? Quis tot sæculum spatio ab omnibusimpugnatus virtutem humana majorem ostendit, adeo ut in dies efflorescat, omnique subinde ævo adolescere videatur? Quis gentem quæ ne auditu quidem antehac cognita fuerat, non in obscuro aliquo terræ angulo, sed per omnem qui sub cœlo est terrarum ambitum constituit? Quis milites suos pietatis armis ita munivit, ut in concertationibus adversus hostes, quovis adamante firmiores animos ostenderent? Quis unquam rex usque adeo post obitum viribus valuit, exercitus duxit; tropæa adversus hostes erexit; omnia denique loca, regiones, urbes tum apud Græcos tum apud Barbaros, regalibus suis palatiis, et divinorum templorum fabricis consecratis implevit? Cujusmodi sunt hæc templi hujus pulcherrima ornamenta atque donaria. Quæ ipsa quidem per se augusta profecto sunt ac magnifica, et stupore atque admiratione digna; quippe quæ regni Servatoris nostri illustre specimen exhibeant. « Si » quidem nunc quoque ipse dixit et facta sunt; ipse man» davit et condita sunt [1]. » Quid enim obsistere poterat nutui ac voluntati Verbi omnium regis ac principis ac per se Dei? Ad hoc vero ut accurate considerari singula exponique possint, peculiare otium et propriam orationem desiderant. Sed et peculiari otio opus fuerit, ut explicemus quæ et quanta exstitit alacritas eorum qui in hoc opere laborarunt; quantique pretii ac ponderis illa sit apud ipsum quem celebramus Deum, qui animata omnium nostrum inspicit templa, et domum ex vivis firmatisque lapidibus structam perlustrat, super fundamento Apostolorum et Prophetarum probe ac firmiter stabilitam: cujus angularis lapis est ipse Jesus Christus, quem reprobarunt

[1] Ps. XXXII, 9.

quidem non solum veteris illius quæ nunc esse desiit, verum etiam ejus quæ nunc cernitur multorum hominum fabricæ architecti, mali scilicet malorum operum fabri. Sed Pater et olim ei in præsentia probatum caput anguli hujus omnium nostrum communis Ecclesiæ constituit. Hoc igitur ex nobis ipsis constructum viventis Dei vivum templum (maximum illud ac vero Dei dignum sacrarium intelligo, cujus intima adyta a conspectu vulgi remota sunt, ac vere sancta et sancta sanctorum) quis cum introspexerit, efferre unquam audeat? Imo quis est qui in sacrum ejus conseptum penetrare oculis possit, nisi ille maximus omnium Pontifex, cui soli jus fasque est cujuslibet animæ ratione præditæ arcana scrutari? Ac fortasse id etiam unicuipiam alteri secundo a Christo loco concessum est; huic videlicet exercitus hujus ductori, quem primus ipse et maximus Pontifex, secundi post se loci sacerdotio in hoc sacrario decoratum, divini gregis vestri pastorem, sorte ac judicio Patris omnipotentis huic populo præfectum, utpote cultorem atque interpretem suum, constituit: novum Aaronem, et Melchisedecem, imaginem Filii Dei: qui in perpetuum manet, et communibus omnium vestrum votis ab eo conservatur. Huic igitur uni post primum illum et maximum Pontificem, si non primas, at certe secundas partes obire liceat in inspiciendis curandisque animarum vestrarum penetralibus: quippe qui tum multo usu et longo temporis spatio unumquemque vestrum accurate cognoverit, tum studio suo ac diligentia cunctos ad modestiam et pietatis doctrinam informaverit: et qui præ ceteris omnibus earum rerum quas divina virtute perfecit, rationes reddere valet magnitudini operum respondentes. Ac primus quidem ille et maximus Pontifex noster, quæcumque Patrem facientem videt, eadem inquit, simili modo facit et Filius. Hic vero tanquam in magistrum puros mentis ocu-

los defixos habens : quæcumque ab eo fieri vicet, instar exemplaris sibi proponens, eorum imagines quoad ejus fieri potest, ad similitudinem expressas effinxit. Nihilo plane inferior Beseleele illo, quem Deus ipse spiritu sapientiæ et intelligentiæ omnisque ingeniosæ ac solertis peritiæ cum implevisset, cælestium templi imaginum per adumbratas quasdam figuras fabrum atque artificem elegit. Ad eumdem igitur modum hic noster totum Christum, qui Verbum, sapientia et lux est, in sua ipsius mente tanquam imaginem gestans, dici non potest quanta cum anima magnitudine, quam opulenta et prodiga mentis manu : quanta etiam omnium vestrum liberalitate, qui vestra in conferendis sumptibus magnificentia quasi cum illo certantes, ne ejus consilio inferiores ulla ex parte videremini ambitiosius contendistis : hoc magnificum Dei altissimi templum quod sub aspectum cadit, ad exemplum præstantioris illius templi quod cerni oculis non potest, quam fieri potuit simillimum fabricaverit. Et hunc quidem locum (de hoc enim ante omnia dicendum videtur) quam omnium sordium ac purgamentorum congerie inimici fraudulenter adobruerant, minime negligendum ratus; neque eorum qui ejus rei auctores fuerant improbitati cedere sustinens; cum quæsito alio loco, cujusmodi plurima huic civitati supersunt, laboris compendium facere, seque multis negotiis liberare posset; tamen primus ipse ad opus sese accingens: deinde totius populi animis incredibili alacritate confirmatis, atque ex omnibus una ingenti manu conflata, primum hoc certamen subiit; æquissimum scilicet ratus, ut hæc ipsa potissimum Ecclesia quæ ab hostibus expugnata fuerat; quæ prior gravissimos labores nostra causa sustinuerat; quæ eamdem nobiscum persecutionem, immo ante nos pertulerat; quæ velut mater propriis filiis erat orbata, Dei optimi maximi munificentio nobiscum frueretur. Nam quo-

niam magnus ille pastor, feris ac lupis, et omni agrestium atque immanium bestiarum genere depulso, ipsisque leonum maxillis, ut divina loquuntur oracula, contritis, filios ipsius rursus in unum congregare dignatus fuerat, jure merito ipsam gregis caulam instauravit, « ut ignominia afficeret inimicum et ultorem, utque impiorum adversus » Deum præliantium nefarios ausus illustri argumento con» vinceret [1]. » Itaque illi Deo invisi, nunc amplius non sunt, quando ne tum quidem erant. Et posteaquam modico temporis spatio turbas excitarunt ipsique turbis agitati sunt, pœnas deinde gravissimas divinæ justitiæ persolventes semetipsos cum amicis et omni familia funditus everterunt. Adeo ut prædictiones illæ sacris olim Tabulis inscriptæ, nunc verissimæ esse factis ipsis comprobentur; in quibus cum alia divinus sermo vere pronuntiat, tum hæc de iisdem diserte profatur: « Gladium evaginaverunt peccatores; » intenderunt arcum suum, ut percutiant mendicum et » pauperem, et occidant rectos corde [2]. Gladius eorum » intret in corda ipsorum, et arcus eorum confringantur. » Et iterum: « Periit memoria ipsorum cum sonitu. Et no» men eorum delevisti in sæculum et in sæculum sæculi [3]. » Quoniam cum in malis essent clamaverunt; nec fuit qui » servaret: ad Dominum, nec exaudivit eos [4]. Verum ipsi » quidem obligati sunt et ceciderunt: Nos autem surreximus » et erecti sumus [5]. » Illud quoque quod prædictum fuerat his verbis: « Domine in civitate tua imaginem eorum ad » nihilum rediges [6]. » Verissimum esse omnes oculis nostris perspeximus. Et hi quidem Deo bellum inferre more gigantum ausi, hujusmodi vitæ exitum sortiti sunt. Illa vero vacua ac deserta et opinione omnium deplorata, suæ propter Deum tolerantiæ hunc quem cernimus finem consecuta

[1] Ps. VIII, 3. — [2] Id. XXXVI, 14 et 15. — [3] Id. IX, 6 et 7. — [4] Ps. XVII, 42. — [5] Id XIX. 9 — [6] Id. LXXII, 20.

est. Adeo ut Hesaïas Propheta hæc illi pronuntiare videatur: « Lætare solitudo siticulosa: exultet solitudo et floreat » ut lilium : et florebunt et exultabunt loca deserta. Roboramini manus languentes, et genua dissoluta : Consolamini » vos pusillanimes, confortamini, ne timeatis. Ecce Deus » noster judicium reddit ac reddet: ipse veniet et servabit » nos. Quoniam, inquit, erupit aqua in solitudine, et val- » lis in terra siticulosa: et arida mutabitur in paludes, et » fons aquæ in terram siticulosam [1]. » Et hæc quidem olim verbis tenus prædicta, sacris voluminibus inserta sunt. Nunc autem res ipsæ non simplici auditione, sed factis ipsis nobis exhibentur. Quippe hæc solitudo siticulosa; hæc vidua omnique præsidio destituta, « cujus januas quasi in » silva lignorum, securibus exciderunt in idipsum, in securi » et ascia confringentes eam: » cujus libros corrumpentes » incenderunt igne sanctuarium Dei : in terra profanave- » runt tabernaculum nominis ejus [2]; quam vindemiarunt » omnes transeuntes per viam, destructis prius ejus sepibus » quam vastavit aper de silva, et singularis ferus depastus » est [3], » nunc postquam Christo visum est, per admirabilem ejus potentiam instar lilii efflorescit. Nam et tunc ejusdem nutu ac voluntate, tanquam parentis cujusdam filiorum curam gerentis, castigabatur. « Quem enim diligit Dominus » castigat, verberatque omnem filium quem recipit [4]. » Postquam vero moderate et quantum oportuit castigata est, rursus exultare cœlitus præcipitur, et tanquam lilium efflorescit, cunctosque mortales divini odoris suavitate perfundit. « Quoniam, inquit erupit aqua in solitudine [5]; » fons videlicet quo divinitus in salutari lavacro regenerati sumus. Et quæ paulo ante vasta solitudo erat, nunc mutata est in paludes; et in terram siticulosam scaturivit fons aquæ vivæ.

[1] Isa., XXXV, 1, 7. — [2] Ps. LXXIII, 6 et 7. — [3] Id LXXIX. 13 et 14.— [4] Hebr., XII, 6. — [5] Isa., XXXV, 6.

Roboratæ sunt profecto manus quæ prius erant languidæ; et hæc quæ cernitis opera, roboris manuum magna et perspicua argumenta sunt. Quin et genua illa quæ jamdudum debilitata erant ac dissoluta, nunc recuperata gressuum firmitate, rectam divinæ cognitionis semitam ingrediuntur, et ad proprium optimi pastoris gregem properant. Quod si qui forte tyrannorum minis perterrefacti, animis obtorpuerunt, ne hos quidem salutaris Dei sermo curationis expertes relinquit: sed benigne eos remediis fovens, ad percipiendam Dei consolationem excitat his verbis. Consolamini vos pusillanimes: confortamini, nolite timere. Cum igitur novus hic noster et egregius Zorobabel, solertissimo mentis acumine intellexisset fore, ut illa quæ propter Deum deserta fuerat, supradictis bonis brevi frueretur, quemadmodum divinus sermo prædixerat; post acerbam illam captivitatem, et post abominationem desolationis, cadaver hoc minime neglexit. Sed cum ante omnia Deum Patrem precibus ac supplicationibus placasset, conspirantibus omnium vestrum votis atque sententiis; cumque eum qui solus mortuos ad vitam revocat, auxiliatorem sibi atque adjutorem adscivisset, Ecclesiam hanc prolapsam excitavit, cum illam prius omni labe purgasset, et medicamentis salubribus curavisset. Jam vero eam veste circumdedit, non illa vetere, sed quam rursus ex divinis Oraculis didicerat, in quibus diserte prædictum est: Et erit posterior gloria domus hujus longe supra priorem. Itaque multo ampliorem locum metatus, exteriorem quidem ambitum muro undique communivit, qui totius operis tutissimum esset propugnaculum. Magnum deinde atque excelsum vestibulum ad ipsos solis orientis radios extendit; iis qui a sacro loci ambitu longius remoti sunt, conspectum quemdam eorum quæ intus reconduntur abunde exhibens, et oculos eorum qui a nostra fide alieni sunt, ad conspi-

cienda limina quodammodo invitans; ne quisquam forte prætercurrat, qui non compungatur animo, tum ex memoria præteritæ solitudinis, tum ex stupendo præsentis operis miraculo. Hoc enim modo compunctos, attrahi et ad ingrediendum allici posse aspectu ipso speravit. Cæterum ubi portas ingressus sis, non statim impuris et illotis pedibus in sacrarium introire permisit. Sed inter templum ac vestibulum maximo intervallo licto, hoc spatium in quadrati speciem circumseptum quatuor obliquis porticibus circumquaque exornavit, quæ columnis undique attolluntur. Intercolumnia porro ipsa septis e ligno reticulatis, in mediocrem et congruam altitudinem elatis circumclusit. Medium autem spatium apertum et patens reliquit, ut et cœli aspectum præberet, et aërem splendidum Solisque radiis collustratum præstaret. Hic sacrarum expiationum signa posuit; fontes scilicet ex adverso Ecclesiæ structos, qui interius sacrarium ingressuris copiosos latices ad abluendum ministrarent. Atque hoc primum intrantium diversorium est; cunctis quidem ornatum ac nitorem concilians; iis vero qui institutione adhuc opus habent, congruentem præbens mansionem. Jam vero hoc spectaculum prætervectus, pluribus aliis interioribus vestibulis aditus ad templum patentes effecit; rursus ad ipsos solis orientis radios tribus ordine januis in uno eodem latere constructis. Quarum mediam duabus aliis utrimque positis et altitudine et latitudine plurimum præstare voluit, eamdemque æreis tabulis ferro vinctis, et sculpturis variis præcipue decoravit; ei tanquam reginæ satellites alias adjungens. Ad eumdem modum cum porticibus ad utrumque templi latus fabricatis parem vestibulorum numerum disposuisset, diversos aditus quibus copiosum lumen superne in ædem infunderetur, supra ipsas porticus excogitavit, easque fenestras variis e ligno sculpturis minutissimi operis ornavit. Ipsam vero ædem regiam

opulentioribus magisque pretiosis speciebus instruxit, prolixa sumptuum magnificentia ad hoc usus. Hic jam mihi superfluum videtur ædis ipsius longitudinem describere, et hunc splendidissimum decorem, atque inexplicabilem magnitudinem; radiantem operum speciem ac splendorem; fastigia ad cœlum usque tendentia; et supra hæc eminentes Libani pretiosissimas cedros oratione prosequi, quarum mentionem ne divina quidem Oracula prætermiserunt, in quibus dicitur: « Lætabuntur ligna Domini, et cedri Libani quas » plantavit[1]. » Quid jam attinet de solerti et ingeniosa totius fabricæ dispositione, ac de excellenti singularum partium pulchritudine accuratius disserere, præsertim cum oculorum testimonium omnem quæ auribus percipi potest notitiam excludat. Porro cum templum in hunc modum absolvisset, thronisque altissimis in honorem præsidentium, ac præterea subselliis per universum templum ordine dispositis exornasset; postremo sanctum sanctorum, altare videlicet in medio constituit. Utque hæc sacraria multitudini inaccessa essent, ea rursus ligneis cancellis munivit, minutissimo opere ad summum artis fastigium elaboratis, adeo ut admirabile intuentibus spectaculum exhibeant. Quinetiam ne ipsum quidem solum negligendum putavit. Quod cum mirum in modum marmore exornasset, inde ad ea quæ extra templum posita sunt conversus, exhedras et oëcos amplissimos utrimque summa cum peritia fabricavit, qui sibi invicem ad latera ipsius Basilicæ conjunguntur, portisque quibus in medium templum intratur connexi sunt. Quas quidem ædes in gratiam eorum qui expiatione et purgatione per aquam et Spiritum sanctum opus habent, Salomon noster vere pacificus templi hujus conditor exstruxit. Adeo ut cœlestis illa prædictio cujus supra memini, non amplius nudis in verbis subsistat, sed opere ipso im-

[1] Ps. CIII, 16.

pleta cernatur. Facta est enim nunc revera gloria domus hujus posterior supra priorem. Nam cum pastor ejus ac Dominus, pro salute illius semel mortem perpessus, post passionem corpus quod ipsius gratia sordidum induerat, in splendidum et gloriosum transmutasset; et carnem jam tabescentem ex corruptione ad immortalitatem traduxisset, consentaneum erat ut hæc quoque Salvatoris dispensationibus similiter frueretur. Quippe quæ multo potioribus ab ipso promissis acceptis, longe majorem regenerationis gloriam in corporis incorruptibilis resurrectione, cum cœlestibus Angelorum choris, in ipsa Dei regia ultra cœlos posita, una cum ipso omnium beneficiorum auctore ac Servatore Jesu Christo in perpetuum deinceps percipere desiderat. Interim tamen in præsenti sæculo hæc olim vidua ac deserta hisce per Dei gratiam ornata floribus, facta est revera ut lilium, quemadmodum Propheta dixit. Qualiter vero sponsali veste induta, coronaque decoris redimita, ab Hesaïa saltare doceatur, et faustis vocibus Deo gratias cum veneratione canere, ipsius verbis audiamus : « Exultet anima » mea in Domino. Induit enim me vestimento salutis, et » tunica lætitiæ circumdedit me. Quasi sponso coronam » circumposuit mihi, et quasi sponsam ornavit me muliebri » mundo. Et sicut terra quæ auget florem suum, et sicut » hortus germinat semina sua; sic Dominus germinabit jus» titiam et exultationem coram universis gentibus [1]. » Et hæc quidem canens illa tripudiat. Quibus autem verbis sponsus cœlestis, ipse scilicet Jesus Christus qui est Verbum Patris, illi vicissim respondeat, audi Dominum dicentem. « Noli timere eo quod ignominia affecta fueris; » nec verearis eo quod opprobria passa sis. Quoniam per» petuæ ignominiæ obliviscceris, et probri viduitatis tuæ non » recordaberis, non ut mulierem desertam et pusillanimem

[1] Isa., LXI, 10 et 11.

» vocavit te Dominus, neque ut mulierem ab adolescentia odio
» habitam. Dixit Deus tuus: Modico tempore dereliqui te ; et
» in misericordia magna miserebor tui. In ira levi averti
» faciem meam abs te; et in misericordia æterna miserebor
» tui : dixit Redemptor tuus Dominus [1]. Exurge, exurge,
» quæ bibisti de manu Domini calicem furoris ejus. Calicem
» enim ruinæ, poculum furoris mei ebibisti atque exhau-
» sisti ; et non erat qui consolaretur te in omnibus filiis
» tuis quos genuisti : nec erat qui apprehenderet manum
» tuam. Ecce tuli de manu tua calicem ruinæ, poculum
» furoris mei. Nec adjicies ultra ut bibas illum. Et dabo
» illum in manus eorum qui te injuria affecerunt ac depres-
» serunt [2]. Exurge, exurge, indue fortitudinem, indue glo-
» riam tuam. Excute pulverem et surge. Sede, solve vin-
» culum colli tui. Attolle circumquaque oculos tuos, et
» vide congregatos filios tuos. Ecce congregati sunt et ve-
» nerunt ad te. Vivo ego, dicit Dominus : quia omnibus his
» velut ornamento vestieris, et circumdabis tibi eos quasi
» ornatum sponsa. Quia deserta tua et quæ corrupta erant
» ac prolapsa, nunc angusta erunt incolis tuis ; et longe
» fient abs te qui devorabant te. Dicent enim in aures tuas
» filii tui quos perdidisti : angustus est mihi locus; facito
» mihi locum ut inhabitem. Et dices in corde tuo : Quis
» istos genuit mihi ? Ego orba et vidua. Hos autem quis
» educavit mihi ? Ego derelicta sum sola : Hi vero ubinam
» erant mihi [3] ? » Hæc Esaïas vaticinatus est : hæc in sacris
voluminibus de nobis multo ante perscripta erant. Cæterum
oportebat ut horum verborum veritatem rebus ipsis completam tandem acciperemus. Quoniam igitur sponsus Verbum Dei hæc sponsæ suæ, sacrosanctæ scilicet Ecclesiæ,

[1] Isa., LI, 17, 23. — [2] Id., LII, 1 et 2. — [3] Id., XLIX, 18, 21.

prolocutus fuerat, recte atque ordine noster iste sponsæ vestitor, hanc desertam et vacuam, et tanquam cadaver humi jacentem, omnique humana spe destitutam, communibus omnium vestrum precibus, manus ei vestras porrigens, Dei summi omnium regis nutu, et præsenti Jesu Christi potentia erexit atque excitavit. Excitatam vero ad eum modum constituit ac disposuit, quem ex sacrorum oraculorum descriptione didicerat. Est quidem hoc opus miraculum, et omni admiratione majus, iis præsertim qui ad solam rerum exteriorum speciem attendunt. Omnibus vero miraculis mirabiliora sunt archetypa, et primitivæ eorum imagines, spiritalia Deoque digna exemplaria : instaurationes divini illius et rationalis in animabus nostris ædificii. Quod quidem ædificium cum ipse Dei Filius ad imaginem suam condidisset, atque in omnibus Dei similitudinem præferre voluisset, incorruptibilem ei naturam et incorpoream atque ab omni terrena materia segregatam largitus, rationalem quoque substantiam et prorsus intellectualem ei tribuens; posteaquam semel ex nihilo primum eam creavit, sponsam sanctam et sacrum templum sibi ac Patri suo constituit. Idque ipsemet diserte fatetur his verbis : « Inhabitabo in illis et inambulabo ; et ero illorum » Deus, et ipsi erunt populus meus [1]. » Ac talis quidem est anima perfecta atque purgata; quæ ab initio sic condita fuit, ut cœlestis sponsi imaginem gestaret. Sed postquam per invidiam et æmulationem nequissimi dæmonis, passiones ac vitia sua sponte sectari et adamare cœpit; Deo mox ab illa se subducente, tanquam patrono destituta, captu facilis, et insidiis eorum qui jampridem ipsius gloriæ invidebant remansit obnoxia. Hostium itaque invisibilium et spiritalium adversariorum testudinibus et machinis

[1] II Cor., VI, 14, et Levit, XXVI, 12.

subversa, adeo immani ruina concidit, ut nullus in ea virtutum lapis alteri cohærens lapidi remanserit : sed tota penitus prostrata, Deique notionibus a natura insitis spoliata, quasi mortua humi jacuerit. Collapsam porro illam, quæ ad imaginem Dei condita fuerat, vastavit non aper ille de silva, qualem oculis cernimus, sed exitiosus quidam dæmon, et feræ bestiæ quæ sola intelligentia comprehenduntur. Quæ cum eam pravis affectibus tanquam ardentibus malitiæ suæ telis inflammassent, incenderunt igne vere divinum sanctuarium Dei; et in terra profanaverunt tabernaculum nominis ejus. Posthæc aggesta humo plurima eam obruentes, omnem prorsus spem salutis illi ademerunt. Verum divinum et salutare Verbum curam illius gerens, postquam debitas scelerum pœnas eam persolvisse sensit, optimi Patris clementiæ obsecundans, denuo eam restituit. Ac primum quidem cum summorum orbis Romani Imperatorum animos sibi adjunxisset, universum orbem terrarum omnibus impiis et exitiosis hominibus, ipsisque adeo crudelibus Deoque invisis tyrannis, eorum quos dixi, Deo carissimorum principum opera repurgavit. Deinde viros probe sibi cognitos, et jampridem perpetuo sacerdotio sibi consecratos, qui tamen occulte, utpote sæviente persecutionum procella, ab ipso protegebantur, in lucem produxit, et sancti Spiritus magnificentissimis donis, ut decebat, ornavit : perque hos animas paulo ante inquinatas, omnique colluvie et impiarum jussionum acervis adobrutas, rursus objurgatoriis divinorum præceptorum prædicationibus tanquam sarculis et ligonibus purgavit atque abstersit. Cumque mentium vestrarum locum purum ac nitidum reddidisset, huic sapientissimo posthæc Deique amantissimo præsidi eum tradidit. Qui cum in aliis rebus singulari judicio et ratiocinandi solertia præditus, tum in

animarum quarum curam sortitus est, cogitationibus dignoscendis ac discernendis perspicacissimus, ab initio fere ad hunc usque diem ædificare non destitit : nunc aurum splendidissimum, nunc purum ac probum argentum, nunc pretiosissimos lapides in uno quoque vestrum coagmentans; ut suis erga vos operibus sacram denuo et arcanam prædictionem adimpleat, quæ sic habet. « Ecce ego præparo tibi » carbunculum lapidem tuum, et fundamenta tua sapphi- » rum, et propugnacula tua jaspidem, et portas tuas lapides » chrystalli, et murum tuum lapides electos : et omnes » filios tuos : et in justitia ædificaberis [1]. » In justitia igitur ædificans, totius populi vires ac facultates congrua ratione distinxit : hos quidem exteriore duntaxat cingens muro, id est firma fide. Cujus generis infinita est multitudo, quæ præstantiorem structuram ferre non potest. Illis vero aditus in templum permittens; ad portas stare et intrantes deducere eos jubet : qui non absurde templi vestibulis comparantur. Alios primis columnis quæ forinsecus circa atrium in quadranguli speciem dispositæ sunt suffulsit, intra primos literalis quatuor Evangeliorum sensus obices eos inducens. Jam vero nonnullos circa regiam ædem utrinque lateribus applicat, qui adhuc quidem catechumeni sunt : et augmentum ac progressum faciunt, non tamen procul absunt ab ipsa abditissimorum Dei mysteriorum inspectione qua fideles fruuntur. Ex horum numero eos quorum animæ immaculatæ sunt et divino lavacro instar auri purgatæ assumens; alios columnis quæ exterioribus illis longe præstantiores sunt, arcanis scilicet et intimis sacræ Scripturæ sententiis suffulcit. Alios vero fenestris ad lumen in ædes immittendum factis illustrat. Ac universum quidem templum uno maximo vestibulo, unius scilicet Dei summi

[1] Isa. LIV, 11, 14.

omnium regis adoratione exornavit. Christum vero et Spiritum sanctum utrinque ad latus paternæ auctoritatis, quasi secundum lumen præbet. Sed et in reliquis singillatim fidei nostræ sententiis, per totam Basilicam copiosissimam ac præstantissimam veritatis lucem atque evidentiam ostendit. Præterea vivos et stabiles ac firmos animarum lapides undique seligens, amplam ac regiam domum ex omnibus construxit : splendoris ac luminis plenam tam intus quam extra : quandoquidem non anima solum illis ac mens, sed etiam corpus castitatis ac modestiæ florido ornatu resplendent. Insunt etiam in hoc templo throni; et subsellia scamnaque innumera; in cunctis scilicet animabus in quibus sancti Spiritus resident dona, cujusmodi olim visa sunt sacrosanctis Apostolis : quibus linguæ instar ignis divisæ, et singulis insidentes apparuerunt. Verum in ipso quidem omnium principe ac præside, totus, ut verisimile est, insidet Christus. In iis vero qui secundum dignitatis locum obtinent, quatenus quisque dispertita virtutis Christi sanctique Spiritus dona capere potest. Subsellia quoque Angelorum sunt quorumdam animæ, quorum institutio et custodia illis demandata est. Augustum vero magnumque et unicum altare quodnam aliud est, quam summi omnium Sacerdotis purissima mens prorsusque Sanctum sanctorum. Cui dexter assistens maximus ille omnium Pontifex, ipse scilicet Jesus unigenitus Dei Filius; suavissimum ab omnibus suffitum et incruenta ac spiritalia precum sacrificia, hilari vultu et supinis manibus suscipiens, cœlesti Patri et universorum Deo transmittit : primus ipse eum adorans, solusque congruentem paternæ majestati honorem exhibens, deinde vero obsecrans, ut is propitius omnibus nobis ac benignus perpetuo esse velit. Hujusmodi est magnum illud templum, quod per univer-

sum terrarum orbem magnus ille mundi opifex Verbum Dei constituit ; hancque intellectualem imaginem eorum quæ ultra ipsos cœli fornices posita sunt , ipse in terris denuo perfecit : ut ab omni creatura et ab animantibus ratione præditis, Pater ipsius debito honore cultuque afficeretur. Illam vero super cœlestem regionem, et ea quæ illic sunt exemplaria horum quæ hic cernimus : supernam illam Jerusalem ; cœlestem montem Sion ; et ultra mundum positam civitatem Dei viventis , in qua innumerabiles Angelorum chori , et Ecclesia primogenitorum qui in albo cœlestium civium descripti sunt, conditorem suum ac summum omnium ducem hymnis quibusdam inexplicabilibus quos nec intelligentia assequi possumus, venerantur : nullus mortalium pro dignitate celebrare suffecerit. « Etenim nec » oculus vidit, nec auris audivit; nec in cor hominis ascende- » runt ea quæ Deus præparavit diligentibus se [1]. » Quarum quidem rerum jam aliqua ex parte Dei beneficio compotes facit, viri cum mulieribus et pueris; summi pariter atque infimi; omnes simul uno spiritu unoque animorum consensu tantorum nobis bonorum auctorem confiteri ac celebrar en unquam desinamus : « Qui propitiatur omnibus iniquitatibus » nostris; qui sanat omnes infirmitates ; qui redimit ab inte- » ritu vitam nostram; qui coronat nos in misericordia et mi- » serationibus ; qui explet in bonis cupiditatem nostram. Qui » non secundum peccata nostra fecit nobis. Quia quantum » distat ortus ab occidente , longe fecit a nobis iniquitates » nostras. Quemadmodum miseretur pater filiorum suo- » rum , misertus est Dominus timentium se [2]. » Hæc et in præsentia et cunctis deinceps temporibus memoria recolentes , Deumque præsentis hujus festivitatis et splendidæ hujus ac lætissimæ lucis auctorem ac præsidem diu noctu

[1] Isa. . LXIV, 9, et I Cor. II, 9. — [2] Ps. CII, 3, 5, 10. 13

que singulis horis, et omnibus, ut ita dicam, momentis quibus spiritum ducimus, ante oculos mentis nobis proponentes, totis animi viribus eum diligamus ac veneremur. Jamque exsurgentes, contentissima nostri affectus voce eum obsecremus, ut nos intra septa ovilis sui fueri perpetuo ac servare velit, pacemque suam inviolabilem nobis atque inconcussam præstet in Christo Jesu Servatore nostro, per quem ei sit gloria in sæcula sæculorum. Amen.

EUSEBII PAMPHILI

DE LAUDIBUS

CONSTANTINI IMPERATORIS

ORATIO IN EJUS TRICENNALIBUS HABITA.

PROLOGUS ORATIONIS.

Ego vero non fabulas, nec sermones ad aurium illecebras compositos commentus, in hunc locum processi, ut quasi Syrenum cantu auditores permulcerem : nec ut aureis poculis, elegantium scilicet verborum flosculis summo cum artificio decoratis, voluptatis pigmenta, hujusmodi rerum studiosis hominibus propinarem. Quin potius sapientum præceptis obtemperans, cunctis suadeo ut vias publicas fugiant, neve una cum multitudine collidi velint. Accessi ergo, ut imperatorias laudes novo quodam carminis genere præcinerem. Quamvis vero infiniti pœne alii eamdem mecum viam carpere conantur, ego tamen hominum vestigia vitans, ut ait ille, viam ingrediar minime tritam, quam illotis pedibus ingredi nefas est. Liceat quidem illis qui vulgares ac juvenilibus tritos argutiis sermones consectantur, et qui suavem quamdam ac popularem colunt Musam, hominum aures humanis narrationibus delinire, dum cuncta referunt ad voluptatem. Hi vero qui

universalis sapientiæ mysteriis initiati sunt, utpote divinarum humanarumque rerum scientiam consecuti; cum præstantioris rei delectum summæ felicitatis esse ducant, Imperatoris nostri Deo amabiles virtutes, et pios actus, humanis ejusdem dotibus factisque anteponunt; et inferiores res, inferioribus hominibus prædicandas relinquunt. Nam cum Imperatoris animus rerum divinarum humanarumque scientia præditus sit; et illæ quidem ad Deum; hæ vero ad homines referantur: illis quidem qui extra templi ambitum positi sunt, res humanas suggerant ii qui ad hoc munus obeundum idonei exstiterint. Sunt hæ quidem sane illustres et eximiæ, et imprimis utiles generi humano. Quippe cuncta quæ in Imperatore nostro cernuntur, eximia sunt. Sed tamen à divinis rebus longo intervallo superantur. Ii vero qui intra sacrarium et in ipsa templi adita ac penetralia ingressi sunt, januas profanis auribus occludentes, arcana Imperatoris mysteria solis initiatis exponant. Isti porro ubi aures suas pietatis fontibus purgaverint, et intelligentiam quasi expansis animi alis in sublime sustulerint, circa ipsum Deum omnium regem choreas agant, divina mysteria percipientes. Oracula porro non illa ex vaticinatione, seu potius furore quodam atque insania profecta; sed quæ divini Spiritus afflatu atque intima illustratione sunt edita, nobis pro magistris sint sacrorum: qui nos instituant de regno ipso ac de summo omnium rege; deque divino illo satellitio supremum omnium moderatorem ambiente: tum de exemplari quod apud nos est regiæ potestatis, ex illo cœlestis regni expressum archetypo; et de altero falso et adulterino: ac postremo de his quæ utrumque regnandi genus atque institutum comitantur. Ab his igitur oraculis, velut a quibusdam Hierophantis divina edocti mysteria, sacros sermones in hunc modum aggrediamur.

EUSEBII PAMPHILI

DE LAUDIBUS

IMPERATORIS CONSTANTINI

ORATIO HABITA IN TRICENNALIBUS.

I. Est hæc quidem summi Imperatoris festivitas, in qua nos qui Imperatoris famuli sumus, sacrorum sermonum documentis afflati exultamus. Festivitatis autem auctor nobis et signifer est, summus ipse Imperator. Maximum porro Imperatorem appello eum, qui vere est maximus. Eum dico (nec succensebit qui hic adest quin potius hunc de divinitate sermonem pari nobiscum studio ac favore prosequetur) qui ultra universa consistit; qui omnium summus est atque altissimus, et immensus. Cui cœlestes quidem fornices, throni vicem præbent : terra vero est pro scabello pedum. Atque hunc intelligentia comprehendere nemo unquam perfecte possit. Quippe lux undequaque ex eo emicans, inexplicabili quodam radiorum fulgore cunctos ab divinitatis illius conspectu repellit. Circa hunc cœlestes discurrunt exercitus : huic stipatorum officium exhibent supernæ potestates : hunc herum et dominum atque imperatorem agnoscunt. Ex hujus splendore tanquam ex perenni quodam luminis fonte haurientes, Angelorum et Archangelorum innumerabiles ordines, et sanctorum spirituum chori, collustrantur. Cuncta item lumina, ac

præcipue divina illa atque intellectualia spiritalium luminum genera quæ ultra cœlum sedes habent, magnum hunc Imperatorem summis ac divinis canticis celebrant. Cælum vero tanquam cæruleum quoddam velum, obtensum est, quod eos qui extra positi sunt, ab illis qui in regia versantur secludit. Circa hoc non secus ac lampadarii in imperialis palatii vestibulis discurrunt sol et luna, ac reliqua cœli luminaria : et cum Imperatorem ipsum impense venerantur, tum ex ejus nutu ac præcepto, semotis a cœlo et obscuram regionem incolentibus, inextincti luminis faces præbent. Hunc ergo maximum Imperatorem à Victore nostro Augusto hymnis quoque celebrari conscius cum sim, recte mihi facere videor : quippe qui sciam hunc unum imperii nobis auctorem esse. Hunc etiam Dei amantissimi Cæsares omnium bonorum fontem agnoscunt; ita scilicet a parente suo instituti. Hunc exercitus, populi ac turbæ tam in agris quam in urbibus; et rectores provinciarum in Ecclesiam convenientes rite colunt, à magno Servatore et magistro eruditi. Denique universum simul hominum genus; gentes omnes, tribus et linguæ, et tam in unum coacti omnes, quam seorsum positi, licet in aliis rebus inter se dissentiant, in hac tamen sola confessione consentiunt; hunc unum ac solum naturali ratione et notionibus sibi insitis nec ullius magisterio traditis, invocantes Deum. Quid totius terræ moles, nonne illum dominum agnoscit? germinibus et animalibus ex se nascentibus aperte declarans, se tanquam ad potioris nutum imperiumque famulari. Hunc et fluminum cursus, aquarum copia exuberantes; et fontium lapsus ex abditis et immensis terræ sinibus perpetuo manantium, inexplicabilis miraculi auctorem profitentur. Hunc profundi maris gurgites, immensa altitudine conclusi; et fluctuum vortices in altum sublati, terræque ipsi formidinem incutientes, simul atque ad littus accesserint,

reformidant, divinæ legis imperio constricti. Sed et hibernorum imbrium moderata dispensatio; fragor tonitruum; fulgurum coruscatio; ventorum reciproci impetus; nubium denique varii per aërem discursus, ejus præsentiam exhibent iis, qui ipsum coram intueri non possunt. Sol quoque totus lumine radians, qui extensa sæculorum spatia decurrit, solum hunc Dominum agnoscit, ejusque obsequens nutui, nunquam extra præscriptos terminos audet incedere. Luna etiam quæ luminis splendore soli concedit, dum certis temporum intervallis minuitur et augetur, divinis legibus obtemperat. Cœli quoque pulchritudo, quod astrorum choreis resplendet, et numeroso atque ordinato motu progreditur, ac circulos suos metitur, Deum totius lucis auctorem pronuntiat. Cuncta item cœli luminaria, ex ejus nutu ac mandato, velut pulcherrimo instituto concentu, multis annorum conversionibus longissimum cursum absolventia, instar aurigarum in ætherio circo decurrunt. Noctium insuper ac dierum alterni recursus; tempestatum anni mutationes; ordo denique ac numerosa modulatio universi, immensæ ejus potentiæ multiplicem solertiam celebrant. Huic præterea invisibiles potestates quæ per apertos aeris campos discurrunt, debitam et convenientem Deo laudem tribuunt. Hunc ergo maximum Imperatorem totus simul mundus hymnis prosequitur. Hunc sursum cœli et qui supra cœlos sunt chori, venerantur: hunc Angelorum exercitus canticis celebrant: hunc spiritus ex intellectuali luce editi, parentem suum ac Deum nuncupant. Hunc Æones temporis expertes, ante hoc cœlum et hunc mundum conditi; alii præterea infiniti Æonum Æones ante omnem rerum visibilium constitutionem, unum ac summum dominum et principem agnoscunt. Ipse denique in omnibus et ante omnes et post omnes, unigenitus ejus Filius ac sermo præexistens; ma-

gnus magni Dei pontifex, omni tempore omnique ævo antiquior; Patris sui cultui devotus ac dicatus, primus ac solus pro omnium salute ei supplicat. Qui prærogativam quidem honoris obtinet principatum universi : æqualem autem cum Patre gloriam in Patris possidet regno. Quippe ipse lux est universa transcendens; quæ circa Patrem discurrit, et interventu suo naturam principii atque ortus expertem a rerum generatarum substantia secludit. Quæque superne ex divinitate principii ac finis experte emanans, extra procedit; et supercœlestem regionem, cunctaque quæ intra cœlum sunt, sapientiæ luce, quæ solis splendore longe præstantior est, illustrat. Hic est totius mundi dominus, supra omnia et per omnia, et in omnibus tam visibilibus quam invisibilibus incedens Dei sermo. A quo et per quem, hic noster Deo carus Imperator, cœlestis imperii imaginem gerens, terrena cuncta quorum gubernaculis admotus est, instar Dei moderatur.

II. Et ille quidem unigenitus Dei sermo, a sæculis principio carentibus ad infinita usque et interminata sæcula regnat cum Patre. Noster vero Imperator eidem perpetuo carissimus, qui ex cœlesti fonte imperiales quosdam percipit effluxus, et divinæ appellationis cognomento roboratur, multis jam annorum circulis et conversionibus terras regit. Præterea ille quidem omnium conservator cœlum ac mundum universum ac cœleste regnum Patri suo decentissimum atque aptissimum comparat. Hic vero ejus amicus, ex his qui in terris degunt, omnes imperio suo subjectos ad unigenitum Dei sermonem Servatoremque adducens, idoneos ad ejus regnum efficit. Et ille quidem communis omnium Servator, rebelles illas potestates, quæ per hunc terræ proximum aërem volitantes hominum animis incubabant, tanquam bonus pastor feras bestias, spiritali

quadam et divina virtute ab ovili suo longissime expellit. Hic ejus amicus, multis tropæis ab ipso cœlitus exornatus, apertos veritatis hostes belli jure sibi subjiciens, pœna afficit. Ille utpote ratio ante mundum subsistens, et omnium rerum conservator, rationalia ac salutaria semina suis tradens sodalibus, rationales eos reddit et paterni regni scientia instructos. Hic ejusdem amicus, velut quidam interpres Verbi Dei, universum genus humanum ad cognitionem Dei revocat: omnium auribus inclamans, et clara voce, veræ pietatis ac veritatis leges cunctis, per orbem terrarum degentibus annuntians. Ille omnium Servator, cœlestes paterni regni portas hinc eo migrantibus aperit. Hic vero Dei exemplum æmulatus, postquam terrenum imperium cunctis errorum sordibus purgavit, sanctorum ac piorum hominum cœtus in sacras ædes et basilicas invitat; summam adhibens curam ac diligentiam, ut tota classis quam regendam accepit, cum ipsis vectoribus conservetur. Solusque ex omnibus qui Romano imperio unquam præfuerunt, tertio jam decennalium circuitu a summo omnium Imperatore Deo honoratus, hanc festivitatem non terrenis quibusdam spiritibus, ut veteres illi; nec spectris dæmonum imperitam multitudinem seducentium; nec fraudibus et commentis hominum impiorum celebrat: sed ipsi a quo honoratus est Deo, gratias persolvit; conscius scilicet bonorum quæ ab eo accepit. Non veterum ritu, palatium cruore ac tabo inquinans; nec fumo et igne et holocaustis terrenos dæmones placans: verum summo omnium regi gratam et acceptam victimam, suum videlicet regium animum, ac mentem Deo dignissimam consecrans. Sola enim hæc victima Deo jucunda est: quam Imperator noster absque igne et sanguine, puris animi cogitationibus litare condidicit: dum partim veris opinionibus ac sententiis in animo reconditis pietatem confirmat: partim magnificis orationibus

laudes Dei prædicat, et regiis actibus Dei clementiam æmulatur; totus ei addictus: magnique instar doni semetipsum ei dedicans, velut primitias orbis cujus ipse administrationem accepit. Hanc igitur maximam hostiam ante omnes rite immolat Imperator. Immolat vero utpote bonus pastor, non

Agnorum cædens primogenitorum hecatombas;

Sed rationalis gregis qui ab ipso pascitur animos, ad cognitionem Dei cultumque perducens.

III. At Deus hujusmodi delectatus hostia, donumque sibi oblatum libenter accipiens, venerandi hujus et eximii sacrificii antistitem collaudat, multosque annorum circuitus ejus imperio adjicit; pro modo religionis qua ab Imperatore colitur, sua in illum beneficia vicissim adaugens. Omnesque ei festivitates celebrare concessit, cum summa singularis imperii felicitate; singulis decennalium circulis unum ex ejus liberis ad Imperialis throni consortium promovens. Primo enim natu maximum qui paterno appellatur nomine, primo imperii decennio consortem regni renuntiavit: eum deinde qui secundus erat ætate, secundo imperii decennio: tertium deinceps tertio ejus festivitatis quam nunc celebramus decennio. Cumque jam quartus volvi cœperit circulus; utpote temporum spatiis magis magisque sese extendentibus, copiosa generis societate, et Cæsarum nuncupationibus imperium amplificans, divinorum Prophetarum implet oracula, quibus jampridem prædictum erat: Et suscipient regnum, sancti Altissimi. Ad hunc modum, temporum simul ac liberorum incrementa piissimo Imperatori largitus summus omnium Imperator Deus, vigentem ei ac florentem orbis terrarum dominationem præstat, perinde ac si nunc primum nasci atque erumpere cœpisset.

Ipseque adeo hanc ei festivitatem curat atque adornat; quippe quem hostium et inimicorum omnium victorem constituit, ac veræ pietatis exemplum humano generi proposuit. At noster Imperator, tanquam Solis jubar homines locorum spatiis longissime remotos, Cæsarum suorum præsentia, quasi quibusdam radiis ex se procul emissis illustrat. Ac nobis quidem qui Orientem incolimus, sobolem plane se dignam attribuit: alterum vero ex filiis, alteri hominum parti: alium rursus alibi, tanquam faces quasdam et luminaria ex sua luce diffusa partitus est. Fortissimos deinde quatuor Cæsares, quasi quosdam equuleos uno Imperialis quadrigæ copulans jugo, et cœlestis consensus atque concordiæ habenis eos devinciens, ipse sublimis velut auriga, incitat atque impellit, universum terrarum orbem qui solis illustratur radiis, percurrens; ubique præsens et omnia inspectans. Denique cœlestis imperii imaginem ferens, oculis in cœlum defixis, ad primitivi illius exemplaris similitudinem res mortalium regit; monarchiæ Dei adumbrata quadam effigie roboratus. Hoc enim summus universorum rex, soli omnium quæ in terra sunt animantium, humano generi indulsit. Quippe hic regiæ potestatis lex est, quæ omnes unius imperio subjacere decernit. Porro imperium singulare supra omnes status et administrationes eminet. Etenim multorum æquali inter se potestate præditorum dominatio quæ huic opposita est, turba potius ac tumultus dici debet. Proinde unus Deus, non duo tresve aut etiam plures. Nam Deorum multitudo Deum penitus tollit. Unus rex: ejusque sermo et regia lex una: quæ non verbis ac syllabis enuntiatur; nec in chartis aut tabulis perscripta, temporis longinquitate corrumpitur: sed vivus ac per se subsistens Dei sermo: qui omnibus qui sub ipso et post ipsum sunt, Patris regnum disponit atque ordinat. Hunc cœlestes ambiunt exercitus et infinita Angelorum

millia Deo ministrantium : turmæ item innumerabiles militiæ supra mundum positæ, et invisibilium spirituum, qui intra cœli septa residentes, totius mundi ordinem ac dispositionem curant. Quorum omnium dux ac princeps est, regius Dei sermo, velut quidam summi Imperatoris Præfectus. Hunc Magistrum militiæ; magnum pontificem; Prophetam Patris; magni consilii nuntium; paternæ lucis splendorem; unigenitum Filium, aliisque hujusmodi innumeris vocabulis sacra Theologorum appellant oracula. Quem quidem vivum sermonem, legem ac sapientiam, omnisque boni complementum Pater cum constituisset, cunctis qui imperio suo subjacent, summum hoc bonum muneris loco donavit. Ille vero cuncta permanans et ubique incedens, et Patris beneficia copiose in universos extendens, usque ad ipsa quæ in terris degunt ratione prædita animalia, similitudinem regii principatus produxit; hominis animum ad imaginem ipsius formatum divinis exornans facultatibus. Idcirco hominis animus alias quoque virtutes divina quadam derivatione participat. Solus enim sapiens est is, qui solus etiam est Deus. Idem solus natura bonus : solus fortis et potens. Idem justitiæ procreator; pater rationis atque sapientiæ; fons lucis ac vitæ; veritatis ac virtutis dispensator, ipsius denique imperii et principatus omnis ac potestatis auctor.

IV. Verum unde hominibus datum est hæc nosse? Quis hæc mortalium auribus annuntiavit? Unde carnali linguæ id concessum est, ut res a carne et corporis mole semotas loqueretur? Quis invisibilem regem propius intuitus, has in illo dotes ac virtutes vidit? Etenim elementa quidem affinitate cum corporibus cunjuncta, et res ex iisdem elementis compositæ corporis sensibus percipiuntur. Verum nemo unquam invisibile illud regnum quo cuncta

gubernantur, corporis oculis se vidisse gloriatus est : nec mortalis natura, sapientiæ pulchritudinem intelligentia unquam comprehendit. Quisnam vero justitiæ vultum carnis oculis aspexit? Unde legitimi imperii et regiæ potestatis notio hominibus oblata est? Unde imperialis potentia, homini ex carne et sanguine compacto? Quis invisibilem et figuræ omnis expertem formam, quis incorpoream externisque carentem lineamentis substantiam, mortalibus exposuit? Unus certe horum interpres fuit, per omnia permanans Dei sermo. Qui rationalis et intellectualis substantiæ quæ in hominibus conspicitur, pater est ac procreator: qui cum solus Patris cohæreat divinitati, filios suos paternis effluxibus rigat. Hinc universis hominibus, Græcis pariter et Barbaris, naturales sine ullius magisterio ratiocinationes : hinc rationis ac sapientiæ notiones : hinc prudentiæ ac justitiæ semina : hinc artium comprehensio : hinc virtutis scientia, et nomen philosophiæ, et venerandus amor sapientiæ. Hinc omnis boni honestique cognitio. Hinc ipsius Dei efficta in animo imago; et vivendi ratio divino cultui apte respondens. Hinc hominis vis suppetit regia, et in cuncta quæ in terra sunt, imperium inexpugnabile. Postquam vero ratio illa rationalium parens, in hominis animo effigiem indidit ex imagine ac similitudine Dei expressam, hominemque prorsus regale animal effecit; uni ex terrenis animantibus ei tribuens, ut regnare et regnanti parere nosset; utque preludia ac procemia spei regni cœlestis quod nobis promissum est, jam tum ab hac vita auspicaretur; cujus gratia ipse advenit, et cum mortalibus versari ipse utpote filiorum pater non refugit; sua ipsemet excolens fœmina, et cœlestia renovans dona, cœlestis regni omnibus copiam fore annuntiavit. Cunctos item vocavit, hortatusque est ut ad illam in cœlum profectionem prompti ac parati essent, vestemque ea vocatione dignam

sibi compararent. Et inexplicabili quadam virtute universum terrarum orbem qui Solis radiis illustratur, prædicatione sua implevit, terreni regni similitudine exprimens regnum cœlorum. Ad quod ipse universum genus humanum incitat atque impellit, hac fiducia bonaque spe omnibus ostentata.

V. Cujus quidem spei noster hic Deo carus Imperator, etiam in ac vita fit particeps; quippe qui innatis virtutibus a Deo exornatus sit, et cœlestes effluxus ex illo fonte in animum derivaverit. Etenim rationalis quidem est ex illa universali ratione; sapiens vero participatione divinæ sapientiæ; bonus bonitatis illius communione. Et justus quidem est illius participatione justitiæ; temperans ex illo temperantiæ exemplari; fortis vero divinæ virtutis beneficio. Hic ergo jure optimo Imperator vocabitur, qui animum suum omnibus virtutum coloribus ac lineamentis ad cœlestis imperii similitudinem effinxit. Qui vero ab his alienus exstiterit, et qui hujus universi regem abnegaverit, nec cœlestem animorum parentem agnoverit; nec convenientem Imperatori cultum atque ornatum sumpserit, sed deformitate ac turpitudine animum impleverit; et pro imperiali mansuetudine, feræ belluæ immanitatem induerit; pro liberali affectu pestiferum improbitatis venenum; pro prudentia stultitiam; denique loco rationis ac sapientiæ, fœdissimam omnium vitiorum insipientiam; ex qua tanquam ex amara potione, perniciosa nascuntur germina, vita scilicet intemperans et perdita; cupiditates; cædes; bellum adversus Deum; impietas. Qui, inquam, his omnibus vitiis mancipatus fuerit, is licet tyrannica violentia dominari interdum videatur, revera tamen Imperator nunquam merito dicetur. Quo enim modo cœlestis monarchiæ similitudinem exprimeret, qui mille dæmonum falsas atque

adulterinas imagines in animo suo impressas gestat? Quo pacto princeps sit et omnium dominus, is qui infinitos ac sævissimos dominos sibimetipse asciverit. Qui servus sit fœdæ libidinis, servus effusæ in mulieres insaniæ; servus pecuniæ malis artibus partæ; servus irracundiæ et furoris, servus metus ac pavoris, postremo cruentorum dæmonum, et spirituum perniciem animis creantium vile mancipium. Solus ergo Imperator adstipulante nobis veritatis testimonio prædicetur, hic Imperator omnium Deo carissimus: qui solus liber, seu potius reipsa dominus est. Qui et pecuniarum cupiditate et mulierum amore superior est: victor voluptatum, etiam illarum quas natura permittit. Qui non furori et iracundiæ succumbit, sed eos affectus in potestate habet. Hic revera Imperator, convenientem actibus suis appellationem sortitus: vere Victor, quippe qui de pertubationibus quæ hominum animos elidere solent, victoriam reportavit. Qui ad primitivum illud exemplar summi omnium Imperatoris effectus est, et effusum ex illo cœlesti exemplari virtutum splendorem in mente velut in speculo refert. Ex his formatus, temperans, bonus, justus, fortis, pius, amator Dei: quodque illi uni convenit, amator sapientiæ est Imperator noster. Quippe qui seipsum probe novit; et qui extrinsecus, seu ut verius dicam, cœlitus sibi concessam esse bonorum omnium influentiam intelligit. Qui singularis imperii augustam appellationem, eximii paludamenti prærogativa demonstrat, et conveniente sibi imperiali purpura solus merito amictus est. Hic vere Imperator, qui noctu atque interdiu cœlestem invocat Patrem: qui in precibus opem ejus implorat: qui cœlestis regni flagrat desiderio. Nam cum intelligat res præsentis sæculi cum summo omnium imperatore Deo minime esse comparandas, quippe quæ mortales sint et caducæ, et amnis instar fluentes atque

asside pereuntes, idcirco corruptionis expers ac spiritale Dei regnum concupiscit. Illud regnum consequi optat ac precatur: præ animi celsitudine, supra ipsos cœli fornices mentem suam attollens, et splendentium illic luminum incredibili quodam desiderio percitus. Præ quibus tenebras esse existimat, quæcumque in hoc mundo pretiosa habentur. Nam imperium quo homines reguntur, cum nihil aliud sit quam mortalis vitæ exigua ac brevis procuratio, haud multo præstantius esse censet quam imperium caprariorum, aut pastorum aut bubulcorum; sed potius difficilius et morosiori præsidens pecori. Sed et populorum acclamationes et voces adulatorum, molestiæ potius deputat quam voluptati, ob constantiam morum et sinceram animi disciplinam. Præterea quoties subditorum obsequium; quoties innumerabiles copias, et tam peditum quam equitum agmina sibi famulantia ac dicto audientia contuetur, nequaquam admiratione percellitur, neque eam ob causam intumescit: sed mentis acie in semetipsum conversa, communem omnium hominum naturam in se quoque agnoscit. Vestem quidem auro intextam et variis floribus pictam; imperialem item purpuram una cum diademate deridet, cernens multitudidem hujusmodi rerum admiratione perculsam, et omnem hunc apparatum velut larvam quamdam more puerorum suspicientem. Verum ipse nihil hujusmodi passus, animum suum scientia Dei, velut vestimento quodam; temperantia; justitia; pietate ac reliquis virtutibus variegato, induit; utpote cultu vero Imperatori maxime conveniente. Ad hæc divitias ad quas hominum vota suspirant, aurum scilicet et argentum et quæcumque in admiratione habentur lapidum genera; lapides revera esse intelligit prorsus inutiles, et rem sine ullo fructu. Qualia igitur ista suapte natura sunt tanti ipse ea æstimat; nihil utique ad depulsionem malorum conducentia. Quam enim vim ac virtutem hæc

habent vel ad sanandos morbos, vel ad mortem propulsandam? Verum quamvis id ita esse apprime norit, tamen ad decentem ornatum subditorum causa iis utitur, animi vigore nihil ob hæc immutato, ridens eos homines, qui ob simplicitatem atque imperitiam ista mirantur. Porro a crapula ac temulentia, et ab exquisitis cupediis, utpote quæ lurconum propriæ sint, abstinet atque abhorret; aliis ista convenire censens, non sibi. Hæc enim plurimum afferre nocumenti, et intellectui tenebras offundere, pro certo habet. His omnibus de causis Imperator, rerum divinarum scientia instructus, et ingenti animo præditus, ad res præsenti vita præstantiores aspirat, cœlestem invocans Patrem, ejusque regnum omnibus votis desiderans, et cuncta cum singulari pietate faciens: universis denique imperio suo subjectis, quos velut optimus magister erudiendos suscepit, summi Imperatoris ac Dei notitiam tradens.

VI. Porro Deus velut pignora quædam futuræ remunerationis ei in antecessum præbens, tricennales ipsi coronas tribuit, felicibus annorum circulis contextas. Jamque terdenis annorum spatiis confectis, publicas populorum, seu potius totius mundi festivitates, universis hominibus celebrare concedit. Interim vero dum mortales floribus cognitionis Dei redimiti exultant, non absurdum fuerit cœlestes etiam choros naturæ legibus incitatos, cum terrenis pariter gaudio exsilire. Ipsumque adeo universorum regem, instar optimi patris lætitia affici credibile est, dum bonos filios Deum rite colentes videt; atque ob id maxime, principem auctoremque earum rerum, pluribus annorum curriculis honorare. Adeo ut non jam satis habeat, ter-denos annorum circulos imperio ejus tribuere: sed illud in longissimum tempus, et in ultimum usque ævum producat. Ævum porro integrum nec senescit unquam nec interit:

ejusque nec initium nec finem mentes mortalium dispicere possunt. Sed neque centrum suum percipi, nec tempus quod præsens nominatur comprehendi a quoquam sinit; nedum futurum aut præteritum. Hoc enim non est, quippe quod jam transiit. Futurum vero nondum adest, ac proinde non est omnino. Præsens autem quod dicitur tempus, simul cum ipsa cogitatione ac locutione, immo etiam citius evolat. Prorsus vero ipsum tanquam præsens apprehendere, non licet. Nam aut futura expectemus, aut præterita contemplemur necesse est. Quippe simul cum ipsa cogitatione fugiens elabitur. Hoc igitur totum ævum, mortalium supputationibus subjici se minime patitur, sed servire illis recusat. Deum tamen regem ac dominum suum agnoscere non renuit, eumque dorso suo insidentem vehit, ornamentis quæ ab illo accepit, sese efferens. Ille vero e sublimi ævum regens, non aurea constrictum catena, ut est apud poetam, sed inexplicabilis sapientiæ vinculis velut habenis quibusdam vinctum ac frænatum; menses ac tempestates, annos, et dierum ac noctium alternas vices cum admirabili quodam concentu in ipso constituit, variisque terminis ac mensuris illud circumscripsit. Nam cum ævum suapte natura rectum sit, et in immensum tendens; dicaturque ævum quasi ἀεὶ ὢν id est semper existens; cumque ipsum suis partibus simile, aut potius partium ac distantiæ expers sit, ipsum quidem in rectum duntaxat productum augescit. Deus vero mediis ipsum segmentis dispertiens, ac velut lineam rectam in longum productam multis dividens punctis, immensam in eo multitudinem conclusit. Cumque unum esset et unitati simillimum, ille variis ipsum numeris illigavit, et ex informi multiforme illud effecit. Nam primum quidem informem materiam, quasi omnium substantiarum receptaculum in eo condidit ac substravit. Deinde in materia qualitatem creavit; bina-

rii numeri potentia decorum faciens, id quod prius expers erat venustatis. Post hæc ope ternarii numerii, corpus ex materia formaque compositum, trium dimensionum capax fecit; longitudinis scilicet, latitudinis et altitudinis. Tum ex geminato binario quaternarium elementorum numerum commentus, terram, aquam, aerem et ignem, quasi perennes quosdam fontes ad hujus universi utilitatem produxit. Porro quaternarius denarium gignit. Unum enim; duo; tria et quatuor, denarium numerum absolvunt. Ternarius autem junctus cum denario, mensis spatium dedit. Mensis autem duodecim circuitionibus, solis cursum absolvit. Ex quo annorum circuli et tempestarum mutationes, informe atque omni specie carens ævum vario quasi colorum lumine distinxerunt, ad requiem et oblectationem eorum qui vitæ spatium decurrunt. Nam ut iis qui spe præmiorum impulsi, in sacris certaminibus cursu contendunt, intervalla stadiis distincta sunt: et quemadmodum longum iter ingressis, via publica mansionibus quibusdam et stadiis definita est, ne quis protacta in immensum expectatione alacritatem animi infringat: sic plane summus omnium imperator Deus, totum ævum sapientiæ vinculis adstrictum moderatur, et instar aurigæ quocumque visum est ducit. Idem ille moderator universi, ævum antea expers figuræ, colorum venustate et amœnitate florum circumvestiens; diem quidem candore ac Solis radiis illustravit; noctem vero atro colore suffundens, stellarum luminibus quasi quibusdam aureis ramentis conspersit. Quinetiam accensa luciferi face, et lunaris luminis varietate, et astrorum splendidissimo cœtu, cœlum omne tanquam ingens peplum multiplici colorum venustate exornavit. Aërem item cum e sublimi in profundum extendisset, ejusque ope totam orbis latitudinem ac longitudinem refrigerasset, omni avium genere decorari præ-

cipit: cunctis per aërem commeantibus tam visibilibus quam invisibilibus, hoc velut immensum pelagus ad na tandum aperiens. Terram denique cum in medio instar centri libravisset, Oceano circumdedit, cæruleo vestis suæ colore exultantem. Hanc vero posteaquam domicilium matremque ac nutricem omnium quæ in ipsa sunt animantium effecisset, et partim pluvialibus, partim fontium aquis irrigasset, omni plantarum ac florum genere virere ad humanæ vitæ oblectationem jussit. Cumque in ea præstantissimum animal ipsique carum divinitati, ad imaginem suam formavisset; hominem scilicet, mente ac scientia præditum, et rationis ac sapientiæ fœtum, principatum ei atque imperium in reliqua quæ humi serpunt et pascuntur animalia, concessit. Quippe Deus hominem præ reliquis terræ animantibus amore complexus est; et tanquam pater omne brutorum genus ejus obsequio ac ministerio deputavit. Hujus gratia mare navigabile effecit, terramque omni plantarum genere exornavit. Huic ingenium scientiis idoneum, et omnium disciplinarum capax largitus est. Huic animalia in profundo natantia, et per sublime volantes aves, in manus tradidit. Huic cœlestium rerum scientiam et contemplationem aperuit; lunæ cursus; solis conversiones, et errantium ac fixorum siderum circuitus patefecit. Huic denique soli ex omnibus quæ in terra sunt animantibus, Patrem cœlestem agnoscere, et summum totius ævi Imperatorem laudibus celebrare, in mandatis dedit. Præter hoc omnia magnus ille mundi Opifex, immutabile ævum quatuor anni mutationibus cinxit: hiemis quidem tempestatem terminans vere: ver autem quod anni tempestatum initium est, velut æqua lance ponderans. Deinde cum universum ævum multiplicibus veris fructibus exornasset, æstatis ardori illud tradidit. Postea vero velut laboris cessationem ac requiem concedens, autumnali in-

tervallo ipsum refocillavit. Postremo velut regium equum, humidis hibernorum imbrium lapsibus ipsum abstergens et ea alto fluentibus aquis politum ipsum ac splendidum reddens, et assiduis pluviarum irrigationibus pinguefaciens, rursus ipsum in veris constituit vestibulo. Ad hunc modum summus omnium Imperator, cum ævum suum totius anni circulo hujusmodi divinæ sapientiæ habenis adstrinxisset, præstantissimo moderatori illud regendum tradidit, unigenito scilicet Verbo : cui utpote communi omnium rerum conservatori, hujus universi habenas commisit. Ille vero velut hereditaria sorte ab optimo Patre accepta, cuncta quæ tam interiore quam exteriore cœli ambitu continentur concordi inter se consensu divinciens, recta progreditur; rationalibus suis alumnis qui in terris degunt, quæcumque ad ipsorum utilitatem pertinent, summa cum æquitate prospiciens. Certoque vivendi spatio mortalibus præstituto, universis hominibus concessit, ut in hac vita præstantioris cujusdam et æternæ vitæ proludiis exercerentur. Nam post hujus curriculum aliam præterea divinam ac beatam vitam superesse docuit ; iis qui hujus vitæ certamen cum spe cœlestium bonorum obiissent, reconditam ac præparatam. Et eos quidem qui modeste ac pie vitam transegerint, hinc ad meliora migraturos : illis vero qui in hac vita scelerum convicti fuerint, congruas sedes paratas esse præmonuit. Posthæc sicut in distribuendis certaminum præmiis fieri solet, varias cujusque generis coronas victoribus clara voce pronuntians; alios quidem aliis virtutum præmiis coronat. Bono autem Imperatori, qui pietatis ornamentis decoratus sit, longe majora certaminum præmia præparata esse denuntiat. Quorum quasi præmia quædam hic celebrari permittit, festivitatem scilicet ex perfectis numeris compositam, ternariis, et unitatibus triplicatis. Ac primus quidem ternarius, unitatis partus est : unitas vero

numerorum mater, cunctis mensibus ac tempestatibus, annis quoque et omnibus temporum circulis præsidet. Quæ multitudinis omnis principium, fundamentum atque elementum merito dici potest; μονὰς a manendo appellata. Quippe cum omnis multitudo minuatur atque augescat pro numerorum imminutione aut adjectione, sola unitas stabilitatem ac firmitatem sortita est, ab omni multitudine et procreatis ex se numeris segregata. Ideoque indivisibilis illius et ab aliis omnibus discretæ substantiæ imaginem præfert, cujus vi ac participatione, universarum rerum natura subsistit. Unitas enim omnis numeri opifex est: quandoquidem compositione et adjectione unitatum, omnis constat multitudo. Et sine unitate quidem, numerorum substantia cogitatione comprehendi non potest. Ipsa vero extra multitudinem subsistit, longissime secreta, et omnibus numeris præstantior; cuncta faciens et constituens; ipsa vero a nullo incrementum accipiens. Hujus autem affinis est ternarius, qui nec ipse scindi nec dividi potest, primusque est numerorum qui ex paribus et imparibus compositi sunt. Nam binarius numerus par, adjuncta sibi unitate ternarium, primum numerorum imparium procreavit. Porro ternarius justitiam primus hominibus ostendit, æqualitatem docens: quippe qui principium, medium, ac finem, habeat æqualia. Atque hæc mysticæ, sacro-sanctæ et regiæ Trinitatis imaginem referunt; quæ cum in natura ortus ac principii experte consistat, omnium quæ ortum habent substantiarum semina, rationes, causasque in se continet. Et ternarii quidem potentia, omnium rerum principium jure merito conseatur. Denarius vero finem numerorum omnium continens, cuncta ad se usque progressa sistit ac terminat: plenusque et undequaque perfectus merito appellatur, quippe qui omnes species, omnesque numerorum, rationum, concentuum

et harmoniarum modos ac mensuras complectitur. Unitates certe per compositionem auctæ, denario finiuntur: et decadem matrem ac terminalem limitationem sortitæ, tanquam in Circensi curriculo circa hanc metam decurrunt. Deinde secundo, tertio et quarto, usque ad decimum confecto circuitu, centenarium numerum ex decem denariis implent. Hinc ad primos carceres reversæ, ac repetito iterum cursu ad denarium progressæ; postquam centenarium decies circuiverint, iterum retrocedentes, circa easdem metas longissimos cursus conficiunt, a seipsis in semetipsas per gyrum redeuntes. Quippe in denario unitas, pars decima est; decemque unitates unum efficiunt denarium. Denarius vero, terminus; finis; meta ac perfectio est unitatum: Meta quidem infinitatis numerorum: finis vero, id est, perfectio unitatum. Porro ternarius cum denario simul junctus, ubi decem circuitionum orbem peregerit, tricenarium gignit numerum maxime naturalem. Quod enim ternarius est in unitatibus, idipsum in denariis est tricenarius. Hic etiam certus est limes magni illius luminaris, quod secundum est a Sole. Quippe Lunæ cursus a coitu cum Sole ad proximum coitum, mensis orbem conficit: quo confecto, rursus quasi ortus initium adepta, novum lumen, novosque dies instaurat. Ac triginta quidem unitatibus, tribus vero exornatur denariis, ac ternariis decem. Iisdem dotibus a summo omnium bonorum largitore exornatum imperium Augusti nostri Victoris, et orbis terrarum domini, novorum bonorum initium sumit, hactenus quidem tricennalium festivitatem explens; ab hinc vero longiora jam intervalla temporum attingens, et spem futurorum bonorum in cælesti spondens regno. Ubi non unicus sol, sed innumerabilium luminum agmina circa summum omnium Imperatorem exultant: quorum singula Sole ipso splendidiora sunt, et radiorum ex æterno fonte

manantium fulgore illustrantur. Ubi vita est animi in bonorum incorruptibili pulcritudine; ubi vita omni molestia libera; ubi modestæ sanctæque voluptalis fruitio; tempus sine tempore; ævum longum ac finis expers, et in spatia nullo termino circumscripta porrectum; nec amplius dierum ac mensium intervallis, nec annorum circulis, nec tempestatum vicibus distinctum, sed vitæ cuidam in immensum productæ sufficiens. Quæ non Solis radiis nec astrorum Lunæve splendore illustratur; sed luminare ipsum habet Deum Verbum, unigenitum Filium summi omnium Imperatoris Dei. Quam ob causam illum Solem esse justitiæ, et omnium luminum præstantissimum lumen, divinis arcanæ Theologiæ sermonibus traditur. Eumdemque beatissimas illas potestates justitiæ radiis et sapientiæ splendore collustrare, et animas hominum vera pietate exornatas, non cœli ambitu, sed sinu suo accipientem, promissa sua rebus ipsis firmare atque adimplere credimus. Mortalium vero nec oculus vidit nec auris accepit; nec mens carnis mole circumdata perspicere unquam poterit, ea quæ pietate præditis hominibus sunt præparata: quæ item tibi, religiosissime Imperator. Cui soli ex omnibus qui unquam extiterunt, summus ille hujus universi Imperator Deus id largitus est, ut vitam hominum prepurgares. Cui etiam salutare signum ostendit, cujus virtute cum mortem superasset, triumphum de hostibus egerat. Quod quidem victoriæ tropæum et dæmonum flagellum, cum tu simulacris erroris opposuisses, de omnibus impiis hostibus et Barbaris, ac de ipsis dæmonibus quod aliud est barbarorum genus, victoriam reportasti.

VII. Nam cum duæ in nobis sint substantiæ sibi invicem conjunctæ, animi scilicet et corporis; quorum hoc quidem conspectui expositum est, ille ab oculis remotus;

adversus utrumque eorum duo hostium ac barbarorum genera; alterum occulte, alterum palam, et aperto marte aciem instruunt. Et alterum quidem corpora componit corporibus: alterum vero in corporeis cujusque modi machinis nudum hominis animum oppugnat. Porro barbari illi qui sub aspectum cadunt, velut Nomades quidam feri et agrestes, qui nihil a belluis distant, in mansuetos hominum greges impetum faciunt, agros populantur, urbes in servitutem redigunt, et tanquam immanes lupi ex solitudine prorumpentes, in civitatum incolas irruunt, et quoscumque potuerint interimunt. Invisibiles autem hostes, qui et barbaris omnibus crudeliores sunt, dæmones scilicet animorum corruptores, per aërem circumvolitantes, superstitionis impiæ machinis universum genus humanum subditionem suam redegerant: adeo ut verus Deus non amplius ab ipsis Deus haberetur, sed multiplici errore absque ullo divinitatis cultu hac illac circumferrentur. Deos enim qui nusquam et nullibi sunt, nescio unde sibi asciscentes, eum qui solus ac verus est Deus, perinde ac si non esset, nullo in pretio habuerunt. Itaque et corporum generatio ab iis pro Deo culta est: et contrarium huic numen, corporum videlicet interitus ac dissolutio. Ac prior quidem ille Deus, utpote generationis auctor, Veneris nomine et mysteriis honorabatur. Posterior vero utpote opibus pollens, et humanum genus viribus superans, Pluto et orcus appellabatur. Quippe homines illius ætatis, cum nullam aliam agnoscerent vitam præter eam quæ ex generatione sumit initium, ideo illius vitæ causam et ortum, Deum esse asseruerunt. Et cum posto bitum homines nihil amplius esse crederent, victorem omnium et summum Deum esse Interitum pronuntiarunt. Deinde ob illam quæ in morte fit dissolutionem, nulli posthac rationem se reddituros rati, vitam minime vitalem degere instituerunt; ejusmodi per-

petrantes facinora, quæ mille mortibus luenda essent. Quippe qui nec Deum animo reputarent; nec divini judicii tribunalia expectarent; nec animorum suorum substantiam sibi in memoriam revocarent: sed unum tametsi gravem et acerbum patronum agnoscentes Interitum, et ab illo factam corporum dissolutionem, totius hominis internecionem esse sibi ipsis persuadentes, magnum atque opulentum Deum Interitum, eamque ob causam Ditem nominarent. Deus igitur illis fuit Interitus; non ille quidem solus; sed præ illo quæcumque plurimi æstimabant, ea videlicetque ad mollem ac delicatam eorum vitam conferebant. Deus enim ab illis habebatur volupias corporis; Deus nutritio; Deus germinatio; Deus arborum fructus; Deus ebrietas et commessatio; Deus carnalium rerum cupiditas, Deus denique earumdem rerum voluptas. Hinc Cereris ac Proserpinæ mysteria. Hinc raptus Proserpinæ a Plutone, ejusdemque restitutio. Hinc Bacchi sacrorum initiationes; et Hercules a temulentia tanquam a potiore Deo superatus. Hinc Cupidinis ac Veneris orgia adulteriis plena; hinc Jupiter ipse in mulieres insaniens, et Ganymedis amore captus: hinc lascivarum commenta fabularum, de Diis voluptati ac mollitiæ deditis. Tot igitur ac tantis impiæ superstitionis telis crudeles barbari, Deique summi omnium Imperatoris hostes, humanum in terris genus obruerunt, tandemque sub potestatem suam redegerunt: adeo ut impietatis simulacra ubique terrarum ab illis erigerentur, templaque ac delubra falsæ divinitatis, in quolibet terrarum angulo extruerentur. Quinetiam ii qui tum dominari putabantur, usque adeo mancipati erant huic errori, ut tribulium et necessariorum suorum cæde Diis istis litarent, et adversus veritatis propugnatores, gladios acuerent, bellumque inexpiabile et impias manus, non contra alienigenas et barbaros hostes inferrent, sed

contra domesticos et cognatos ; contra fratres et amicos ; qui vitæ gravitate ac modestia, et institutis veræ pietatis, divinum numen colere atque observare instituerant. Ad hunc modum hi quidem insania perciti, viros summo omnium Imperatori dicatos, quasi victimas dæmonibus suis mactabant. Illi vero utpote generosi veræ pietatis testes, et gloriosam pro veritatis defensione mortem vitæ ipsi anteponere assuefacti, tantam tyrannicæ dominationis violentiam nihili fecerunt : quin potius, sicut milites Dei decebat, tolerantiæ armis muniti, quodvis mortis genus despectui habuerunt : ignem scilicet ac ferrum, clavorum confixiones ; bestias ; profundos maris gurgites ; abscissiones membrorum ac perustiones ; effossiones oculorum, totius corporis mutilationes ; famem denique et metalla ac vincula. Quæ quidem omnia ob amorem quo erga regem suum flagrabant, omnibus bonis ac deliciis potiora esse sibi persuaserant. Mulieres quoque non minori præditæ robore quam viri, aliæ eadem quæ viri certamina subeuntes, æqualia virtutis adeptæ sunt præmia. Aliæ cum raperentur ad stuprum, vitam citius quam pudorem corporis sui prodere sustinuerunt. Sexcentæ item aliæ, cum stupri minas tuas provinciarum Præsides ipsis intentabant, ne auditu quidem tenus ferre potuissent, omnia tormentorum genera, et quamcunque capitalem sententiam forti animo pertulerunt. Ad hunc modum summi omnium Imperatoris Dei antesignani, adversus exercitum multos colentium Deos fortissime decertabant. Dæmones vero utpote hostes Dei, et humanæ salutis inimici, quibusvis barbaris crudeliores, ejusmodi libationibus humani cruoris delectabantur. Eorumque adjutores et administri, talia ipsis pocula ex injustis cædibus propinabant : dirum hoc atque impium epulum, ad perniciem generis humani eis præbentes. Quæ cum ita se se haberent, eorum qui opprimebantur Deus ac

Dominus quid facere debuit? utrum carissimorum hominum salutem negligere, et familiares suos hunc in modum oppugnatos despicere? Atqui nec gubernator ille prudens unquam dici posset, qui navem simul cum ipsis vectoribus mergi sineret; nec quidquam ad navigantium salutem solertia sua atque industria contulisset. Neque dux ille cautus unquam et providus diceretur, qui necessarios suos inultos atque indefensos hostibus prodidisset. Sed neque bonus pastor ovem gregis sui a reliquo agmine aberrantem, absque ullo doloris sensu neglexerit: quin potius cæteris omnibus quibus bene est, in tuto relictis, unius ejus quæ aberravit servandæ causa, nihil non libentissime passurus sit: paratus etiam cum immanibus bestiis, si opus esset, decernere. Enimvero summus omnium moderator, non de ove rationis experte laborabat, sed pro exercitu suo: pro his qui ipsius causa oppugnabantur, omni cura ac studio satagebat. Quorum certamina et pro pietate exantlatos labores cum judicio suo comprobasset, eos quidem qui jam ad ipsum migrassent, triumphalibus apud se ornamentis decoratos, cœlestibus Angelorum choris adscripserat. Alios vero velut rediviva quædam pietatis semina, adhuc in terra servavit ad posteros; ut et sumpti de impiis supplicii spectatores, et rerum gestarum quas ipsi suis oculis aspexissent, narratores existerent. Posthæc cum ad ulciscendos hostes brachium suum extendere cœpisset, ipso statim nutu illos quidem repente e medio sustulit, et cœlitus inflictis verberibus prius excruciatos, palinodiam scelerum suorum suo ipsos ore canere, vel invitos coegit. Hos vero qui humiles erant et abjecti, et ab omnibus propemodum deplorati, Deus ab humo in sublime fastigium extulit. Atque id summus omnium Imperator Deus cœlitus perpetravit, cum famulum suum quasi quemdam invictum militem, in medium produxisset. Gaudet enim Imperator noster ob

eximiam pietatem, Dei famulus appellari. Quem quidem Deus omnium cujusque generis hostium victorem præstitit, cum illum solum contra plurimos excitasset. Nam illi quidem erant innumerabiles; multique, utpote multorum dæmonum amici. Immo vero nihil erant; ideoque in præsentia nihil sunt. Hic autem unus ex uno Imperator, unius Dei summi omnium Imperatoris effigiem gerit. Illi animis impiis præditi, pios viros cruentis cædibus sustulerunt; hic Servatoris sui exemplum imitatus, nec quidquam aliud quam servare homines callens, ipsos etiam impios servavit, ad veram pietatem eos instituens. Deinde vero, utpote revera Victor, duplex illud Barbarorum genus superavit: homines quidem ipsos barbarica feritate præditos, prudentibus legationibus mansuefaciens, cogensque potioribus sese submittere, et ab illegitima ac belluina vivendi ratione eos ad civilem humanioremque traducens. Illud vero crudele atque efferatum invisibilium dæmonum genus, rebus ipsis convincens, jampridem a Deo fuisse superatum. Nam communis quidem omnium Servator, invisibiles spiritus invisibili quadam virtute profligaverat. Hic vero tanquam summi Imperatoris legatus, victos persecutus est; eos qui jamdudum mortui consumptique essent, spolians, et victoris Dei militibus manubias abunde distribuens.

VIII. Nam cum imperitam hominum multitudinem instar infantium, hujusmodi erroris larvas ex auro argentoque fabrefactas frustra expavescere intelligeret, eas e medio tollendas esse censuit; quippe quæ velut offendicula quædam essent, ante hominum in tenebris incedentium pedes projecta; planumque deinceps et æquabile iter viæ regiæ cunctis esse aperiendum. Quæ cum apud se reputasset, non militum manu, nec exercituum multitudine ad hæc reprimenda sibi opus esse existimavit: sed unus et alter ex

familiaribus, ad hoc munus obeundum ei suffecit: quos ille solo duntaxat nutu in omnes provincias direxit. At illi tum Imperatoris pietate, tum sua ipsorum erga Deum religione confisi, per confertissimas hominum turbas et per numerosam plebem transeuntes, passim per urbes et agros vetusti erroris latebras pervestigarunt. Ac primum quidem sacerdotes ipsos non sine risu ac dedecore ex obscuris quibusdam recessibus Deos suos proferre jubebant. Dehinc eosdem Deos exteriore cultu nudantes, interiorem deformitatem quæ sub picta latebat effigie, omnium conspectui subjiciebant. Postremo abrasa utiliore materia, et in ignem conjecta atque conflata; ipsi quidem id quod commodum ac necessarium esse videbatur, sepositum reservabant. Quidquid vero superfluum ac prorsus inutile erat, ad perpetuam opprobrii memoriam superstitiosis reliquerunt. Aliud quid etiam huic simile præstitit princeps omni admiratione dignus. Eodem enim tempore quo mortuorum simulacra ex pretiosa materia confecta, eo quem diximus modo spoliabantur, cætera quæ ex ære fabrefacta erant, convehenda curavit. Itaque Dii illi anilibus Græcorum fabulis celebrati, circumjectis restibus vincti abducebantur. Post hæc Imperator velut splendidissimam facem ex specula quadam attollens, undique regalibus oculis circumspicere cœpit, cicubi abditæ adhuc erroris reliquiæ superessent. Ac veluti aquila quædam acutissimo visu prædita, cum pennis in cœlum usque subvecta est, ea quæ in terris sunt longissimo intervallo distantia, ex sublimi facillime despicit: sic ille, dum in pulcherrimæ urbis suæ palatio versatur, exitialem quamdam animarum decipulam in Phœnice latere, tanquam e specula prospexit. Lucus hic erat ac delubrum, quod non in media urbe, nec in foro aut plateis positum erat, cujusmodi multa visuntur in civitatibus, ornamenti causa ambitiose constructa: sed devium,

procul a triviis et publico calle : fœdissimo dæmoni quem Venerem appellant, in parte verticis Libani montis consecratum. Erat illic schola quædam nequitiæ, omnibus obscenis hominibus et qui corpus suum omni licentia corruperant, aperta. Quippe effeminati quidam, et feminæ potius dicendi quam viri, sexus sui gravitate abdicata, muliebria patientes, dæmonem placabant. Ad hæc illegitimi concubitus et adulteria ; fœdaque et nefaria flagitia eo in templo, tanquam in loco ab omni lege ac rectore vacuo, peragebantur. Nec quisquam erat, qui ea quæ illic gerebantur observaret ; propterea quod nemo vir gravis ac modestus eo accedere audebat. At non etiam Imperatorem maximum latere potuerunt quæ ibi perpetrabantur scelera. Sed cum imperialis providentiæ oculo ea ipsemet inspexisset, hujusmodi templum indignum censuit quod Solis radiis illustraretur. Proinde illud una cum simulacris ac donariis, totum funditus everti jussit. Confestim igitur lascivi erroris machinamenta, Imperatoris præcepto dissipata sunt, militibus ad purgandum locum operam suam præbentibus. Et qui lasciviæ hactenus dediti fuerant, Imperatoris minis perterriti, modeste se gerere didicerunt. Hunc in modum Imperator cum larvas et integumenta nequitiæ quæ vulgi animos seducebat, omnium oculis subjecisset, Servatorem suum coram universis prædicavit. Nec fuit quisquam, qui convictis ac deprehensis subveniret ; non dæmon aut Deus ; non vates aut hariolus. Neque enim hominum mentes in profunda caligine amplius volutabantur ; sed veræ pietatis radiis illustratæ, majorum suorum ignorantiam condemnabant, eorumque cæcitatem miserabantur, seque ipsas beatas judicabant, quæ gravissimo errore liberatæ essent. Ad hunc modum Dei optimi nutu, et Imperatoris opera, universum hostium genus tam aspectabilium, quam eorum qui oculorum aciem

effugiunt, brevi temporis spatio deletum est : ac deinceps pax optima juventutis educatrix, orbem terrarum occupavit. Nec bella amplius erant, cum utique nec Dii essent. Sed neque pugnæ per agros perque urbes exstiterunt, sicut antea, cum dæmonum cultus vigeret ; nec amplius inter homines cruor passim fundi visus, ut antea, cum impiæ superstitionis invaluisset furor.

IX. Opportunum nunc tempus est, ut recentia cum veteribus comparemus, et rerum in melius factam mutationem ex collatione deteriorum intueamur, videamusque quo pacto olim quidem vestibula, delubra, luci ac templa, in singulis urbibus ambitiose erant ipsis exstructa, et plurimis donariis exornata. Ac tyranni quidem qui tunc temporis dominabantur, Deos maximo in pretio et honore habebant. Gentes quoque et populi in agris atque in locis omnibus, in privatis etiam domibus, in penariis scilicet cellis ac thalamis, statuis eos ac signis juxta patrios ritus honorabant. Fructus autem pietatis illis contigit, non illa quam nunc oculis cernimus pax; sed omnia prorsus contraria, bella nimirum, pugnæ et seditiones, quibus toto vitæ suæ spatio divexati, sanguine atque intestinis cædibus regiones suas compleverunt. Dii porro qui ab ipsis colebantur, vaticinia quidem et oracula, et rerum futurarum præscientiam promittebant iis qui tunc rerum potiebantur, turpiter adulantes. Iidem vero suum ipsorum exitum prævidere ac sibi ipsis prædicere minime potuerunt. Quod quidem maximum argumentum est ad fraudem eorum convincendam. Nullus certe ex iis qui oraculorum causa olim in admiratione fuerant, splendidissimum communis omnium Servatoris in terras adventum, et cognitionis divinæ ab illo primum traditæ novam prædicationem unquam prædixit. Sed nec Pythius ipse, nec alius quisquam ex

magnorum dæmonum numero, vastitatem suam præscivit; nec quis ipsos expugnaturus atque eversurus esset, vaticinatus est. Quis item hariolus aut vates, Deorum quidem cultum novi cujusdam in terris adventu penitus exstinctum iri prædixit; summi vero omnium rerum moderatoris notitiam universis hominibus tradendam esse? Quis hunc sanctum ac religiosum principatum, quis hunc ipsum victorem, quis tropæa ab ipso contra dæmones ubique erecta, et excelsorum destructionem prævidit? Jam simulacra igni conflanda esse, et ex inutili specie in necessarios usus vertenda, quis Heroum unquam pronuntiavit? Quis Deorum, de statuis suis quæ conflantur et in tenues laminas non sine ludibrio conscinduntur, mentionem unquam fecit? Ubinam, quæso, erant illorum defensores, ut monumentis sibi consecratis, quæ ab hominibus destruebantur subvenire non possent? Ubinam sunt, qui bella antea concitabant, et qui nunc expugnatores suos in summa pace degentes conspicantur? Ubinam sunt, qui illis tanquam Diis confidebant, et inani persuasione animos suos extulerant; qui cum errorem quidem superstitionis suæ ad summum culmen evexissent, bellum vero injustum adversus veritatis propugnatores suscepissent, miseri misere perierunt? Ubinam gigantum catervæ contra Deum ipsum pugnantium? Ubi draconum sibilla, qui linguas suas acuentes adversus summum omnium moderatorem, voces impias emittebant? Enimvero illi, summi omnium Imperatoris seipsos hostes professi, Deorum freti multitudine, cum ingentibus armatorum copiis irruebant; mortuorum simulacra in statuis anima destitutis præferentes. Hic vero noster Imperator lorica pietatis indutus, cum salutare ac vivificum signum, tanquam terriculamentum et malorum propugnaculum hostium multitudini opposuisset, de hostibus pariter ac dæmonibus victoriam reportavit. Post hæc

gratum animum suum ostendens, precibus cum gratiarum actione Deo qui victoriæ auctor fuerat, persolutis, clara voce, et monumentis statuarum erectis, triumphale signum cunctis hominibus prædicavit; in medio urbis regiæ insigne hoc tropæum contra omnes hostes statuens, cunctisque diserte præcipiens, ut hoc salutare signum quod nulla unquam ætas deletura est, imperii Romani, id est orbis totius præsidium agnoscerent. Atque hoc tum universos homines docuit, tum in primis milites. Neque enim eos in hastis armisque, nec in corporis robore spem ponere oportere; sed summum Deum, omnium bonorum ipsiusque adeo victoriæ largitorem agnoscere. Sic Imperator (ô rem pene incredibilem!) exercitui suo precationum magister ipse atque institutor fuit; piasque ipsis preces divinis legibus ac cæremoniis congruentes tradidit, ut manibus quidem in cœlum sublatis, mentis autem oculis altius ad ipsum usque cœlestem regem erectis, illum victoriæ auctorem, illum Servatorem, custodemque et adjutorem in orationibus invocarent: Utque diem precationibus congruum existimarent eum, qui revera primus et caput cæterorum, et qui vere dominicus est ac salutaris; quique lucis, vitæ, immortalitatis atque omnis boni vocabulo appellatur. Quinetiam ipse sibi tantorum bonorum præceptor factus, in ipsis regiæ penetralibus Servatorem suum veneratur, et nunc precando, divinas implet leges ac cæremonias, nunc sacrarum Scripturarum auscultatione animum suum instituit. Præterea homines Deo consecratos, qui vitæ gravitate, et reliquis virtutibus ornati essent, ministros, et totius domus custodes ordinavit. Denique, Protectores et stipatores fidi, benevolentiæ armis muniti, Imperatorem ipsum pietatis magistrum agnoscunt. Porro Imperator triumphale illud signum colit, utpote latentem in eo vim divinitatis expertus. Etenim hostium agmina ab-

hoc signo in fugam versa, et invisibilium dæmonum exercitus profligati. Hoc signo insolentia eorum qui Deo bellum indixerant, compressa, et maledicorum atque impiorum linguæ constrictæ. Hoc signo barbaræ gentes subactæ, et superstitiosi dæmonum cultus, fraudes ac ludibria convicta sunt. Huic denique (quod omnium bonorum caput ac summa est) Imperator quasi debitum quoddam persolvens, ubique terrarum arcus triumphales erexit. Templa item ac delubra in ejus honorem constituit, regali opulentia ac liberalitate; et oratoria construi omnibus præcepit. Confestim igitur in mediis provinciis ac civitatibus, eximia Imperialis magnificentiæ opera exstrui cœpta; brevique temporis spatio in omnibus provinciis refulserunt, tyrannicæ dominationis impietatem aperte confutantia. Hi enim nuper præcipiti furore ad bellum contra Deum gerendum impulsi, instar rabidorum canum, in ædificia sensu carentia, quandoquidem in Deum ipsum non poterant, vim omnem effuderant; et oratoria, ab ipsis culminibus ad solum usque disturbantes, ac fundamenta ipsa eruentes, captæ urbis imaginem spectantibus præbuerant. Hujusmodi scelerum tragœdia ab illis acta est, in qua Deum ipsum oppugnare aggressi, furoris sui illico ultionem senserunt. Vix enim breve temporis spatium intercesserat, cum procella cœlitus invecta, omnes uno momento abripuit atque delevit: adeo ut nec genus, nec soboles, nec ullum vestigium nominis eorum inter homines relictum sit; sed omnes licet numero plurimi essent, verberibus divinitus inflictis excruciati, funditus perierint. Et hi quidem furoris sui quo adversus Deum insurrexerant, hujusmodi exitum nacti sunt. Hic vero qui salutaris tropæi præsidio munitus, solus in hostes irruerat; aut potius non solus (aderat, enim ipsi et auxilium ferebat is qui solus est Imperator) nova oratoria longe præstantiora iis quæ paulo

ante expugnata fuerant, exstruxit; et posteriora multo magnificentiora prioribus effecit : nunc urbem nominis sui variis Dei illustrans Ecclesiis, nunc urbem totius Bithyniæ facile principem, amplissima et pulcherrima exornans Basilica. Sed et in reliquis provinciis, urbes nobilissimas hujusmodi ornamentis decoravit. Ceterum cum duo præcipua Orientis loca elegisset; alterum in Palæstina, propterea quod salutaris fidei rivus inde tanquam ex fonte in omnes gentes exundavit; alterum in urbe totius Orientis metropoli, quæ ab Antiocho nomen accepit : in hac quidem tanquam in vertice omnium ejus tractus provinciarum, singulare quoddam opus seu amplitudinem, seu decorem spectes, Deo consecravit. Quippe universum templum longo extrinsecus ambitu circumscripsit : interius vero Basilicam ipsam ad summam erexit altitudinem, eamque octaedri forma constructam varie exornavit, et plurimis undique cubiculis exhedris circumdatam, diversis cujusque generis ornamentis venustavit. Et hæc quidem confecta sunt in hunc modum. In provincia autem Palæstina, apud civitatem quæ Hebræorum regia quondam sedes fuit, inipso urbis meditullio, ad locum Dominici sepulcri, Basilicam immensæ amplitudinis, et ædem sacram in honorem sanctæ Crucis omni magnificentiæ genere exornavit. Et monumentum Servatoris sempiterna memoria dignum, illiusque tropæa contra mortem erecta, ornamentis quæ dicendo exprimi nequeunt, decoravit. Cumque tria elegisset loca tribus sacris et mysticis speluncis honorata, singula magnificis ædificiis ornavit : ei quidem speluncæ in qua Deus primum apparuit, congruum honorem impendens, in altera autem, ultimæ illius assumptionis in montis vertice illustrans memoriam : in illa vero spelunca quæ inter utramque media est, Servatoris nostri certamina et victoriam extollens. Has omnes speluncas Imperator magnifice

exornavit, salutare crucis signum universis hominibus prædicans. Porro hoc signum Imperatori mercedem pietatis rependens, totam ipsius domum et imperium amplificat, regnique tempus multis annorum circulis confirmat; optimis liberis ejusque generi et eorumdem posteris virtutis fructus ac præmia reservans. Atque hoc maximum est argumentum potentiæ, ejus qui ab Imperatore colitur Dei, quod rectam justitiæ lancem paribus utrimque momentis librans, utrique parti congruam mercedem attribuit. Nam illos quidem qui sacras ædes expugnaverant, impietatis pœna e vestigio insecuta est. Quippe omnes illico sine stirpe, sine domo, sine lare, e medio sublati sunt. Hic vero qui dominum suum omni genere pietatis colit atque observat, et nunc Basilicas in honorem ejus instruit, nunc donariis ubique terrarum consecratis illum subditis suis commonstrat, jure merito eum familiæ, imperii ac generis sui Servatorem custodemque habere cernitur. Hoc modo Dei gesta per divinam salutaris signi virtutem omnibus innotuerunt.

X. De quo signo plurima dici possunt, quæ norunt ii qui sacræ Theologiæ mysteriis initiati sunt. Est enim hoc revera salutare signum; dictu quidem mirandum, intellectu autem ipso longe admirabilius: quo pacto confictas jam inde a priscis temporibus de Diis fabulas, simul atque in terris visum est, per seipsum obscuravit, ac tenebras quidem atque errorem oblivioni tradidit, intellectualem vero lucem, quæ hominum animos illustraverat, unum scilicet ac verum Deum, omnibus patefecit. Itaque nunc omnes ad meliora conversi, mortuorum quidem simulacrorum vultus conspuunt, et impios dæmonum ritus conculcant, et vetustum errorem a majoribus propagatum irrident. Contra vero sacro-sanctæ fidei scholis constitutis,

omnes tanquam salutaris disciplinæ præceptis imbuuntur: adeo ut non amplius res creatas quæ corporis oculis cernuntur, reformident, nec sursum versus ad solem, lunam, et sidera sublatis oculis, in eorum admiratione subsistant; sed illum qui hæc omnia transcendit, quique nec visu nec sensu ullo percipi potest, omnium rerum conditorem esse fateantur, eumque unum colere discant. Tot bonorum auctor mortalibus exstitit, magnum et admirabile hoc signum. Cujus vi ac virtute, mala quidem quæ prius erant, nunc esse desierunt: quæ vero ante non erant bona, irradiante jam pietatis luce ubique resplendent. Sermones item et præcepta atque hortationes ad vitam modeste ac religiose instituendam, cunctis gentibus prædicantur; ipseque adeo Imperator hujusmodi prædicationem instituit. Atque hoc maximum miraculum est, quod tantus Imperator contentissima voce, tanquam interpres summi omnium moderatoris Dei inclamans, omnes qui ipsius curæ commissi sunt, ad veri Dei cognitionem vocat. Quodque in medio palatio non ut antea moris fuit, impiorum hominum nugæ, sed sacerdotes ac ministri Dei, pietate conspicui, regiis hymnis ac laudibus festum diem celebrant. Quod unus Deus qui hujus universi Imperator est, omnibus annuntiatur; et Evangelicus sermo cuncta nobis bona promittens, humanum genus Deo cunjungit, Patrem cœlestem suis in terra filiis propitium ac benevolum nuntians. Quod eum chori triumphalibus cujusque generis canticis venerantur, et universum hominum genus una cum angelicis agminibus concinit, et rationales animi corporibus quibus induti sunt, velut musicis quibusdam instrumentis utentes, hymnos ipsi convenientes gratasque laudes cum admiratione persolvunt. Quod ii qui Occidentis tractum incolunt, una cum Orientalium partium incolis, uno eodemque temporis momento ipsius præceptis erudiuntur: et qui ad Septen-

trionem habitant, simul cum iis qui ad Meridiem degunt, uno concentu resonant; iisdem moribus ac legibus religiosum vivendi genus consectantes, et unum quidem qui super omnia et collaudant Deum, unum vero, unigenitum scilicet ejus filium, Servatorem et omnium bonorum auctorem agnoscunt, unum quoque orbis terrarum correctorem atque Imperatorem, et Deo amabiles ejusdem liberos norunt. Hic vero instar periti gubernatoris in sublimi sedens, clavumque manu tenens, recto cursu navem dirigit, omnesque subditos ad tutum ac tranquillum portum secundo vento perducit. At Deus summus omnium Imperator dextram ipsi ab alto porrigens, hactenus quidem omnium inimicorum et hostium victorem eum præstat, et multis annorum circulis imperii robur amplificat. Sed longe præstantiorum bonorum participem eum præterea facturus est, et promissa sua rebus ipsis ei approbaturus, quæ quidem promissa, præsens tempus adhuc commemorari non patitur: sed expectandus est ex hac vita discessus, quando quidem mortalibus oculis et carneis auribus, divina comprehendi nullatenus possunt.

XI. Age vero, Victor Maxime Constantine, tibi nunc in hoc imperiali de summo omnium Imperatore conscripto libro, arcanorum sermonum mysteria tradamus; non quo te doceamus qui divinitus institutus est, nec quo arcana tibi retegamus, qui Deus ipse multo ante sermones nostros, non ab hominibus nec per hominem aliquem, sed per ipsum communem omnium Servatorem, perque divinitatis suæ præsentiam quæ tibi sæpius affulsit, occulta sacra operuit ac nudavit: Sed ut rudes et ignaros homines, ad veritatis notitiam perducamus, tuorumque pie et religiose factorum causas ac rationes, ignorantibus suggeramus. Nam ea quidem quæ in honorem et cultum summi omnium Imperatoris

Dei, tua eximia virtus per universum orbem terrarum quotidie gerit, omnium mortalium sermone celebrantur. Quæ vero in nostro solo (Palæstinam provinciam intelligo) in eaque urbe ex qua tanquam ex fonte salutaris sermo in omnes homines exundavit, custodi ac Servatori tuo consecrasti grati animi monumenta; et quæ in oratoriorum ædificiis et ædium sacrarum dedicationibus erexisti tropæa victoriæ de morte reportatæ; excelsa, inquam, illa et pulcherrima Imperialis magnificentiæ opera, vere Imperialia, circa salutare immortalis vitæ monumentum exstructa, non omnibus conspicuam et manifestam causam habent. Quippe hi quidem qui cœlesti divini Spiritus virtute illustrati sunt, causam ipsam sciunt atque intelligunt; teque ob consilium illud, eumque impetum animi quem non sine divino quodam motu sumpsisti, merito mirantur ac beatum prædicant. Qui vero rerum divinarum imperiti sunt, opus illud præ cæcitate mentis derident atque subsannant; indecorum et a majestate tanti Imperatoris alienum esse rati, ut in monumentis ac sepulchris cadaverum, studium suum atque operam collocet. Enim vero (dixerit horum aliquis) annon satius esset patrios ritus servare, et heroes ac Deos qui in singulis provinciis coluntur placare; nec eos despuere et aversari propter hujuscemodi calamitates? Aut enim illos perinde atque hunc, ob ærumnarum similitudinem divinis honoribus afficere oportet. Aut si illi abjiciendi sunt, utpote humanis perpessionibus obnoxii; idem quoque de hoc sentiendum est. Hæc fortasse aliquis eorum dixerit, contracto admodum supercilio, sapientiorem se cæteris existimans, et vanitatem suam gravitate verborum extollens. Cui tamen utpote per imprudentiam erranti, veniam impertiens optimi Patris clementissimus Filius, Dei sermo; non hunc solum, sed omnes qui a recto tramite aberraverunt, ad divinæ institutionem liberaliter invitat; extructis

per universum orbem scholis atque auditoriis; in regionibus et vicis; in agris locisque desertis; in cunctis denique civitatibus: Græcos simul ac barbaros, sapientes et imperitos; pauperes ac divites; servos ac dominos; subditos juxta ac principes; impios, injustos, indoctos, flagitiosos, blasphemos ad divinam curationem accedere, immo accurrere jubens, utpote clementissimus Servator et medicus animorum. Itaque priorum scelerum oblivionem cunctis annuntians, clara voce sic olim clamabat: « Venite ad me » omnes qui labore defessi estis et onere oppressi; et quie- » tem vobis dabo [1]. » Et rursus: « Non veni ut vocarem » justos, sed peccatores ad pœnitentiam. » Et causam subjungit: « Non enim valentibus opus est medico, sed male » habentibus [2]. » Et alibi: « Nolo mortem peccatoris, sed » ut pœnitentiam agat [3]. » Hinc est quod solus ille qui divinis imbuitur disciplinis, ubi causas studii ac diligentiæ in supradictis operibus collocatæ didicerit, fateatur necesse est excellentem quemdam impulsum in Imperatore extitisse, ejusque in colendo numine pietatem admiretur; credatque curam hanc et solicitudinem erga salutaris resurrectionis monumentum, non sine divino nutu natam esse, sed reipsa ex afflatu divini numinis profectam, cujus se famulum, bonumque bonarum rerum ministrum esse Imperator gloriatur. Hæc tibi, Imperator maxime, grata in primis et jucunda esse cum certo sciam, piorum operum tuorum causas et rationes hoc præsenti sermone cunctis explicare constitui, tanquam consilii tui nuntius, et religiosæ mentis interpres; docens omnes ea quæ discenda sunt ab omnibus, quotquot nosse desiderant rationes virtutis Dei ac Servatoris nostri; propter quas ille qui dudum antea existebat, rerumque omnium curam gerebat, sero tandem ad nos e cœlo descendit; propter quas humanam

[1] Matth. XI, 28. — [2] Id., IX, 12 et 13. — [3] Ezech., XVIII, 23.

induit naturam ; propter quas denique ad mortem accessit; causas præterea docens immortalis quæ subsecuta est vitæ et resurrectionis ; nec causas solum , verum etiam certissimas demonstrationes et documenta perspicua, his qui adhuc istis opus habent necessaria. Sed jam tempus est ut hujusmodi sermonem exordiamur. Qui cultum summi omnium conditoris ac rectoris Dei ad res ab illo creatas transtulerunt; et solem, lunam et reliquas mundi partes, primaque omnium rerum elementa , terram ; aquam ; aerem ; ignem pari cum eorum opifice et creatore vocabulo honorarunt ; deosque appellarunt ea quæ nec fuissent unquam nec substitissent, nec nomen ullum habuissent, nisi Dei sermoni qui hujus mundi opifex est, astitissent : ii parum differre mihi videntur ab his, qui eximiorum in imperialibus palatiis operum architectum prætermittentes , cameras et parietes , et varias in iisdem picturas , aurata item lacunaria et lapidum sculpturas summopere admirantur, iisque rebus laudem nomenque peritiæ artificis adscribunt : cum tamen non rebus illis quæ oculis cernuntur, sed soli architecto admirationis causa tribuenda sit ; fateriqe oporteat multa quidem opera peritiæ ; solum vero illum peritum esse esse atque sapientem, qui earum rerum quæ a plurimis spectantur, auctor exstiterit. Nec sane multum a pueris distare viderentur hi, qui ipsum quidem lyræ instrumentum quod septem cordis constat, non inventorem ipsum aut peritum ejus harmoniæ , ob hanc scientiam admirarentur ; aut qui omisso illo qui egregiam operam in prælio navasset , hastam et clipeum triumphalibus coronis exornarent ; aut qui forum, plateas, et ædificia sensu carentia, templaque et gymnasia, pari honore afficerent ac magnum Imperatorem , magnæ ac regiæ civitatis auctorem; cum tamen non columnas nec lapides, sed ipsum potius magni operis conditorem ac legislatorem mirari conveniat. Sic etiam qui hoc universum

corporis oculis intuentur, nec soli, nec lunæ, nec ulli ex cœlestibus corporibus causam illius adscribere debent, sed omnia illa sapientiæ opera fateri, memores interim illius qui ea condidit, ejusque cultum et observantiam reliquis omnibus præferentes. Ex istarum autem rerum aspectu, illum qui non jam corporis oculis, sed pura duntaxat ac defæcata mentis acie percipitur, Dei scilicet sermonem hujus universi imperatorem, toto animi affectu venerari atque adorare. Nam nemo unquam in hominis corpore oculos aut caput, manus vel pedes aut reliqua membra hominis sapientis ac docti, sapientiam appellavit; nedum pallium quo obvolutus est, aut domesticam supellectilem, aut vasa ad usum philosophi necessaria: sed quivis prudens, mentem ipsam intus latentem atque invisibilem admiratur. Ita quoque præ cunctis hujus mundi aspectabilibus operibus, quæ corporea sunt, ex una eademque materia fabricata, invisibilem illum sermonem mirari debemus, qui hoc universum formavit atque exornavit, qui est unigenitus Dei Filius; quem ille omnium rerum conditor qui omnem substantiam transcendit, ex se ipso genitum, principem ac rectorem hujus universi constituit. Nam quoniam fieri non poterat, ut fluxa corporum substantia, et rationalium quæ recens edita fuerant animalium natura ad summum omnium rectorem Deum ac cederet, eo quod infinitis spatiis ab illo superantur; quippe hic quidem ingenitus est, supra et ultra omnia positus; inexplicabilis; inaccessus; ad quem perveniri non potest; lucem habitans inaccessibilem, ut sacra loquuntur Oracula: illa vero ex nihilo producta, longissimo intervallo dissita ac separata ab ingenita illa natura; non sine causa Deus optimus maximus velut mediam interjicit divinam ac præpotentem unigeniti sermonis sui virtutem. Quæ quidem perfectissime et proxime cum Patre versatur et colloquitur: intraque ipsum manens, arcanis ejus perfruitur: nihilo-

minus tamen seipsam benigne demittit, et quodammodo componit coaptatque iis qui a summo vertice longius absunt. Aliter enim nefas esset, eum qui supra ultraque omnia positus est, cum corruptibili materia et corpore copulare. Idcirco divinus sermo huic universo sese commiscens, sumptis in manus habenis totius mundi, incorporea ac divina virtute eum regit; instar sapientis aurigæ moderans prout ipsi visum fuerit. Hujus porro sermonis perspicua est demonstratio. Etenim si ipsæ per se subsistunt mundi partes, quæ prima elementa vulgo appellantur, terra scilicet, aqua; aër et ignis; quæ naturam habent rationis expertem sicut oculis ipsis videmus : si una eademque omnium est materia, quam cunctorum receptaculum et parentem ac nutricem vocare solent ejusmodi rerum periti; eaque informis est ac sine specie, animâ et ratione prorsus destituta : unde ornatum ei inesse quis dixerit? Undenam quæso elementorum distinctio? Unde contrariarum rerum concentus atque concordia? Quis gravissimam terræ molem humidâ aquæ substantiâ vehi præcepit? Quis deorsum vergentem aquarum naturam retro in contrarium abducens, sublimem in nubibus circumtulit? Quis vim ignis constringens, eam in lignis delitescere, et cum rebus sibi contrariis commisceri jussit? Quis frigido aëre cum calida ignis natura permisto, et mutuâ inter ipsos pugnâ diremptâ, in gratiam et concordiam eos reduxit? Quis mortalium genus, excogitato successionis beneficio, ad longævum immortalis cujusdam vitæ spatium propagavit? Quis mare et feminâ in hunc quem cernimus modum formatis atque compositis, et ambobus in unam conjunctis harmoniam, generationis principium cunctis animalibus molitus est? Quis fluidam seminis naturam ex corruptibili et fluxa ac sensus experte, prolificam et animali generando idoneam effecit? Quis hæc omnia, et alia præterea innumerabilia,

omni stupore atque admiratione majora, etiamnum operatur? Quis singulis diebus et horis, istorum omnium generationes et corruptiones occulta quadam et invisibili virtute perficit? Harum omnium rerum auctor jure merito existimandus est, admirabilis Dei sermo. Hic enim revera omnipotens, per omnia sese diffundens; et sursum quidem in sublime; deorsum vero in profundum incorporeo quodam modo sese extendens; longitudinem quoque ac latitudinem universi vastis quasi manibus amplexus, totum hunc mundum compegit atque constrinxit. Quem cum velut instrumentum quoddam omnes in se harmonias continens, sibi ipse fabricasset, materiam corporum quæ per se informis et irrationalis et sine specie est, ratione ac sapientia pulsare cœpit; disjuncta diatonis conjungens. Solem quoque ac lunam, et reliqua cœli luminaria, inexplicabili quadam proportione moderans, ad hujus universi dirigit utilitatem. Idem Dei sermo seipsum quoque in terram dimittens, varia animalium genera, et multiplices plantarum species produxit : et in profundos maris recessus penetrans, natantium genus commentus est : Ibique rursus infinitas et innumerabiles animantium formas ac varietates efficit. Idem fœtus in utero conceptos, intus in ipsa naturæ officina perficiens, animat atque effingit. Idem fluxam et gravem humidæ substantiæ molem in sublime tollens, ac deinde mutatione quadam dulcem efficiens, eamdem postea moderate ac paulatim in terram effundit, certisque temporibus copiosius subministrat. Deinde vero instar periti cujusdam agricolæ, eâ in varios rivos diductâ agros irrigans, et cum arida humo humidam commiscens substantiam, terram variis modis exornat; nunc florum amœnitate pingens; nunc formarum varietate; nunc odorum suavitate, nunc fructuum variis generibus vestiens; modo multiplices saporum delicias præbens palato. Sed quid ego divini Ser-

monis potentiam exponere præsumo, eaque facere conor quæ fieri non possunt, cum omnis humana cogitatio operum illius magnitudine longe superetur? Hunc alii quidem naturam universi appellarunt; alii animam totius mundi; alii fatum. Alii vero ipsum esse summum et ultra omnia positum Deum affirmarunt, inter se longissime distantia, nescio quomodo confundentes; dum ipsum omnium rectorem, et supremam atque ingenitam naturam, deorsum in terram dejiciunt, et cum corpore et corruptibili materia colligant, mediumque inter rationalia et rationis expertia animalia, interque mortales et immortales substantias volutari affirmant. Ita quidem illi.

XII. Divinitus autem tradita doctrina, id quod summum omnium bonum et universorum causa est, ultra omnem comprehensionem positum esse asserit : ac proinde nec verbis et oratione exprimi, nec nomine appellari posse; et cogitationem omnem, nedum vocem excedere. Idem nec loco comprehendi, nec in corporibus, nec in cœlo aut æthere aut alia qua parte universi existere; sed prorsus extra omnia, in arcano quodam intelligentiæ recessu abditum esse. Hunc solum verum Deum agnosci debere sacra docent Oracula; qui ab omni corporea substantia segregatus, et ab omni ministerio dispensationis alienus est. Quocirca ex ipso cuncta, non autem per ipsum extitisse dicuntur. Sed ipse quidem velut Imperator, intus in abditis et inaccessis penetralibus, lucem habitans inaccessam, ubique pro suæ voluntatis arbitrio statuit ac præcipit. Ipso enim volente existit quidquid existit; eodemque nolente, non existit. Vult autem quæcumque sunt bona, quoniam ipse suapte natura ipsum est bonum. Dei autem sermo per quem omnia sunt, sursum ex optimo Patre tanquam ex perenni et immenso fonte emanans, instar fluvii pro-

fluit; totus ad communem omnium rerum conservationem exundans. Et quemadmodum, ut ex nobis ipsis sumpto utar exemplo, mens quæ in nobis est spiritalis et invisibilis, cujus substantia quæ qualisve sit, nullus unquam cognovit mortalium; tanquam imperator, quidam in secretis regiæ penetralibus residens, sola quæ agenda sunt dispicit : sermo vero, tanquam unigenitus filius inexplicabili quodam modo et arcana virtute quæ verbis exprimi non potest ab ipsa mente generatus, ex abdito ejus sinu velut ex parente progreditur; primusque paternarum cogitationum nuntius atque interpres factus, palam omnibus annuntiat eæquæ a parente clam et occulte constituta sunt, et ad omnium aures perlatus, consilia patris sui operibus ipsis exequitur. Atque hi quidem ex sermone ipso magnam percipiunt magnam utilitatem : ipsam vero mentem quæ abdita et invisibilis est sermonis parens, nemo unquam oculis aspexit. Sic plane, aut potius præstantiore quodam modo et omnis exempli comparationem longe superante, Dei omnium regis perfectissimus sermo, utpote unicus ejus Filius, non ex prolationis vi consistens, nec ex syllabis et nominibus ac verbis compositus; nec voce per aeris percussionem expressus; sed summi Dei vivus atque efficax sermo, ac personaliter subsistens; quippe qui Dei virtus sit atque sapientia, ex Patris divinitate et regno procedit. Cumque boni patris bonus fœtus, et communis omnium rerum conservator, sit universa permeans irrigat, et præ abundantia rationis, sapientiæ, lucis et omnium quæ in ipso sunt bonorum, sese in omnia diffundens, non vicina duntaxat et sibi proxima rigat; verum etiam res longissime dissitas, tam in terra quam in mari, seu quæ alia in rerum natura sedes est præter istas. Quibus universis terminos, regiones, leges, ac certas sortes summa cum æquitate constituit; quæ unicuique congrua sunt, regali qua-

dam potentia tribuens ac subministrans. Et his quidem fornices illos qui supra mundum sunt; illis vero cœlum ipsum; aliis sedes æthereas; aliis aërem; terram aliis colendam assignans. Ac rursus eo inde in alia transferens loca; ac singulorum vitam optime dijudicans, moresque ac studia cujusque remunerans. Victum etiam et alimenta non modo animalibus ratione præditis, sed brutis etiam ad hominum usus prospicit: his quidem mortalis et caducæ vitæ brevem fructum concedens; illis vero immortalis vitæ indulgens consortium. Cuncta denique tanquam Dei sermo exsequitur; ipse ubique præsens, et rationali virtute universa pervadens. Sursum quoque defixis in Patrem suum luminibus, ex nutu imperioque ejus inferiora cuncta et post seipsum orta, utpote communis omnium Servator moderatur; medius quodammodo inter utraque existens, et substantiam quæ ortum habet, cum ingenito Patre conjungens. Est quippe Dei sermo quasi firmissimum quoddam vinculum, quo dissita inter se colligantur, nec longius sinuntur abscedere. Hic est providentia qua universa reguntur; hic est qui emnia curat et componit ac corrigit. Hic Dei virtutis est atque sapientia. Hic denique est unigenitus sermo, Deus ex Deo genitus. Nam, ut sacræ theologorum docent paginæ, « In principio erat Verbum; et Verbum erat » apud Deum, et Deus erat Verbum. Omnia per ipsum facta » sunt, et sine ipso factum est nihil [1]. » Hic est communis omnium agricola, cujus ope cuncta germinant ac pubescunt, ipsius imbribus assidue irrigata, novoque in dies vigore et venusta amœnitate decorata. Hic ergo habenas universi manu sua retinens, recto cursu cuncta dirigit, et vastam illam totius mundi navem paterno gubernat arbitrio. Hujusmodi præstantissimum artificem, unigenitum scilicet Filium, cum is qui super omnia est Deus, tanquam

[1] Joan. I, I.

optimus pater optimum fœtum ex se genuisset, eum huic mundo quasi summum bonum donavit; illumque corporibus inanimatis tanquam animam infundens, et ratione destitutis sermonem suum ac rationem immiscens, informem materiam et animæ, speciei ac figuræ omnis expertem, divina sermonis sui virtute illustravit et animavit. Quem quidem nos et agnoscere et contemplari debemus, in materia quidem et corporum elementis ubique præsentem, et cuncta animalia generantem: eumdemque lumen, et inexplicabilis luminis intellectualem fœtum. Qui substantia quidem unus est, utpote ex uno editus Patre: multas tamen in se virtutes continet ac facultates. Neque enim ex eo quod multæ sint mundi partes, existimare debemus, multas esse potestates: neque eo quod multa sunt condita, plures quoque Deos statuere oportet. Superstitiosi quidem illi multorum Deorum cultores, utpote simplices et imperiti, gravissimo errore aberrarunt, dum mundi quasdam partes inter Deos referunt, et mundum qui unus est, in plures partiuntur. Eodem plane modo ac si quis oculos hominis seorsum sumptos, hominem ipsum esse diceret; aures quoque alium hominem; caput etiam et collum; pectus item et humeros; pedes et manus ac reliqua membra minutatim dividens; ipsas denique sensuum facultates mente dispertiens, multos homines esse affirmaret eum qui revera unus est. Qui profecto amentiam suam prudentibus viris ridendam propinaret. Hujusmodi omnino sunt, qui ex unius mundi partibus innumerabiles Deos constituerunt; aut qui ipsum mundum, qui et ortus est et ex pluribus constat partibus Deum esse existimant: nec intelligunt fieri nullomodo posse, ut divina natura ex multis partibus conflata sit. Nam si concreta esset atque composita, altero opus haberet ut componeretur; nec omnino divina esse posset,

quæ ex multis partibus constaret. Quomodo enim divina esse posset, cum ex diversis ac dissimilibus, et ex deterioribus simul ac præstantioribus componeretur? Est autem Dei natura simplex prorsus, et indivisibilis atque incomposita; et ultra omnem quæ oculis cernitur mundi constitutionem posita. Quocirca ille veritatis præco, contenta voce clamans sic fere ait. Dei quidem sermo qui ante omnia exstitit; solus est omnium rationalium Servator. Deus vero qui supra omnia est, principium et auctor generationis; cum solus sit omnium causa, Verbi quidem sui utpote unigeniti Pater proprie dicitur: ipse vero superiorem causam nullam agnoscit. Ipse igitur unus est Deus: unigenitus autem ex eo procedit, Dei sermo unus, per cuncta permanans et omnium conservator. Ac sensibilis quidem hic mundus, non secus ac lyra quædam ex multis ac dissimilibus constans chordis, quarum aliæ acutæ, aliæ graves sunt; aliæ remissæ, intensæ aliæ; quædam inter has mediæ; omnes vero probe aptatæ ex artis musicæ præceptis: sic etiam ipse ex multis partibus compositus, ex frigida scilicet et huic contraria calida; item ex humida, eique contraria sicca substantia; unamque ex his omnibus harmoniam efficiens, magnum Dei magni instrumentum opusque merito dici potest. Divinus autem sermo, qui neque ex partibus constat, neque ex contrariis compositus est, sed simplex atque indivisibilis, perite ac modulate pulsat hoc universum, Patrique suo, summo omnium moderatori debitum, ac sibi ipsi convenientem edit concentum. Et quemadmodum in uno corpore, partes quidem ac membra; viscera quoque et intestina quam plurima, simul compaginata sunt; unus autem animus per cuncta diffunditur, et mens indivisibilis atque incorporea una est; sic in hoc universo, mundus quidem ipse ex multis partibus in unum conflatus est: divinus autem sermo multa vi pollens et omnipotens,

itidem unus; per universa permanans, et absque vago errore per omnia diffusus, omnium quæ in ipsis fiunt causa est. Annon oculis tuis vides universum hunc mundum? qualiter unicum cœlum innumerabiles astrorum choros circa ipsum discursantes complectitur? Qualiter etiam unicus sol plures alios siderum choros ductat, et lucis suæ præstantia aliorum omnium splendorem occultat. Sic cum unus sit Pater, unum quoque ejus sermonem, utpote optimi patris optimum fœtum esse oportet. Quod si quis conqueratur eo quod plures non sint, idem etiam quod non plures sint Soles; plures Lunæ; plures mundi; et alia sexcenta conqueri poterit; instar insani cujusdam ea convellere aggrediens, quæ sunt optime ac prudentissime a natura constituta. Enimvero ut in visibilibus rebus Sol unus mundum sensibus subjectum illuminat; sic in rebus quæ intelligentia percipiuntur, unus Dei sermo omnipotens, invisibili quadam nobisque occulta ratione, universa collustrat. Quippe etiam in homine unus animus et una ratiocinandi facultas, multarum simul rerum artifex est: siquidem et agrum colere; et navem ædificare eamdemque regere; et domum exstruere idem animus plurimarum rerum peritia instructus aggreditur. Una quoque in homine mens ac ratio plures disciplinas complectitur. Etenim una eademque mens Geometriam et Astronomiam callet; et Grammaticæ ac Rhetoricæ, et Medicinæ præcepta tradit; nec solum liberalium disciplinarum, sed et artium quæ in manuum opere versantur, magistra est. Nec tamen ideo plures esse uno in corpore animos, ullus unquam existimavit; nec plures in eodem homine substantias ob multarum simul disciplinarum peritiam miratus est. Ponamus aliquem reperta luti massa penitus informi, ex ea deinde manibus emollita animalis speciem efformasse; et caput quidem hac figura, manus et pedes alia; alia oculos; ge-

nas, aures item, os et nares, pectus et humeros figulino opere expressisse. Quamvis plures in uno corpore figuræ, partes ac membra efficta sunt, non ideo tamen totidem artifices operis extitisse putandum est : sed unum totius operis artificem agnoscere ac laudare debemus, qui unius rationis et unius facultatis ope, totum opus molitus sit. Idem quoque de hoc universo mundo sentiendum est, qui cum unus sit, ex pluribus tamen partibus constat. Nec plures opifices potestates ideo ponere, nec plures Deos nominare debemus : sed unam veri Dei potestatem atque sapientiam, omni solertia omnibusque harmoniæ numeris instructam, divinitatis vocabulo afficere : quippe quæ una et singulari vi atque virtute per omnia commeet, et per universum mundum pervadat, cunctaque constituat atque vivificet, universis denique ac singulis corporibus et elementis, varia munera ac beneficia ex seipsa suppeditet. Sic etiam una eademque Solaris lucis impressio, simul eodemque momento, aërem illustrat; oculos illuminat; tactum calefacit; terram fœcundat, et plantis incrementum tribuit; tempus præterea constituit; regit ac ductat sidera; cœlum circuit, Deique potentiam universis ob oculos proponit, atque hæc omnia una vi naturæ suæ perficit. Ignis quoque natura, aurum quidem purgat, plumbum vero liquefacit : et ceram quidem dissolvit, lutum vero exsiccat, et ligna comburit; una incendiaria vi tot tantasque res perpetrante. Eodem modo divinus sermo summus omnium moderator, per omnia permeans, et in omnibus existens, et per cuncta cœlestia simul ac terrena discurrens : et tam invisibilia quam visibilia gubernans, Solem ipsum, cœlumque ac mundum inexplicabili quadam potentia regit; virtutis suæ efficacia ubique præsens, et per universa pervadens. Ac Soli quidem ipsi et Lunæ ac reliquis sideribus, ex lucis suæ fonte perenne lumen effundit. Cœlum vero

quod velut præstantissimam quamdam magnitudinis suæ imaginem effinxit, perpetuo moderatur. Eas autem potestates quæ ultra cœlum ac mundum ipsum positæ sunt, Angelos scilicet ac spiritus et intellectuales rationalesque subtantias, vita simul et lumine, sapientia omnique virtute, et pulchritudine ac bonitate ex thesauris suis de prompta locupletat. Denique una eademque opifice facultate, et substantiam elementis suppeditare non cessat, et corporibus mixtiones ac temperamenta; species; formas; figuras et qualitates innumerabiles tam in plantis quam in animalibus; tam in rationalibus quam in brutis, singula admirabili varietate distinguens, et una eademque virtute omnia omnibus affatim subministrans, et cunctis palam faciens, non septem aut plurium etiam chordarum lyram, sed unum hunc mundum tot in se harmonias continentem, unius conditoris sermonis opus esse.

XIII. Nunc vero quam ob causam tantus hic Dei sermo in terras descenderit, exponere aggrediamur. Homines stulti ac vecordes, cum hunc Dei sermonem cœli ac terrarum præsidem, qui ex patris divinitate tanquam ex fonte quodam editus, semper huic mundo præsens adest, suæque providentiæ et erga homines benevolentiæ certissima præbet indicia, minime intellexissent, Soli ac Lunæ, cœloque ipsi ac sideribus venerandum Dei nomen tribuere non dubitarunt. Nec his contenti, terrenam quoque naturam, fructusque e terra editos, et cujusquemodi corporum alimenta, Deos fecerunt: Cereris, Proserpinæ, Bacchi et aliorum hujusmodi numinum simulacra sibi fingentes. Sed neque hic sistentes gradum, suarum quoque mentium cogitationes, et earum interpretem orationem, Deos appellare non veriti, ipsam quidem mentem Minervam; orationem vero Mercurium; et animi facultates quibus disciplinæ

percipiuntur, Monetam et Musas cognominarunt. Neque his adhuc contenti, sed præ nimia impietate deliramenta sua quotidie novis accessionibus cumulantes; animorum suorum perturbationes, quas odio prosequi et temperantiæ præceptis comprimere debuerant, consecraverunt. Ipsamque animi sui cupiditatem, et flagitiosum atque intemperantem morbum; ipsaque adeo corporis membra quæ ad obscenitatem impellunt; ipsam denique in turpes voluptates effusam intemperantiam, Cupidinem, Priapum ac Venerem nuncuparunt. Sed neque hic substiterunt: verum ad corporum ortus et ad mortalem hanc in terris vitam depressi, homines morti obnoxios in Deorum numerum retulerunt; et post naturalem cunctisque hominibus præscriptum vitæ finem, Deos et Heroas appellarunt; divinam immortalemque naturam circa tumulos et sepulcra obvagari existimantes. Neque vero hic hæsit eorum amentia; sed varia brutorum animantium genera, et ex serpentibus eos qui maxime noxii essent, augusto divinitatis nomine honorarunt. Et ulterius progressi, excisis arboribus et saxis; terræ quoque, æris ac ferri aliisque effossis metallis, fæminarum et virorum effigies, ferarumque ac serpentum species expresserunt, cultumque posthac iis exhibuerunt. Nec tamen finem hic fecerunt amentiæ: sed malignis dæmonibus qui intra simulacra abditi delitescebant, et qui in obscuris recessibus incederant quique libamentis et hostiarum nidoribus inhiabant, Deorum nomen indiderunt. Nec his contenti, Dæmones illos et invisibiles potestates quæ per aërem circumferuntur quibusdam vetitarum artium ligamentis, et sceleratis ac nefariis carminibus et incantationibus, assessores sibi adsciverunt. Et ex hominibus quidem non eosdem cuncti, sed alii alios consecraverunt. Græci quidem Bacchum; Herculem; Æsculapium; Apollinem, et alios quosdam

homines Deorum atque Heroum vocabulo honorarunt. Ægyptii vero, Horum; Isim et Osirim; et alios horum similes homines, Deos esse existimarunt. Et qui ob eximiam solertiam, Geometriæ, Astronomiæ et Arithmeticæ disciplinas apud se inventas esse gloriantur; licet judicio suo tantopere sapiant, tamen modum divinæ potentiæ, et quantum inter hanc et inter mortalem brutamque naturam intersit, nequaquam intelligere et cognoscere valuerunt. Proinde turpissimas cujusque generis bestias, variasque brutorum animalium species; serpentes etiam venenatos et feras belluas, Deos appellare non dubitarunt. Phœnices item Melcatharum, et Usorum, et alios quosdam ignobiliores qui olim homines fuere, Deos vocaverunt. Arabes similiter Dusarem quemdam et Obodam; Getæ Zamolxim; Cilices Mopsum; Amphiaraum Thebani; et alii quidem hos, alii autem istos, nihil a communi hominum natura discrepantes, sed reipsa meros homines, Deos fecerunt. Omnes quidem uno consensu Ægyptii, Phænices et Græci, universum denique mortalium genus quod Solis radiis illustratur, mundi partes et elementa, fructusque qui nascuntur e terra, divinis honoribus affecerunt. Et quod magis mirandum est, cum illorum adulteria; puerilia stupra; et mulierum raptus fateantur, nihilominus urbes omnes, vicos et agros templis, delubris, et statuis compleverunt, et Deorum suorum sectantes exempla, suas ipsorum animas penitus perdiderunt. Ac Deos quidem Deorumque filios, Heroas item et bonos Genios, verbo tenus ab illis appellari crebro audias. Sed res ipsa plane in diversum abit. Quippe contraria contrariis exornarunt; perinde ac si quis Solem et cœli lumina alteri volens ostendere, non sursum attollat oculos, sed manibus deorsum demissis et in solum dejectis, cœlestes potestates in luto ac cœno requirat. Sic plane humanum genus, men-

tis stupore et pessimorum dæmonum fraude deceptum, intelligibilem Dei naturam quæ cœlum mundumque ipsum transcendit, humi in corporum ortu et in hominum affectibus atque interitu residere sibi persuaserat. Homines vero eo processernnt amentiæ, ut carissima etiam pignora iisdem immolarent : nec communi saltem parcerent naturæ, sed quos unicos habebant liberos præ furore et insania jugularent. Enim vero quid furiosius excogitari unquam potest, quam immolare homines, et universas civitates, suasque ipsorum domos civili cæde contaminare? Annon Græci ipsi his rebus testimonium suum commodant? nonne harum rerum commemoratione omnis scatet historia? Saturno quidem Phœnices quotannis carissimos et unicos liberos mactabant. Eidem in insula Rhodo die sexto mensis Metagitnionis, homines immolabant. Item apud Salaminem, in Minervæ Agraulidis et Diomedis templo, moris erat ut vir quidam, aliis ipsum persequentibus; aram ter circuiret, deinde sacerdos lancea pectus ejus configeret, atque ita hominem accenso rogo impositum penitus concremaret. Sed et in Egypto plurimæ hominum cædes perpetrabantur. Nam Heliopoli tres quotidie homines Junoni immolabantur : cujus rei atrocitatem Amosis rex animadvertens, eorum loco totidem cereos homines substitui jussit. In insula autem Chio, hominem Baccho Omadio sacrificabant, itemque in Tenedo. Lacedæmone quoque humana hostia Marti immolabatur. Idem fiebat in Creta, ubi Saturno hominem sacrificabant. Laodiceæ in Syria, virgo quotannis mactabatur Minervæ; cujus loco nunc cerva immolatur. Afri quoque et Carthaginenses humanis victimis Deos suos placabant. Dumateni quoque in Arabia quotannis puerum immolabant, quem sub ara sepelire consueverant. Denique omnes Græcos an-

tequam ad bellum proficiscerentur, hominem immolare solitos docet historia. Thraces item et Scythæ idem fecisse memorantur. Athenienses etiam Lei filias virgines, et Erecthei filiam, apud se immolatas referunt. Jam vero in urbe Roma, die festo Jovis Latiaris hominem hodieque immolari quis ignorat? Atque hæc ita se habere, probatissimi philosophi testimonio suo confirmarunt. Quinetiam Diodorus, qui compendium bibliothecarum composuit, ducentos præcipuæ nobilitatis pueros ab Afris publice Saturno immolatos refert; trecentos autem alios, ultro totidem numero filios immolandos obtulisse. Dionysius vero qui res gestas populi Romani scriptis prodidit, ipsum nominatim Jovem et Apollinem in Italia postulasse scribit ab iis qui Aborigines dicebantur, ut homines immolarent : istos vero a quibus id postulatum fuerat, omnium quidem fructuum partem Diis sacrificasse; sed quoniam homines quoque immolare supersedissent, in maximas calamitates incidisse, nec his malis prius esse liberatos, quam seipsos decimassent. Ita cum hominum decimas persolvere ac sacrificare compellerentur, ipsos regionem suam vacuam ac desertam ab incolis præstitisse. Tot ac tantis calamitatibus humanum genus antea premebatur. Nec tamen ejusmodi infelicitas sola erat : sed præterea infinitis aliis, iisque acerbissimis malis atterebatur. Omnes enim nationes quæ per omnem terrarum dispersæ sunt, tam Græcorum quam Barbarorum, veluti dæmonum impulsu concitatæ, gravissimo seditionis morbo concussæ sunt, adeo ut humanum genus nulla inter se communione aut concordia jungeretur; communi naturæ corpore hinc inde divulso, et per singulos fere orbis angulos disjunctis hominibus, et ob legum atque institutorum discrepantiam inter se decertantibus. Neque id solum; verum etiam crebris motibus efferati,

seipsos mutuo appetebant, adeo ut bellis assidue et præliis intestinis districti, ætatem agerent, nec quisquam auderet nisi hostilem in modum armatus, peregre proficisci. Quinetiam per agros et vicos, gladiis cincti erant agricolæ, et arma potius quam instrumenta ad culturam agrorum necessaria sibi comparabant, virtutisque loco ducebant, latrocinari et ex vicinis locis captos in servitutem abducere. Neque his contenti, ex fabulis quas de Diis suis confixerant, turpis ac sceleratæ vitæ occasionem arripientes, corpora simul atque animos omni intemperantiæ genere corruperunt. Neque vero his acquieverunt; sed ipsos naturæ terminos prætergressi, longius processere, nefanda quædam et auditu incredibilia in seipsos flagitia perpetrantes. Masculi enim in masculos turpitudinem operati sunt; et mercedem quam opportuit erroris sui in semetipsis receperunt, ut sacræ loquuntur litteræ. Ac ne his quidem contenti, notiones etiam de Deo sibi a natura inditas depravarunt. Et res quidem humanas nullius cura ac providentia regi existimarunt; casui autem fortuito ac temerario, et fatali necessitati, universi hujus ortum constitutionemque tribuerunt. Neque hic finem facientes; suos etiam animos una cum corporibus interire arbitrati, belluinam quamdam ac minime vitalem vitam agere instituerunt; non animi naturam perscrutantes, nec divini judicii expectantes tribunal, nec virtutis prœmia, nec injustæ vitæ parata supplicia animo revolventes. Quinetiam integræ gentes variis nequitiæ generibus mancipatæ, ferina quadam vivendi ratione, quasi diuturno morbo contabescebant. Alii enim nefario et maxime illegitimo concubitu cum matribus miscebantur; alii sorores suas in matrimonium ducebant; alii filias vitiabant. Ac nonnulli quidem peregrinos qui ad ipsos advenerant, obtruncabant. Quidam humanis carnibus

vescebantur; quidam etiam senioribus laqueo gulam frangentes, eosdem postea devorabant; alii denique eos adhuc vivos, canibus laniandos objicere consueverant. Dies me deficeret, si universa mala veteris illius morbi qui totum genus humanum oppresserat, commemorare nunc vellem. Hæc igitur sunt aliaque his similia prope infinita, ob quæ clementissimus Dei sermo rationalis gregis licet sibi repugnantis vicem miseratus, olim quidem per Prophetas suos et longe antea per quosdam Deo amabiles viros; deinde vero per alios qui postea celebres exstiterunt, eos qui deplorati erant ac perditi, legibus suis et hortationibus variis ac præceptionibus ad recuperandam valetudinem excitavit, hujusmodi principia ac fundamenta divini cultus in animis mortalium præstruens. Sed cum hominum genus non jam humano auxilio, sed præstantiore vi ac potentia indigeret; quippe quod vago errore hac illac circumferretur, et crudelissime discerperetur non a lupis et feris bestiis, verum a teterrimis dæmonibus, et diris spiritibus qui animos perdunt; tandem ipse Dei sermo optimi Patris voluntati obtemperans, lubentissime ad nos venit, et nostra ingressus est castra. Causæ porro ejus in terras adventus, eæ fuere quas supra memoravi. Ob quas omnes ille ad mortalium cœtus et colloquia descendens, non id quod familiare et usitatum ipsi erat præstitit; quippe qui expers esset corporis, et universum mundum occulta quadam et invisibili ratione permearet, cunctisque tam cœli quam terrarum incolis potentiæ suæ magnitudinem operibus ipsis declararet. Sed novo quodam et inusitato agendi modo usus est. Mortali enim corpore assumpto, cum mortalibus colloqui et versari dignatus est; eo consilio, ut mortalium genus per sui simile servaret.

XIV. Nunc vero quam ob causam incorporeus Dei sermo, corpore velut instrumento quodam assumpto ad homines accesserit, exponamus. Quanam porro alia ratione, divina substantia quæ materiæ expers est, nec sub tactum aut aspectum cadit, Deum in materia et deorsum humi quærentibus seipsam poterat ostendere? præsertim cum omnium rerum satorem et effectorem, aut nollent aut certe non possent inspicere, nisi seipsum sub humana forma ac specie videndum præbuisset. Itaque assumpto mortali corpore velut aptissimo instrumento, cum hominibus congressus est, quoniam id illis familiare acceptumque erat. Simile enim simili gaudet, ut vulgari fertur proverbio. His ergo qui oculorum sensu ducebantur, et qui in statuis et simulacrorum sensu carentium sculpturis divinitatem quærebant; quique in materia et in corporibus divinum numen inesse sibi persuaserant; homines denique mortales Deorum nominibus appellabant, eo modo Dei sermo semetipsum ostendit. Hac de causa instrumentum corporis sibimetipse apparavit, velut sacrosanctum quoddam templum, et rationalis facultatis sensibile domicilium simulacrum plane augustum et sacrum, omnique inanimata statua longe præstantius. Nam hæc quidem utpote imagines ex materia sensus experte, ære videlicet ac ferro, auro vel ebore, ligno vel lapidibus, vilium artificum manibus elaboratæ, aptissimum præbent dæmonibus domicilium. Illud vero divinum simulacrum omnipotente industria divinæ sapientiæ expolitum, vitæ et intellectualis substantiæ particeps fuit. Simulacrum plenum omni genere virtutis, ipsiusque Dei sermonis domicilium, et Dei sanctissimi sacrosanctum delubrum. In quo Dei sermo inhabitans, cum ipsis quidem mortalibus per instrumentum quod ipsis fa-

miliare et cognatum erat, simul versatus et ab iisdem agnitus est : non tamen iisdem quibus illi affectibus succubuit; nec quemadmodum humanus animus, corporis vinculis adstrictus est; nec seipso deterior factus, divinitatem propriam immutavit. Nam ut Solis radii qui omnia complent, et qui cadavera aliaque contingunt corpora, nihil tamen inde patiuntur : sic, et multo etiam magis, incorporea divini sermonis potentia, nec patitur quidquam, nec detrimentum substantiæ suæ sentit, nec deterior unquam seipsa existit, ubi ipsa quæ spiritualis est, corpus attigerit. In hunc igitur modum communis omnium Servator, beneficum se ac salutarem omnibus præstitit; non aliter ac musicus quidam per instrumentum corporis humani quod assumpserat, velut per lyram quamdam, artis suæ peritiam ostendens. Orpheum quondam omnia bestiarum genera cantu deliniisse, et instrumenti fidibus plectro percussis belluarum immanium furorem mitigasse, Græcorum fabulæ narrant. Atque id passim et canitur a Græcis, et verum esse creditur; lyram scilicet animæ expertem feras mansuefecisse, et quercus suavitate cantus delinitas immutasse. Verum sapientissimus omnisque harmoniæ peritissimus Dei sermo, cum hominum animis multiplici improbitate corruptis omne curationis genus adhiberet, sumpto in manus instrumento musico a sua ipsius sapientia fabricato, humana scilicet natura; eo instrumento cantica et quasi incantamenta quædam, non brutis, ut ille, sed ratione præditis animantibus insonuit; moresque omnium tam Græcorum quam barbarorum mansuefecit, et feroces ac belluinas animorum perturbationes, cœlestis doctrinæ remediis persanavit. Et tanquam præstantissimus quidam medicus languentibus hominum animis qui Deum in materia et in corporibus pervestigabant, cognatum et familiare adhibens medicamentum, Deum in homine spectandum exhibuit.

Post hæc vero cum corporum non minus quàm animorum curam gereret, stupenda quædam miracula, et divina prodigia, et omni potentiæ ipsius opera, oculis corporeis cernere licebat. Interim vero auribus corporeis salutaria præcepta ipse ore ac lingua corporea insusurrare non destitit. Cuncta denique per hominem quem assumpserat, gessit, eorum causa qui non aliter, sed ea sola ratione divinitatem ipsius agnoscere poterant. Atque hæc ille Patris sui consiliis obtemperans administravit, idem semper manens qui antea erat apud Patrem : non immutata substantia, nec amissa natura; nec carnis vinculis constrictus; nec in eo quidem loco in quo humanum ipsius vasculum versabatur, consistens, alibi vero adesse nequaquam valens. Sed eo ipso tempore quo inter homines versabatur, præsentia sua universa complebat; eratque cum Patre, et in Patre inerat; et omnium simul tam quæ in cœlo quam quæ in terra sunt, tum maxime curam gerebat. Nec quidquam illi perinde ac nobis obstabat, quo minus præsens ubique adesset; nec divina opera more solito edere, ullatenus prohibebatur. Sed ea quidem quæ à seipso erant, naturæ humanæ tradidit; quæ vero ex ipsa erant mortali natura, ipse vicissim non accepit. Et divinam quidem potentiam mortali impertiit naturæ : ipse tamen ex ejus participatione nihil hausit. Itaque nec ulla labe maculatus est, dum corpus ipsius in lucem ederetur, nec rursus dum dissolveretur, ullum ipse utpote impatibilis, detrimentum substantiæ passus est. Nam neque si quo casu frangatur lyra, aut chordæ utpote fragiles disrumpantur; eum qui lyram pulsat, pati aliquid ipsum necesse est. Nec si forte sapientis cujuspiam corpus supplicio affici contingat, sapientiam quæ in eo est, aut animum qui in ipsius latet corpore, vel cædi vel uri quisquam merito dixerit. Eodem modo ac multo etiam potiori jure, sermonis divini

potentiam nullum ex corporis affectibus dispendium accepisse dicendum est; quandoquidem nec exemplum illud lucis quo jam usi sumus, solares radios qui è cælo in terras demissi, cænum ac lutum et cujusque generis sordes contingunt, ullo modo inquinari permittit. Nam tametsi nihil vetat quo minus eas res lucis splendore illustrari dicamus, non idcirco lucem ipsam luto infici dicimus, aut Solem ex corporum commixtione maculari; quamvis hæc ab ipsa natura non sunt penitus aliena. At vero Servator ille et incorporeus Dei sermo, cum ipsa vita ipsaque lux intellectualis sit; quamcumque rem divina sua et incorporea virtute semel attigerit, eam deinceps vivere et in rationali luce versari necesse est. Similiter et corpus quodcumque contigerit, illico sanctum efficitur et illuminatur: omnisque morbus et ægritudo ac perturbatio ab eo recedit. Et quæ prius vacua erant, ex ejus abundantia partem aliquam accipiunt. Quocirca totum fere vitæ suæ curriculum ita transegit, ut nunc corpus suum iisdem quibus nos affectibus obnoxium esse ostenderet; nunc vero Deum se Verbum esse subindicaret, dum ingentia quædam et admirabilia tanquam Deus edebat opera, et futura multo ante prædicebat, Deique sermonem qui a plerisque minime videbatur, rebus ipsis declarabat; prodigiosis scilicet operibus, miraculis et signis, stupendisque virtutibus; divinis denique prædicationibus, quibus hominum mentes incitabat, ut se ad superni illius quod ultra cœlum est domicilii beatudinem præpararent.

XV. Quid jam restat, nisi ut rei illius quæ omnium caput est, causam et rationem exponamus : finem dico vitæ illius crebris hominum sermonibus pervulgatum, et passionis modum, et post mortem, resurrectionis grande miraculum. Quibus expositis, horum deinceps omnium

demonstrationes certissimis testimoniis adstruemus. Mortalis igitur corporis instrumento, velut simulacro divina majestate dignissimo, ob eas quas dixi causas usus Dei sermo, ejusque tanquam interpretis ministerio ipse utpote summus Imperator inter homines versatus, prout divinam decebat potentiam cuncta gessit. Quod si post vitam inter homines transactam, alia quadam ratione repente evanescens è medio discessisset, subducto clam interprete, ac proprio simulacro per fugam ex mortis discrimine liberato; postea vero idipsum mortale corpus morti et corruptioni ipse per sese addixisset, cuncti sine dubio spectrum illum fuisse crederent. Ac neque ipse ea gessisset quæ ipsum decebant; quippe qui cum ipse vita esset, ipse Dei sermo atque potentia; suum tamen interpretem morti et corruptioni tradidisset. Neque illa quæ contra dæmonem gesserat, illustri cum morte conflictu ac certamine fuissent terminata. Non esset explorate cognitum, quoniam ille se recepisset: nec fidem invenisset apud eos qui oculis illum non viderant. Nunquam naturam morte superiorem habere illum constitisset; nec humanam naturam conditionis suæ infirmitate liberasset. Nunquam per universum terrarum orbem auditus fuisset; nec Discipulis suis ut mortem contemnerent, persuasisset; nec futuræ apud Deum vitæ certissimam post obitum spem, doctrinæ suæ sectatoribus præstitisset. Nunquam sermonum suorum pollicitationes implevisset; nec cum his quæ de ipso à Prophetis prædicta fuerant consentientes rerum eventus repræsentasset. Non denique postremum certamen obiisset; hoc est adversus mortem ipsam. His omnibus de causis, quandoquidem omnino necesse erat ut mortale illius corpus, post ministerium quod Deo Verbo cumulate præstiterat, finem Deo dignum sortiretur; ideo, inquam, illius mors hoc modo dispensata est. Nam cum duæ res in fine ipsi superessent; ut vel totum

corpus labi et corruptioni addiceret, atque ita turpissimo exitu totam vitam suam quasi fabulam clauderet; vel certe se morte superiorem ostenderet, et mortale corpus ope divinæ potentiæ immortale redderet: prior quidem ab ipsius pollicitatione era aliena. Neque enim ignis proprium est refrigerare; nec lucis, tenebras offundere. Ita neque vitæ proprium est interimere; nec divinæ rationis, quidquam absque ratione facere. Quomodo enim rationi consentaneum foret, ut is qui vitam aliis promisisset, instrumentum suum perire sineret, et simulacrum suum corruptioni dederet, et divinitatis suæ interpretem morte deleret, is qui cunctis ad se adeuntibus immortalitatem spondebat? Posterior itaque ratio necessaria fuit, ut scilicet mortis se victorem ostenderet. A quo tandem modo id erat agendum? Clamne et quasi furtim, an palam et in conspectu omnium? Atqui tam præclarum facinus, si in tenebris et clanculo gestum fuisset, nec in alicujus notitiam pervenisset, nulli prorsus utile erat futurum. Pervulgatum vero et ab omnibus exauditum, maximam universis ex rei miraculo allaturum erat utilitatem. Proinde quoniam necesse erat ut corpus ejus de morte triumpharet, idque non occulte sed in conspectu omnium gereretur, merito ille mortem non refugit. Sic enim ignavus, et morte ipsa inferior habitus fuisset. Sed per certamen cum morte velut cum adversario susceptum, corpus quod erat mortale, immortale præstitit; cum certamen illud pro omnium vita et immortalitate ac salute subiisset. Et quemadmodum si quis nobis vas quoddam incombustum, omnique superius incendio vellet ostendere, non aliter fidem impetraret miraculi, nisi vas ipsum manu arreptum in ignem conjiceret, ac deinde integrum et illæsum è flammis educeret; sic plane Dei sermo qui vitam omnibus impertit, cum mortale corpus illud quo velut instrumento ad hominum

salutem usus fuerat, morte ipsa potentius vellet ostendere, vitæque et immortalitatis suæ particeps reddere, utilem admodum subiit dispensationem : corpus quidem suum ad modicum tempus deserens, et quod erat mortale morti tradens, ut ejus natura hoc indicio probaretur : ac deinde paulo post idem illud morti adimens, ut divinam suam potentiam declararet, qua æternam illam vitam, quam ipse cunctis pollicitus fuerat, omni superiorem morte ostendebat. Ejus autem rei manifesta et perspicua causa est. Nam cum prorsus necessarium esset Discipulis ipsius, ut futuræ vitæ reparationem oculis suis cernerent, in qua spem suam collocare eos docuerat, cum eos mortis contempores ac victores efficeret, non sine causa id ipsos oculis suis spectare voluit. Nam quicumque piam ac religiosam vitam inituri sunt, eos hanc primam et maxime necessariam præceptionem oculis ipsis evidenter haurire oportet : maxime vero eos qui ipsum per universum orbem terrarum illico erant prædicaturi, Deique notitiam cujus semina jam ipse antea in gentes sparsisset, cunctis hominibus nuntiaturi. Quos quidem certissima persuasione futuræ vitæ nixos esse oportuit, ut sine ullo mortis metu certamen adversus errorem gentium plures colentium Deos fidenti animo susciperent. Nisi enim mortem contemnere didicissent, nunquam ad subeunda vitæ discrimina prompti paratique exstitissent. Quocirca cum eos adversus mortis potentiam armis instrueret, non verbis ac voce nuda præceptum ipsis tradidit; nec sermonem de animorum immortalitate ex probabilibus ac verisimilibus contexuit, cujusmodi sunt humani sermones : sed reipsa erecta de morte tropæa illis ostendit. Et hæc quidem prima ac potissima fuit causa certaminis illius, quo Servator noster adversus mortem decertavit. Mortem enim quæ formidabilis est omnibus, nihil omnino esse, Discipulis suis demonstravit; et vitam illam quam promi-

serat, perspicue ipsis ante oculos statuit. Quam quidem velut primitias spei nostræ et futuræ apud Deum vitæ atque immortalitatis, effecit. Altera vero causa fuit resurgendi, ut divina potentia quæ in corpore ipsius habitaverat, manifestaretur. Nam quoniam homines antehac eos qui morti succubuissent consecrabant; Deosque et Heroas nominare consuerant eos qui a morte superati fuissent, hanc ob causam humanissimus Dei sermo, etiam hîc quisnam esset ostendit; naturam suam morte superiorem hominibus exhibens. Et corpus quidem quod mortale erat, post interitum ad alteram vitam revocavit: tropæum autem immortalitatis quod victa morte erexerat, cunctis spectandum proposuit; eumque solum vere Deum in ipsa morte docuit esse agnoscendum, qui victoriam de morte reportasset. Possem etiam tertiam tibi causam Dominicæ mortis exponere. Fuit ille sacra quædam victima, pro universo hominum genere, Deo omnium regi oblata. Victima pro universo hominum grege immolata: victima quæ dæmoniacæ superstitionis errorem profligavit. Postquam enim una illa victima et eximia hostia, sacrosanctum scilicet corpus Servatoris nostri, pro humano genere mactatum est, et quasi vicarium pro vita omnium gentium, quæ dæmoniacæ superstitionis impietate obstrictæ, tanquam læsæ majestatis reæ tenebantur, oblatum est; omnis deinceps impurorum ac profanorum dæmonum potentia corruit; omnisque terrestris ac fraudulentus error, potentiore quadam virtute statim fractus ac debilitatus est. Salutaris igitur hostia ex hominibus assumpta, ipsum scilicet Verbi divini corpus, pro universo hominum grege immolata est. Et est hæc victima necidata, de qua sacræ Litteræ loquuntur; nunc quidem in hæc verba. « Ecce agnus Dei, qui tollit peccata » mundi [1]. Nunc vero in hunc modum: Sicut ovis ductus

[1] Joan., I, 29.

» est ad cædem, et tanquam agnus coram tondente se obmutescens[1]. » Causam item docent, cum addunt. Hic peccata nostra portat, et pro nobis dolores patitur : Et nos reputavimus eum esse in labore, et in plaga et in afflictione. Ipse autem vulneratus est propter peccata nostra, et obtritus est propter iniquitates nostras. Disciplina pacis nostræ super eum : vibicibus ejus nos sanati sumus. Omnes quasi oves aberravimus : unusquisque in via sua exerravit. Et Dominus tradidit eum peccatis nostris. Has igitur ob causas humanum Dei verbi corpus immolatum fuit. Ipse vero pontifex maximus Deo omnium principi atque Imperatori consecratus, cum aliud quidpiam esset quam victima, Dei videlicet sermo, Dei virtus atque sapientia; mortale corpus brevi à morte revocavit, idque tanquam primitias communis omnium salutis Patri suo obtulit; hoc tropæum victoriæ quam de morte deque dæmonum acie retulerat, et humanarum victimarum quæ quondam immolari consueverant averruncamentum, pro universo hominum genere statuens.

XVI. Quæ cum ita se habeant, nunc ad eorumdem demonstrationes veniamus : si tamen harum rerum veritas opus habet demonstratione, aut si testimonia manifestis et evidentibus factis necesse est adhibere. Accipe igitur eas demonstrationes, benigna prius aure ad sermonis audientiam præparata. Cunctæ olim in terris nationes, et universum hominum genus, in provincias, in varias cujusque gentis ac loci dominationes, in tyrannides ac multiplices principatus discissum erat. Atque hinc pugnæ et bella continua; hinc vastationes et captivorum abductio, tam in agris quam in civitatibus exstiterunt. Hinc tot historiarum argumenta; adulteria et mulierum raptus : hinc excidium

[1] Isa., LVII, 7.

Trojæ; et veterum tragœdiæ, apud omnes ubique homines pervulgatæ. Quarum quidem rerum causas quisquis plurimorum Deorum cultui adscripserit, is meo judicio non errabit. Sed postquam salutare Christi instrumentum, sanctissimum scilicet ejus corpus, quod omni dæmonum fraude atque operatione potentius, et ab omni culpa tam in loquendo quam in agendo alienum fuit; velut tropæum quoddam victoriæ, et veterum malorum averruncamentum adversus dæmones erectum est, statim omnium dæmonum opera dissipata sunt : nec amplius locorum dominationes, multiplices principatus, tyrannides et respublicæ fuerunt, nec quæ inde oriri consueverant agrorum vastationes, et obsidiones urbium atque expugnationes. Sed unus quidem Deus omnibus prædicatus est : simul vero unum apud omnes Imperium viguit Romanorum ; et inexpiabile illud atque implacabile odium, quo gentes ab omni fere ævo inter se mutuo collisæ erant, subito extinctum est. Et sicut unius Dei notitia, unaque ratio religionis ac salutis, Christi videlicet doctrina, hominibus tradebatur ; ita etiam eodem tempore cum unus totius orbis Romani Imperator esset constitutus, altissima pax ubique terrarum obtinuit. Ita unius Dei nutu, duo summa inter homines bona quasi duo germina, simul eodemque temporis momento eruperunt ; Romanum scilicet Imperium, et pietatis Christianæ doctrina. Et ante illud quidem, alii Syriæ ; alii Asiæ; alii Macedoniæ seorsum quisque regnum tenebant. Ægyptum quoque ab aliis sejunctam quidam possidebant ; aliique similiter Arabiam. Sed et Palæstinam Judæi sub ditionem ac potestatem suam redegerant. In singulis vicis, urbibus ac locis, homines velut insania correpti et a dæmone agitati, per continua bella et pugnas in cædes mutuas ferebantur. Verum duæ maximæ potestates velut ex una transenna simul emissæ, cuncta repente pacarunt et in

concordiam reduxerunt : Romanum videlicet Imperium, quod ex eo tempore sub unius principatu fuit; et Christi doctrina : quæ quidem duæ potestates uno simul eodemque tempore effloruerunt. Ac Servatoris quidem nostri potestas, multiplices illos principatus ac divinitates dæmonum evertit; unum Dei regnum cunctis hominibus tam Græcis quam Barbaris, ipsisque adeo extremas terrarum plagas incolentibus annuntians. Romanum autem Imperium, utpote sublatis jam antea multorum principatuum causis, eos qui adhuc supererant, ditioni suæ adjunxit; id maxime studens, ut universum genus humanum communi inter se concordiæ vinculo colligaret. Et plerasque quidem gentes jam in unum coëgit et conciliavit : brevi vero ad ultimos usque terrarum fines progressurum est : quippe cum salutaris doctrina cum divina quadam virtute conjuncta, cuncta ipsi facilia ac plana præstet. Hoc profecto ingens miraculum esse fatebuntur ii, qui veritatis studio adducti rem attentius expendere, potius quam pulcherrimis rebus obtrectare voluerint. Simul enim dæmoniacæ superstitionis error convictus est; et inimicitiis ac pugnis quæ inter gentes jam inde a priscis temporibus fervebant, finis impositus : simul unicus Deus, unaque ejus notitia omnibus prædicata est : et unum in terris imperium stabilitum; et universum humanum genus ad pacem concordiamque revocatum; cunctis vicissim fratres se esse profitentibus, et propriam agnoscentibus naturam. Statim igitur velut filii ex eodem patre, uno scilicet Deo; et ex eadem matre, vera scilicet pietate geniti, pacifice seipsos mutuo salutare atque excipere cœperunt. Adeo ut orbis terrarum universus nihil a domo et familia optime constituta differre deinceps videretur; et iter facere et peregre quo quisque vellet proficisci cum omni securitate cuivis liceret : et alii quidem ab Occidentis

partibus ad Orientem absque periculo commearent; alii vero hinc ad illas partes, velut ad suam ipsorum patriam pergerent: complerenturque veterum oraculorum responsa, et cum innumerabiles aliæ Prophetarum prædictiones, quas referre in præsentia non vacat; tum illæ quæ de salutari Dei Verbo loquuntur in hunc modum. « Dominabitur a mari usque ad mare, et a fluminibus usque ad » fines orbis terrarum. Et rursus: Orietur in diebus ejus » justitia et abundantia pacis[1]. Et alibi: Confringent gladios » suos in vomeres, et lanceas suas in falces: non accingetur » gladio gens contra gentem, nec amplius militaribus exer» citationibus vacabunt[2]. » Hæc prædicta, et Hebraïco sermone multis ante sæculis pronuntiata fuerant; quæ nostra demum ætate operibus ipsis expleta, veterum oraculorum testimoniis fidem astruunt. Quod si aliorum præterea argumentorum copiam desideras, ea non verbis jam accipe, sed rebus ipsis. Aperi oculos mentis tuæ, et cogitationis januas reclude. Diu multumque tacitus tecum expende. Interroga temetipsum: et quasi ab altero sciscitare, rerum naturam perscrutans in hunc modum. Quis unquam ab ultima usque hominum memoria rex, aut princeps; philosophus aut legislator; Propheta denique seu Græcus seu Barbarus, tantum auctoritatis et potentiæ adeptus est, non dico post mortem, sed vivus adhuc et spirans, et multiplici pollens virtute, ut omnium ubique hominum aures atque linguas nominis sui gloria compleret? Nemo certe præter unum Servatorem nostrum post victoriam de morte reportatam istud præstitit, cum et discipulis suis verbo præcepit, et reipsa deinceps confirmavit. « Euntes, *inquit*, docete omnes gentes in nomine meo[3]. » Cumque ipsis prædixisset et affirmasset fore omnino ut Evangelium tuum per universum orbem prædicaretur in testimonium

[1] Psal. LXXI, 7 et 8. — [2] Isa., II, 4. — [3] Matth., XXVIII. 19.

cunctis gentibus, verbis eventum continuo subjunxit. Statim certe, non longo temporis spatio interjecto, doctrina ejus totum orbem replevit. Quid habet ad ea quod respondeat, is qui in hujus sermonis exordio nos reprehendebat; præsertim cum omni ratione validius sit oculorum testimonium. Quis vero pestiferum ab omni ævo et exitiale dæmonum genus, quod jampridem universas gentes ac nationes depascebatur, et motione atque impulsu simulacrorum multas in terris præstigias edebat, invisibili ac potente dextra, velut immanes belluas ab hominum grege fugavit? Quis alius quam Servator noster, per invocationem nominis sui, et purissimas preces ipsius nomine Deo optimo Maximo oblatas, nequissimorum spirituum reliquias ex hominibus abigendi potestatem dedit iis, qui traditam ab ipso vivendi normam ac disciplinam caste et sincere sequerentur? Jam vero incruenta et rationalia sacrificia, quæ precibus, et arcana quadam Dei appellatione perficiuntur, quis unquam alius sectatores suos offerre docuit, quam Servator noster solus? Quam ob causam per universum orbem terrarum constituta nunc sunt altaria, et Ecclesiæ consecratæ, et sacrosancta ministeria intellectualium ac rationalium sacrificiorum soli omnium moderatori Deo ab omnibus gentibus offeruntur. Sacrificia autem illa sanguine, cruore ac fumo peragi solita; crudeles item illas et furiosas hominum cædes ac victimas, quis occulta quadam et invisibili potentia aboleri ac prorsus extingui fecit, adeo ut hoc ipsum etiam Gentilium testentur historiæ? Neque enim nisi post divinam Servatoris nostri prædicationem, circa tempora Imperatoris Hadriani, omnis ubique humanarum victimarum immolatio sublata est. Cum ergo Servatoris nostri post mortem virtus atque potentia, tot tamque evidentibus argumentis comprobetur, quis est adeo ferreus animo, ut veritati testimonium perhibere cum

cæteris nolit, et vitam illius divinam confiteri? Nam præclara facinora, viventium sunt non mortuorum; et ea quæ cernimus, occultarum rerum notitiam nobis subministrant. Nuper quidem ac nudius-tertius, impiorum hominum contra Deum pugnantium natio universam mortalium vitam conturbabat, et potentia ac viribus pollens susque deque omnia ferebat. Sed posteaquam è medio sublata est, jacuit deinceps stercoribus contemptior; sine spiritu, sine motu et sine voce. Nec jam eorum habetur ratio, nec ulla fit mentio. Quippe ea mortuorum sors est; et is qui amplius non est, nihil est. Qui autem nihil est, quid tandem agere potest? Contra is qui agit et operatur, quique plus valet quam ii ipsi quibus vita suppetit, qua ratione existimabitur non esse? Quod si corporis oculis non cernitur, at judicandi facultas non consistit in sensu, nec artium rationes aut speculationes scientiarum, sensibus corporis percipimus : nec mentem quæ in hominibus est, nedum Dei virtutem ullus unquam oculis vidit : verum ejusmodi res ex ipsis operibus cognosci solent. Quocirca etiam in Servatore nostro, invisibilis ejus vis ac potestas ex operibus perspicienda ac dijudicanda est : utrum scilicet tot illustria facinora quæ ab illo etiamnum geruntur, viventis esse omnino confitendum sit; an dicendum, ejus qui non sit ea esse; an stulta omnino nec ulla ex parte cohærens hæc quæstio? Eum enim qui non est, qua ratione aliquis esse dixerit? siquidem omnium consensu et suffragiis constat, id quod non est, nec posse quidquam, nec ager, nec operari. Hæc quippe viventium natura est : mortuorum vero contraria.

XVII. Opportunum nunc tempus est, ut ea quæ a Servatore nostro hac ætate perfecta sunt, inspiciamus, et Dei viventis opera spirantia contemplemur. Quomodo enim tam præclara facinora non essent viventis, ejusque adeo

qui Dei vitam vivat opera spirantia? Quænam vero illa sunt, inquies? audi si placet. Nuper quidam qui Deo bellum indixerant, oratoria ejus cum ingenti pertinacia, nec minori cum militum robore, ab ipsis fundamentis everterunt; et Ecclesias illius penitus abolere studuerunt; omnibus machinis Deum invisibilem oppugnantes, et impiarum vocum tela in eum conjicientes. Sed invisibilis Deus, invisibili eos ultus est modo. Statim igitur illi solo Dei nutu è medio sublati, qui prius in deliciis vitam agebant; qui beatissimi; qui quasi Dii ab omnibus prædicabantur; qui multis annorum spatiis imperium præclare ac feliciter gesserant, quandiu pacem et amicitiam coluerant cum illo quem postea oppugnaverunt. Verum ubi mutata sententia Deo bellum inferre ausi sunt, Diis suis tanquam antesignanis et propugnatoribus in acie adversus Deum nostrum oppositis; illico momento temporis, et Dei quem oppugnabant nutu potentia, cuncti scelerum suorum pœnas dederunt: adeo ut terga dantes cedentesque ei cui bellum intulerant, divinitatem ipsius sicut reliqui confiterentur; et plane contraria iis quæ paulo ante tentaverant concedere ac permittere maturarent. Continuo igitur Servator noster victoriæ tropæa ubique terrarum erexit; templisque sanctissimis et oratoriis consecratis universum orbem de integro exornavit; et in urbibus ac pagis, in agris ac desertis Barbarorum locis, fana ac delubra in honorem unius omnium regis ac domini dedicavit. Unde etiam Domini vocabulo honorata sunt; non ab hominibus, sed ab ipso omnium domino cognomentum sortita. Ab eo quippe Dominica appellantur. Prodeat igitur in medium qui volet, doceatque nos quis post tantam subversionem ac vastitatem sacras ædes à fundamentis usque ad summum culmen evexerit: quis ea de quibus nulla jam spes supererat, multo quam antea fuissent illustriora renovaverit: et quod maxime miran-

dum est, non post mortem illorum Dei hostium ea renovaverit, sed superstitibus adhuc iis ipsis qui illa subverterant, adeo ut ipsimet ore suo suisque litteris palinodiam canerent; idque agerent, non eo tempore quo in summa lætitia ac voluptate degebant (sic enim humanitate ducti id egisse, cuipiam fortasse viderentur) sed tum maxime cum verberibus cœlitus inflictis agitarentur. Quis post tot ac tantas persecutionis procellas, et in ipsos discriminum fervore, innumerabiles veræ philosophiæ sectatores Deique cultores viros, sacras etiam mulieres et virgines choros quæ perpetuæ animi et corporis castitati sese addixerant, divinæ doctrinæ suæ præceptis atque institutis per universum orbem continuerit; ciboque et vino ad multos dies libentissime abstinere, et duram ac severam vitam agere cum singulari modestia ac temperantia docuerit? Quis immensam virorum ac mulierum multitudinem eo impulerit, ut spretis corporum alimentis, rationalem potius cibum divinarum lectionum, qui animis ratione præditis aptissimus est, appeterent? Quis Barbaros et rusticos homines, mulierculas item et pueros ac servos; infinitam denique omnium gentium multitudinem docuerit, ut mortem contemnerent, sibique ipsis persuaderent animum suum esse immortalem, et justitiæ oculum quemdam esse qui res humanas inspiciat; utque futurum Dei judicium de piis ac de impiis hominibus expectarent, atque idcirco vitam juste sancteque traducere studerent? Nam qui aliter animo affecti sint, eos pietatis jugum subire nullomodo posse. Quæ quidem omnia solus Servator noster etiamnum egregie præstat. Verum hæc missa faciamus. Nunc vero eum cujus animus instar silicis obduruit, hujusmodi interrogationibus convincere aggrediamur. Dic mihi heus tu, et tandem aliquando vocem rationalem ede; non ex bruto pectore sed ex anima ratione et intellectu prædita fructum

proferens. Dic, inquam, re apud te ipsum diu ante perpensa. Quis ex omni sapientum numero qui antea celebres exstiterunt, Prophetarum oraculis perinde ac Servator noster, apud Deo carissimam veterum Hebræorum gentem tot ante sæculis cognitus est et prædicatus? Qui quidem et natale ipsius solum, et adventus tempora, et vivendi rationem; miracula item, sermones et præclara facinora animo percipientes, sacris voluminibus commendarunt. Aut quis scelera in se admissa, tam præsenti ultione unquam vindicavit, ut post impium facinus quod in ipsum fuerat admissum, statim omnis Judæorum natio occulta quadam vi exagitaretur, et regia ipsorum sedes ab ipsis fundamentis everteretur; ipsumque adeo templum cum omnibus ornamentis ac donariis solo æquatum disturbaretur. Quis futura, tum de impiis illis hominibus, tum de Ecclesia ab ipso per universum orbem condita cum multo ante prædixisset, singulorum operibus congruentia vaticinans, prædictionum fidem rebus ipsis æque ac Servator noster confirmavit? Ac de impiorum quidem templo dixerat, Relinquetur vobis domus vestra deserta: et non manebit in loco lapis super lapidem qui non disturbetur. De Ecclesia autem sua in hunc modum: Super petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ orci non prævalebunt adversus eam. Jam vero imperitos homines et rusticos atque abjectos a piscatu primum abduxisse; ac deinde legislatores doctoresque orbis terrarum constituisse, quale et quantum tibi videtur? Quod vero pollicitus est illis, se facturum ipsos piscatores hominum, nec id verbis solummodo dixit, sed reipsa cumulate præstitit; tantamque eis vim ac potentiam indidit, ut libros conscriberent atque ederent; utque horum librorum tanta esset auctoritas, ut omnium tam Græcorum quam Barbarorum linguis conversi, a cunctis ubique gentibus studiose ediscerentur; et

ea quæ in illis continentur, divina esse crederentur oracula, quantum id valet ad divinitatem ejus perspicue declarandam? Quale illud est, quod ipse futura prædixit; et Discipulis suis multo ante contestatus est, ipsos regum ac principum conspectui exhibendos esse, et pœnis extremisque suppliciis afficiendos; idque non ob facinus ullum, sed ob solam nominis ipsius confessionem. Quod vero eos ipsos alacri animo hæc perpeti fecit; et pietatis armis eos ita munivit, ut animos omni adamante firmiores in certaminibus contra adversarios ostenderent, quæ tanta vis est ut dicendo id adæquare possit? Quod autem non ii modo qui ipsum sectati fuerant, verum etiam illorum successores; ac deinde hi qui istos proxime insecuti sunt; tandemque illi qui nostra ætate vixerunt, adeo vires obfirmarunt animorum, ut cum nullius criminis rei essent, omnia tamen suppliciorum et tormentorum genera ob eximiam in summum omnium Deum pietatem læto animo perferrent, quam quæso admirationem non longissime superat? Enim vero quis unquam regum, in tot ætates ac secula imperium suum prorogavit? quis post mortem ita bellum gerit, et tropæa de hostibus erigit, omnemque locum, regionem et civitatem tam Græcorum quam Barbarorum, sub ditionem redigit, adversariis occulta quadam et invisibili manu superatis? Quodque omnium caput est, pax illa quæ universo terrarum orbi per illius potentiam parta est, de qua quæ nobis videbantur jam superius disseruimus, quibus tandem calumniatoribus os non obstruat? Quippe cum et reipsa in idem tempus cum prædicatione Servatoris nostri cumque doctrina ab eo in universum orbem dispersa, pax et concordia omnium gentium incurrerit, et multo antea a divinis Prophetis utraque prædicta fuerit; terrena scilicet gentium pax, et doctrina a Christo gentibus tradita. Dies me deficiet, Imperator, si manifes-

tissima divinæ Servatoris nostri potentiæ argumenta ex iis quas nunc cernimus rebus deprompta, in unum velim colligere. Siquidem nullus unquam ab omni ævo nec apud Græcos nec apud Barbaros, tantam divinæ potentiæ vim, quantam Servator noster ostendit. Et quid homines dico? quando ne ipsi quidem quos universæ gentes appellant Deos, talem in terris vim ac potentiam exhibuerunt. Aut si aliter se res habet, ostendat nobis qui voluerit. Prodeant vero nunc philosophi, nobisque dicant, quis ab omni sæculorum memoria sive Deus sive Heros unquam auditus est, æternæ vitæ et cælestis regni doctrinam hominibus tradidisse, sicut a Servatore nostro factum est, qui innumerabiles homines ad vitam ex cælestis philosophiæ præceptis instituendam, ubique terrarum incitavit; eisque persuasit, ut ad cælum adspirarent, et sedes quæ Deo acceptis mentibus illic præparatæ sunt, sibi sperarent. Quis unquam sive Deus, sive heros, sive homo, universum terrarum orbem ab oriente usque ad occidentem Solem, splendidissimis doctrinæ suæ radiis perfudit atque illustravit, paria fere cum Sole spatia decurrens, adeo ut omnes ubique gentes uni Deo, unum eumdemque cultum exhibeant? Quis unquam sive Deus sive heros, omnibus tam Græcorum quam Barbarorum Diis et heroïbus sub jugum missis, lege lata interdixit ne quis illorum Deus haberetur; utque lata lex ubique valeret obtinuit; ac deinde cum ab omnibus oppugnaretur, unus ipse omnes adversariorum copias profligavit, eosque qui ab omni ævo Dii et heroës habebantur devicit; utque per universum terrarum orbem, ab ultimis usque finibus solus ipse Dei Filius à cunctis omnium gentium hominibus appellaretur, effecit? Quis universis qui vastissimum hunc terrarum orbem incolunt, sive illi in continente, sive in insulis degant, præcepit, ut singulis septimanis in unum convenientes, Dominicum

diem festum agerent ; nec corpora sua saginarent , sed animos divinis præceptionibus refocillarent ? Quis Deus aut heros , æque ac Servator noster oppugnatus , tropæa victoriæ de hostibus erexit ? Nam hi quidem a primis statim temporibus , et doctrinam et populum ipsius oppugnare hactenus non destiterunt. Ipse vero invisibilis , invisibili quadam virtute , famulos suos una cum ædibus sacris ad summam gloriam evexit. Sed quid opus est divinas Servatoris nostri virtutes quæ omnem dicendi vim superant , ambitiose congerere ? quando etiam tacentibus nobis , ipsæ res satis loquuntur iis, qui aures mentis habuerint. Hoc certe novum atque inauditum , semel duntaxat in terris est visum, ut is qui solus ab omni æternitate erat Dei Filius, in terris cerneretur, et tot tantaque bona hominibus apportaret.

XVIII. Verum hæc quæ a me dicuntur, tibi fortasse superflua fuerint, Imperator, qui Servatoris nostri divinitatem sæpenumero præsentem expertus , non tam verbis quam factis, veritatis præco cunctis hominibus exstitisti. Tu enim ipse cum tibi otium fuerit , narrare nobis poteris , si libet , innumerabiles Servatoris nostri divinitatem suam tibi exhibentis apparitiones ; innumerabiles in somnis visiones : non dico arcana illa ab eo tibi suggesta , quæ nobis occulta sunt et inexplicabilia ; sed quæ in ipsa mente inseruntur Dei suggestiones , et quæ fructuosam cunctisque in commune utilem de rerum humanarum providentia doctrinam continent. Expones etiam nobis pro rei dignitate manifesta illa Dei propugnatoris et custodis tui in bellis auxilia : hostium et insidiatorum tuorum internécionem : in periculis allata subsidia , in rerum difficultatibus expeditam facilitatem : in solitudine defensionem : in angustiis industriam ac dexteritatem : præscientiam rerum

futurarum : eorum quæ ad summam rerum pertinent providam dispositionem : de incertis et obscuris rebus deliberationes : maximarum rerum susceptionem : administrationem rerum civilium : ordinationem militarium copiarum : rectam ubique emendationem : Constitutiones de jure publico : leges denique ad communem hominum vitam utilissimas. Recensebis etiam accurate et fideliter singula eorum, quæ nobis quidem obscura, tibi autem uni notissima sunt, et in regalis memoriæ tuæ sinu, velut in arcano quodam thesauro recondita. Ob quæ omnia, ut verisimile est, cum iis ipsis divinæ Servatoris nostri potentiæ argumentis usus fuisses, Basilicam, velut tropæum quoddam victoriæ ab illo de morte olim relatæ, cunctis non fidelibus modo, verum etiam incredulis spectandam proposuisti; sanctumque sancti Dei templum, et immortalis vitæ regnique cœlestis splendidissima ac pulcherrima monumenta, et Servatoris nostri summi omnium Imperatoris victoriæ sacra donaria, Imperatori victori aptissime convenientia. Quibus tu illud immortalis vitæ martyrium ac monumentum exornasti; tum ut cælestem Dei sermonem victorem ac triumphatorem regiis apicibus atque elementis exprimeres, tum ut apertis ac minime obscuris vocibus piam ac religiosam Dei confessionem cunctis gentibus palam re ac verbis prædicares.

FRAGMENTA.

FRAGMENTUM I.

Isti quadraginta et sex annis templum ædificatum asserebant : totidem enim a primo regno Cyri (qui primus omnibus, quotquot vellent, Judæis, ex Babylone in patriam remigandi potestatem fecit) usque ad sextum regni Darii annum, transacti sunt, quo universo templi ædificio fastigium imposuerunt.

FRAGMENTUM II.

Eusebius Cæsareæ, Pamphili cognomento, in suis ad Marinum de Salvatoris passione ac resurrectione quæstionibus ac resolutionibus, etiam hoc in quæstionem adducit, quod divinus Evangelista Marcus ait, horam fuisse tertiam qua Christus Deus ac Salvator crucifixus est; Joannem vero maximum Theologum scripsisse, circa horam sextam Pilatum sedisse pro tribunali, in loco qui dicitur Lithostrotos, ac Jesum examinasse : asseritque esse errorem scriptionis, inspersum ab iis qui ab initio Evangelia descripserunt. Elemento videlicet Gamma tertiam horam deno-

tante, cum signo illo quo numerus sextus signari solet, magnam inter se similitudinem habentibus; errore factum, ut elementum Gamma, quod tertiam signabat horam, ab una parte non nihil incurvatum sexti numeri signum repræsentarit, adeoque horam sextam notarit. Cum enim alii tres Evangelistæ, Matthæus, Marcus et Lucas conformiter dicant, ab hora sexta factas esse tenebras per universam terram, usque ad horam nonam, manifestum est, Jesum Deum ac Dominum nostrum ante sextam horam, prius quam tenebræ fierent, crucifixum fuisse, scilicet circa horam tertiam, ut Marcus narrat, adeoque hic apud Joannem similiter horam tertiam intelligendam, scribis nimirum litteram Gammam in signum sexti numeri transferentibus.

FRAGMENTUM III.

Forte dicent aliqui, Quomodo custodia sepulchrum custodiente cursim venerunt Petrus et Joannes, et ingressi sunt monumentum? Respondemus, facto terræ motu et resurrectione, milites discessisse nuntiatum principibus omnia quæ contigerant, adeoque a militari custodia liberos ad monumentum accedere, illudque ingredi potuisse, cum a Maria Magdalena neminem ibi adversariorum esse intelligerent, et locum vacare iis qui ad salutarem resurrectionem spectandam accurrerent. Hæc enim apparitionis Angeli potissima causa erat: siquidem non resurrectionis ergo lapidem revolvit, sed partim ut custodes abigeret, partim ut mulieres spectandi causa venientes comiter excipiens, de resurrectione certiores redderet: uti et Matthæus testatur, dicens: « Præ timore autem ejus exterriti sunt custo-

des, et facti sunt velut mortui. » (Matth. 18.) Nam et Angelum Salvator resurgendo prævenit, non expectans lapidis amotionem: sed illo ipso foribus opposito, et principum sacerdotum sigillis obsignato, custodibusque sepulchrum cingentibus, inaspectabilis monumento egressus est, divina virtute resurgens, ea hora quam nemo scit, et circa tempus quod ab Evangelistis significatum est, surrexitque lapide immoto et obsignato permanente. Bonorum autem nuntius hominibus aderat Angelus, nihil quidem ad resurrectionem præsentia sua conferens, sed multa pro salute hominum administrans : qua propter etiam in fulguris splendore ac candido vestimento sese exhibuit, rerum optimarum omen præseferens, primusque salutaris festi primordia celebrans.

—

FRAGMENTUM IV.

Quomodo secundum Lucam et Joannem Jesu toties Discipulis suis apparente Jerosolymis, apud Matthæum et Marcum iidem jubentur per mulieres in Galilæam abire, ut ibi eum videant, quasi non essent ipsum Jerosolymis visuri? Si quidem scripta Evangelica undecim Discipulos Salvatoris credidisse solum modo negassent, tunc merito quis dixerit non defuisse rationem, si Discipulis mulierum promissionibus non credentibus semel iterumque clanculum, ubi Jerosolymis latebant, quo eos solaretur, Jesus apparuerit. Nam in Galilæa non occulte, nec semel iterumve, neque conclusis propter metum Judæorum, sed palam cum maxima libertate atque auctoritate manifesta Divinitatis suæ signa, apparendo edidit, præbens illis semetipsum vivum (Act. 1.) post passionem suam in multis

argumentis, per dies quadraginta, apparens his et loquens de regno Dei, et convescens, ut inquit Lucas in Actis. Et hæc quidem prima est solutio. Quoniam vero inter Discipulos quidam eximii erant atque præcipui numero duodecim, alii vero illis inferiores septuaginta Discipulorum ordinem conficiebant, de quibus in Evangelio suo Lucas meminit (Cap. 10.); postmodum igitur illis septuaginta sese Dominus ostendit; cumque plures adhuc essent alii amici Salvatoris, qui Discipuli quoque illius nominabantur, quibus par non erat ut simul congregatis sese Jerosolymis exhiberet post suam resurrectionem, merito Evangelistæ duo Lucas et Joannes Christum solis undecim Jerosolymis apparuisse scribunt; alii vero duo non undecim tantum in Galilæa, sed simpliciter omnibus Discipulis. Plures itaque fuerunt et diversæ visiones Discipulis exhibitæ post resurrectionem, atque hi quidem has, alii vero illas descripserunt: atque hi quidem has illum dixisse asserunt, alii vero etiam et alias fecisse. Quandoque etiam a capite recensendo, quæ primus omisit, supplet secundus.

CONCORDANTIA

BIBLIOTHECÆ LATINÆ CUM GALLICA.

ANNOTATIONES.

ANNOTATIO 1, pag. 10.

Hæc interpretatio, teste Hieronimo, est Theodotionis : quare Aquilæ nomen irrepsisse videtur.

—

ANNOTATIO 2, pag. 96.

Apostolos quatuordecim recenset Eusebius; nimirum duodecim illos pristinos, Mathia in locum Judæ proditoris duodecimum locum occupante, Paulum et Jacobum fratrem Domini; nam Jacobum illum fratrem Domini, alium a Jacobo Alphæi putat esse. Tres itaque ὁμωνυμοις Apostolos numerat Eusebius, Jacobum fratrem Joannis, Jacobum Alphæi, et Jacobum fratrem Domini, quem ait ab ipso Christo episcopum Jerosolymitanum constitutum fuisse. Hunc porro locum Hieronimus ex Eusebio ad verbum pene, ut passim solet, translulit, qui tamen eam ipsam opinionem in libro contra Helvidium oppugnat, duosque tantum Jacobos esse defendit. Trium porro Jacoborum opinionem Eusebius ex Origene mutuatus videtur : nam is quem sibi alterum ejus opinionis auctorem ascribit Eusebius, lib. 2. Hist. Eccl. cap. 1. Clemens videlicet Alexandrinus, Eusebii sententiæ adversatur δύο δε γεγονασι Ιακωβοι sic ille, εἷς ὁ δικαιος· ετερος δὲ ὁ κατατουηθεις. Duo autem Jacobi fuere; alius justus, sive Minor, alius qui capite truncatus est, seu Major. Nec felicius eodem

libro cap. 23. Hegesippum, ut sibi adstipulantem adfert. Ille namque Jacobum quidem cum Apostolis Ecclesiam Jerosolymitanam rexisse, ait: nec ideo tamen ipsum ex 12 Apostolorum numero non fuisse, vel declarat, vel innuit. Quod vero in Commentariis in Psalmos ait Eusebius, haud difficile esse cujusque Apostolorum tribum assignare, hic confirmare videtur, dum ait Judam Apostolum proditorem ex tribu Ephraïm fuisse.

ANNOTATIO 3, pag. 99.

Hic Eusebium acerbe carpit Hieronymus his verbis, « Eusebius Cæsariensis historicam interpretationem titulo repromittens, diversis sensibus evagatur: cujus cum libros legerem, aliud multo reperi, quam indice promittebat. Ubicumque enim eum historia defecerit, transit ad allegoriam, et ita separata consociat, ut mirer eum nova sermonis fabrica in unum corpus lapidem ferrumque conjungere. Hoc breviter admonui, ne quis nos putet ex illius fontibus mutuasse quæ dicimus: nam et in præsenti capitulo adversum Judæos et Jerosolymam dicit Prophetiam dirigi: quod in principio fidei Christianas ad totas gentes epistolas ne susciperent passionem Christi, et miserint usque ad Æthiopiam et Occidentalem plagam, totumque orbem ejus blasphemiæ disseminatione compleverint. » Et sane quod ait Hieronymus Eusebium ἀλληγορικῶς plerumque dictorum sensum interpretari; cuique legenti palam erit; quod vero dicit, se non ex Eusebii fontibus mutuasse, de toto Commentario intelligas: etenim pleraque ille adfert, quæ Eusebius nullatenus adtigit; sed tamen multa ex hisce Commentariis, etiam allegorice dicta hausit.

ANNOTATIO 4, pag. 224.

Eusebius plerumque in commentariis in Psalmos dicit mundum sphærica forma esse; sed addita cautione, eam esse quorumdam opinionem ait, nec obscure subindicat se item eadem sententia esse nec tamen id aperte profiteri audet : quia fortassis longe aliud æstimabant illius sæculi Christiani. At hic coactus secundum vulgarem Christianorum mentem illum Hesaiæ locum, cap. 40, explanare, qui statuit cœlum quasi fornicem, et extendit ut tabernaculum ad habitandum, ad Cosmæ opinionem prorsus accedit, quæ ipsima est pene omnium veterum Patrum sententiam, Chrisostomi scilicet, Severiani Gabalorum, Augustini et aliorum, qui cœlum in fornicis morem terræ imminere, ac undequaque muris firmissimis terræ inniti, arbitrati sunt, antipodasque negarunt : rati non posse homines in oppositis terræ partibus adversis vestigiis stare, sphæræque opinionem cum Scriptura divina pugnare. Nimirum Deus, qui nobis sanctos illos in doctrinæ morumque magistros providit, non parem illis in Philosophicis Astronomicisque peritiam indidit. Quid enim ad sanctitatem morumque sinceritatem conferat hujusce rei notitia ?

ANNOTATIO 5, pag. 242.

Syene urbs ad extrema Ægypti posita, Συήνη et Σοινη dicitur apud Origenem, Athanasium et alios.

ANNOTATIO 6, pag. 244.

Qui in Commentariis in Psalmos errorem de Filio Dei suum passim insperserat Eusebius, hic parce et sobrie ea de re ut plurimum loquitur : quamobrem Hieronymus qui Psal-

morum Expositionem Arianicis erroribus adspersam esse testificatur, nihil hujusmodi observat in hoc Commentario. Sed quia arduum est diu multumque scribere, quin ex mente Scriptoris aliquid vel imprudenter effluat, non obscure sententiam suam hoc in loco prodit Eusebius; ubi non ideo Filii theologiam cum paterna deitate assumi vult, quod deitas Filii una eademque sit atque paterna : nam eam ille sententiam ut Sabellianam respuit; sed quod ob similitudinem quamdam, ab ortu Deus appellatus sit; siquidem principii et deitatis unitatem in solo Patre servari ait hic, et passim apertiusque in aliis operibus.

FINIS TOMI VIGESIMI QUARTI.

E typis Everat, Parisiis, via du Cadran, 16.

LISTE DES SOUSCRIPTEURS

A LA

COLLECTIO SELECTA SS. ECCLESIÆ PATRUM,

PUBLIÉE PAR MÉQUIGNON-HAVARD ET Cie.

Au 1er Mars 1830.

	Exempl.
	205
SA MAJESTÉ LE ROI DE FRANCE,	5

MM.

A

	Exempl.
Alzine, libraire,	13
André et Anner, libraires,	13
Argaud, curé,	1
Arnichaud (aîné), professeur de collége,	6
Arnoult, libraire,	1
Arquis, curé,	1
Aubanel, libraire,	11
Aubin, libraire,	2
Augé, aumônier de collége,	1
Auger, libraire,	1
B	
Bailly, libraire,	26
Bailly, supérieur de séminaire,	1
Bancal (abbé),	1
Bardin (abbé),	1
Barthès (abbé),	1
Bazin, supérieur de séminaire,	1
Beaucé-Rusand, libraire,	108
Bellizard et compagnie, libraires,	4
Belloc, vicaire général,	1
Belon, libraire,	3
Beraud, libraire,	6
Bernardy (abbé),	1
Berthemet, vicaire,	1
	205

MM.

Bion, vicaire,	1
Blandin, libraire,	5
Blouet (mademoiselle), libraire,	1
Boillot et compag., libraires,	26
Boivin (abbé),	1
Booker, libraire,	4
Bosc, vicaire,	1
Bossange (père), libraire,	1
Botrel, principal de collége,	13
Boué (abbé),	1
Bourel (abbé),	1
Brette, libraire,	4
Bruyer, principal de collége,	1
Buisson, libraire,	1
Burdet, libraire,	6
Burolleau, libraire,	1
C	
Cadel, curé,	1
Carlo-Leoni, professeur,	1
Cauet, curé,	1
Caussade, aumônier d'hôpital,	1
Caviolle, curé,	1
Chabrol, vicaire,	1
Chapalain (veuve), libraire,	13
Chapelle, libraire,	1
Chateauvieux (Achille de), libraire,	2
	300

MM.	Exempl.
	300
CHAUVIER, supérieur de séminaire,	1
CHEVALLIER, directeur de séminaire,	3
CLERMONT-TONNERRE (S. E. Mgr. le cardinal, duc de), archevêque,	1
COMBER, curé,	1
CORDIER, curé,	1
CRÉVEAUX, curé,	1
CROÏ (S. E. Mgr. le cardinal, prince de), archevêque,	1
CROS, curé,	1

D

DAGALIER, libraire,	26
DANOIS, vicaire,	1
DAUNON (abbé),	1
DEFFIEUX, curé,	1
DEMAIRE, curé,	2
DEMENGEOT et GOODMANN, libraires,	13
DENIS, chapelain,	1
DEREUZE, curé,	1
DESCAICH, libraire,	1
DIRECTEUR de *la Bibliothèque catholique* (le),	26
DONNETTE, curé,	1
DUBOIS, professeur de séminaire,	1
DUBOSC (abbé),	1
DULAU, libraire,	3
DUMOLARD, libraire,	2
DUPEYRAT, curé,	1
DUPLESSIS, vicaire,	4
DURAND (abbé),	1

E

ESCALLE, libraire,	1
EVÊQUE (Mgr. l') d'Aire,	1
EVÊQUE (Mgr. l') de Blois,	1
EVÊQUE (Mgr. l') de Montauban,	1
EVÊQUE (Mgr. l') de Séez,	1

F

FABRE (abbé),	2
FABRE-DES-ESSARTS, vicaire général.	9
	413

MM.	Exempl.
	413
FABRE, professeur de séminaire,	1
FÉLIMER, curé,	1
FERRAGUT, chanoine et recteur,	1
FERRET, curé,	1
FÉVRIER, libraire,	13
FIRMIN DIDOT, imprimeur-libraire,	2
FLEURY, libraire,	4
FLOUEST, vicaire,	1
FOUCHÉ, curé,	2
FOUQUET, curé,	1
FOURNIER, professeur de séminaire,	1
FRACOT, curé,	1
FRAISCHE, vicaire,	1
FRÉDÉRIC-FLEISCHER, libraire,	134

G

GABRIEL, curé,	1
GADRAT, libraire,	6
GAILLARD (Ch.) et VATTARD, libraires,	3
GARRICOÏTE, supérieur de séminaire,	1
GASSIOT, libraire,	1
GAUME frères, libraires,	108
GENOUILLAC, professeur de séminaire,	1
GIRARD (abbé),	1
GIRAUD (Pierre), libraire,	13
GIROD, secrétaire d'évêché,	1
GLADY et CHAIROU, libraires,	24
GOUBIER, aumônier de collége,	1
GOUJON, curé,	1
GRAEFF, libraire,	2
GRASSET, directeur de séminaire,	1
GUÉRIN, libraire,	1
GUERNON DE RANVILLE (S. Ex. Mgr.),	1
GUINOIR, économe de séminaire,	1
GUITTEL, libraire,	2

H

HAMON, vicaire-général et supérieur de séminaire,	1
HENRION, directeur de *la Bibliothèque choisie*,	26
	774

MM.	Exempl. 774
Henry, curé,	1
Hugs et Kermen, libraires,	26
Hunot, curé,	2
I	
Isambert, avocat,	1
J	
Jolly, supérieur de séminaire,	13
Jonh-Cochran, libraire,	13
Jourdan, libraire,	17
K	
Kleffer, imprimeur,	6
L	
Labouisse et Lapeyre, libraires,	2
Lacroix, libraire,	26
Ladrange, libraire,	1
Laglaise, libraire,	1
Lander (abbé de),	1
Langue, curé,	13
Laroche, libraire,	1
Launay-Gagnot, libraire,	10
Lebaillif, chanoine,	1
Leblanc, libraire,	1
Lefebvre, curé,	1
Lefranc, curé,	1
Lemaitre, libraire,	1
Lemarié, libraire,	13
Léro, recteur,	1
Loriquet (abbé),	1
M	
Mame, imprimeur-libraire,	1
Manoury, libraire,	2
Margon, aumônier de collége,	1
Marquet, vicaire,	2
Martin, principal de collége,	1
Martin, chanoine et curé,	1
Martin de Noirlieu (abbé), sous-précepteur de S. A. R. Mgr. le duc de Bordeaux,	1
Masson et Yonnet, libraires,	1
Matteo-Rubiglio, libraire,	2
Maurel, supérieur de séminaire,	1
Megret, curé,	1
	942

MM.	Exempl. 942
Mendousse, professeur de séminaire,	1
Merle, libraire,	26
Meunier, curé,	1
Ministre (S. Ex. Mgr. le) des affaires ecclésiastiques,	1
Monceau, libraire,	6
Mondot, supérieur de séminaire,	1
Montbel (S. Ex. Mgr. de), ministre de l'intérieur,	1
Montels (abbé),	1
Montels, curé,	1
Musart, supérieur de séminaire,	2
O	
Ohea, curé,	1
P	
Padet (abbé),	1
Paquette et Monnot, libraires,	7
Parent-Desbarres, libraire,	1
Paschal, vicaire,	1
Pathouot, libraire,	26
Pelisson, libraire,	2
Peytal (abbé),	1
Pic, libraire,	2
Poilleux, libraire,	125
Pomba, libraire,	14
Popelain, libraire,	2
Privat, proviseur de collége,	1
R	
Rambac, aumônier,	1
Réthoré (aîné), libraire,	13
Ribegrolle, curé,	1
Ricard, curé,	1
Richard-Baynes, libraire,	2
Robert, professeur de collége,	1
Rohan-Chabot (Mgr. le duc de), archevêque de Bezançon,	1
Roquefeuille (de), curé,	1
Roussac (abbé),	1
Rousselot, directeur de séminaire,	4
Rouston et Saur, libraires,	4
	1197

MM.	Exempl.
	1197
Royère, curé,	1
Rusand et compagnie, libraires,	13
S	
Sauvignet et Honorat, libraires,	3
Schalbacher, libraire,	26
Senac, libraire,	3
Senly, curé,	1
Serres, vicaire,	1
Seyron (abbé),	1
Sheldon (madame),	1
Sibour (abbé), secrétaire d'évêché,	13
Sibour, chanoine,	1
Sicard, libraire,	4
Simon, curé,	1
Solis-Soglio (le comte de),	1
Soubielle, directeur de séminaire,	1
Sounay, libraire,	6
Spinasse, secrétaire d'évêché,	6
	1280

MM.	Exempl.
	1280
T	
Tabanon (abbé),	6
Talhiades, curé,	1
Tarchioni, négociant,	6
Thiel, libraire,	1
Thomas-Malvin, libraire,	39
Touchy (abbé),	1
Tournon, supérieur de séminaire,	1
Traverné, économe de collége,	2
Treuttel et Wurtz, libraires,	5
Trincaud, vicaire général,	1
V	
Vernet, curé,	1
Venan, curé,	1
Virenque, libraire,	66
Vrindts (abbé),	1
W	
Wallon-Capelle, supérieur de séminaire,	1
Williams-Scott (abbé),	1
	1414

PARIS, IMPRIMERIE DE DECOURCHANT,
Rue d'Erfurth, n° 1, près de l'Abbaye.